UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

M. Fabii Quintiliani Declamationum CXLV. Quae ex CCCLXXXVIII. supersunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

Visual Library

# M. FABII QUINTILIANI
# DECLAMATIONES

. . manifestum est, & in hac tamen civitate extra controversiam præcipue . . positum . . eos qui à se homines occisos esse fateantur teneri lege. qui distingues igit . sa . ere. Occidisti adulteros. Quis igitur dubitat hoc in civitate à legibus permissum? Adulterum, inquit, cum adultera liceat occidere. Quid aliud feci? sed non licuit occidere tibi. & in hoc omnem calumniam suam contrahit . negat mihi licuisse occidere: primum, quod jus civis non habuerim eo tempore quo exul eram, nec ad me jura pertinuisse, quod exulo. Si in perpetuum exilium missus essem, forsitan posset de hoc quæri, an ad leges pertinuerim, cum illud ex lege fieret quod exularem. Quinquennale vero exilium dubium est quin . . . . . processerit absente me neque erat causa propter quam vis inferretur ei qui imprudens occidisset . non [1] damnabatur animo, aut sceleris ea pœna

IN hac editione veteris exemplaris fidem sequuti sumus: nihil adeò conjecturis datum est, aut alienis, aut nostris: quibus hic suum potius locum assignavimus, simul & emendationibus errorum quorundam ex his qui inter relegendum occurrerunt, præcipue vero ex distinctionibus, quas in hujusmodi argutiis apte & convenienter notare non cujusvis est hominis, ut facile operis eam culpam ignoscam, in qua, ut verum farear, ne mihi quidem ipse satisfeci: omnia notare nec animus, nec otium fuit. Dabunt veniam æqui lectores, imo & gratiam de beneficio habebunt: cæteros nihil moramur. Illud verò admonere visum est, in veteris exemplaris initio unam tantum, aut alteram paginam desideratam, quod & quaternionum signa & declamationum ad finem adscriptus numerus satis arguunt. Novem tamen nondum hactenus editarum nova accessio de reliquis, quas intercidisse dolemus, spem fortassis non vanam cupidis earum dabit. *Pithœus.*

1 *Damnabatur animo.*] Malim, *animus*: & paulo post, *jus rediisse. Si.* Idem.

ea pœna erat, sed ut pertinuerit, inquit, ad te lex . . . tamen tibi non licuit, cum ad occidendum venire non licuerit. Lex enim quinquennio te jubet exulare puta me contra jus rediisse si in præsentia . tanquam contra jus rediissem . Non tamen mihi objicere debes quod occiderim, sed quod . tingente feciisse contra leges . contra illam tamen legi feci . ad judicium pertinet . sic etiam redire mihi licuisse . hoc rerum . occidere licere. . Ergo lex qu . . significat omnia . . . quæ adversus adulteros scripta est, ut contra alias leges . . ab exilio, nec homines occidere licuit: sed quemadmodum homine . . erant ita rever . .

## Sermo.

*Locus patens, quomodo, quantum liceat adversus adulteros, sed in hac controversia facere oportet in communibus fere, ut quoties communem dixerimus locum, ad proprium revertamur. Communis est locus adversus adulteros omnes. Proprius, adversum hos adulteros.*

## Declamatio.

Itane mulier impune peccassit, quæ calamitatem viri sui pro occasione habuit . bus erat, cui quinquennium breve videbatur: æquale enim illud fuit adult. . . . narrabatur cujus opinio . . dum frequens, sed pene continuum ac perpetuum fuit. Ne quis autem existimet cum adult . . unius tantum vindicandum . ad exemplum totius civitatis.

## CCXLV.

QUI DEPOSITUM INFICIATUS FUERIT, QUADRUPLUM SOLVAT. Qui filium luxuriosum relinquebat, [1] pecuniam apud unicum deposuit, & mandavit ut redderet emendato. [2] Petit adolescens pecuniam. * ille quadruplum petit.

### SERMO.

*. . videtur hic adolescens . . tamen asper exactor . quoniam persona nobis proponitur amici, & amici hoc ipso de quo agitur probati. Nam ita facilius ostendemus omnia eum fecisse adolescentis istius causa si ne reus quidem usquam ad odium compellitur.*

### DECLAMATIO.

DEPOSITUM QUI INFICIATUS FUERIT, QUADRUPLUM SOLVAT. Inficiari, est depositum nolle solvere. Itaque ne actio quidem hæc dari potest nisi adversus eum qui damnatus fuerit. Eo enim tempore quæratur necesse est, an habeat pecuniam, & an inficietur: neque omnino quadruplum solvere debet, nisi simul convictus, quare si hanc tantum negasset aliquando, & postea obtulisset, non tamen poterat videri quadruplo obligatus, cum hoc ipsum quadruplum cum ea summa habuerit, quæ negatur. Quid si & absolutus est hoc judicio cum in quadruplum damnari poterat? neque enim ideo debet quadruplum solvere, quia potuit ne simplum quidem [3] solvere, si ipsam pecuniam quæ à patre tuo apud amicum . . velles, non liceret tamen tibi rem judicatam retractare. Hoc ergo fieri potest, ut rem non potueris repetere, [4] pœnam rei petas?

### SERMO.

*Hæc circa jus, illa circa æquitatem. Qui quadruplum ab inficiatore petit, illa dicere solet. Oportet pœnam esse avaritiæ, & affici supplicio cupiditates. Neque enim aliter fides constare potuerit apud omnes,*

1 *Pecuniam apud unicum deposuit.*] Scribe: *apud amicum.* Mox: *persona nobis proponitur amici.* Gronovius.

2 *Petit adolescens pecuniam.*] Scribe: *Reddit adolescenti pecuniam. Ille quadruplum petit.* Idem.

3 *Solvere, si ipsam.*] *Solvere. Si ipsam.* Pith.

4 *Rei petas.*] An potius? *repetas.* Idem.

*omnes, nisi metu* [1] *contineatur. Depositum hoc eo magis vindicandum, quod fere secreta sunt citra probationem: non potest omnino in hoc arguere avaritiam.*

## Declamatio.

Depositum quo tempore petisti luxuriosus adhuc, si noluisses confiteri, haberes pecuniam, nondum tamen debebatur. Non est in depositis simplex conditio. Deponitur aliquid, quod quandocunque repetitur, reddendum est. Deponitur aliquid in tempus. Hoc quomodo depositum erat? ut acciperes cum luxuriari desisses. Quo tempore repetebas, adhuc luxuriabaris. Non debebatur ergo, nec potest videri inficiatum quod eo tempore negavit, quo illi extorqueri non posset vel confitenti. Quare tamen negare maluit quam hoc jure uti? Quoniam te luxuriosum, spes adhuc pecuniæ faciebat. Annon hoc est quod te fecerit frugi? Didicisti tibi pecuniam . . & labore servandam. At mehercule vereor ne cito obtulerit. [2]Sine dubio te discussam luxuriam vis probare avaritia, [3]& hæc ipsa accipiendæ pecuniæ fames alias videtur prodere cupiditates. Satis erat homini frugi quod accepisti. Itaque & alias quoque conditiones frugalitati tuæ ponit amicus paternus, si vixeris quomodo videris feciſſe, si tenendi potius patrimonii quam auferendi habueris curam, est adhuc quod tibi possit tribuere patrimonium paternum: sed adhuc habet suum.

CCXLVI.

1 *Contineatur. Dep.*] *Teneatur*: dep. Idem.

2 *Sine dubio te discussam.*] Lege: *Sine dubio te decussisse luxuriam vis probare avaritia.* Imitatur M. Cœlium ad Ciceronem ep. 13. *Cætera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, & ætate jam sunt decussa & consuetudine.* Ita legerem, vel absque scripto esset Palatino. *Decursa* ineptum. *Gronov.*

3 *Et hæc ipsa.*] Malim, *At hæc*, & paulo post, *tribuere, pat. paternum: sed.* Pith.

## CCXLVI.

### *Soporatus fortis privignus.*

Qui fortiter fecerat, bello imminente soporem ab noverca subjectum bibit. Causam dixit tanquam desertor absolutus accusat novercam veneficii.

### DECLAMATIO.

ETiamsi, judices, eventus proximæ causæ satis videri potest etiam in hanc quoque pronuntiasse, primum tamen doloris mei professionem dissimulare non possum, quod novercam ante accusare non potui. Debeo quidem sententiis judicum omnia: homo tamen gravissimam injuriam passus, adhuc tantum absolutus sum. Verum me quamvis præcipue in hoc judicium agat ultio talis, illud quidem periculum fallit: hodie constituetis an merito absolutus sim. Inter summa discrimina reip. non fuit venenum . . . . . ego deserui. si quis autem ad hanc præteritorum indignationem adjicere etiam formam ipsam judicii potest, illud certe est quod nulla possit tollerare patientia, quod se mihi contendit noverca beneficium dedisse, vos æstimabitis quid de persona hac sentiatis. non feciſſet hoc mater. certe quod mihi satis est, pater non fecit.

### SERMO.

*Quotiens finiendum erit, primum intueri debebitis, quid utraque pars velit: deinde, id quod vult, quam breviſſime complecti. Quare negat venenum esse* [1] *qui pro reo dicit? quia non occiderit, neque sit mortiferum. Quare dicit venenum esse qui accusat? quoniam medicamentum sit, & efficiat aliquid contra naturam. Ergo non est satis id modo videri venenum quod occidat. sed hæc omnia venena sunt. ad tuam quidem finitionem etiam mortiferum istud erit. Nam cum id ageres ut desererem, desertorem pœna sequatur, etiam id quod deesse huic medicamento videbatur, adjiceres.*

DECLA-

1 *Qui pro reo dicit.*] Lege, *pro rea.* Gron.

## Declamatio.

Veneficii accuſo. Veneficam dico, quæ ſoporem dedit. Unde tibi in hos uſus venena? notiora ſunt quædam, pernicie & experimento deprehenduntur, adeo ut aliqua publice dentur. [1] Hoc quid eſt, quod tu vis vocari in tempus venenum, quo mens aufertur, quo corpus gravatur, [2] quo membra ſolvuntur. Sæpe in ſcelere virtutis eſt noſſe veneni modum eo magis quod videmus copia conſtare, quod temperamento quodam ut ſtetur citra mortem. Si quis accuſare te veneficii voluiſſet illo tempore quo ſane non vacabat, ſi protuliſſet corpus meum, quod non ſolum motu corporis familiæ conclamatione excitari non potuit, ſed belli tumultu, & fragore ſignorum, & trepidatione totius civitatis, victurum promitteres? Veneficium ſcientia docui, veneficium periculo docui: volo dicere & de animo. Potionem iſtam cui dediſti, quo tempore dediſti? Privigno dediſti. Si alio tempore dediſſes, deceptam te putarem, nunc excogitaſti potionem, quæ me lege occiderit. Equidem ſi me interroges, vixiſſe me illo tempore non arbitror. Quid enim, pro dii immortales, aut in qua parte naturæ locavit me noverca? Bellum mihi nunciatum eſt, [3] & [4] hominem quem non peregrinatio detinuit, non abſentia ulla à periculo civitatis relegavit, quid acti ſit manente me intra muros, commilitones mei narraverunt: Dicitur ingens fuiſſe prælium, commiſſa utrinque acies, dubia ſæpe victoria, & huc atque illuc ſpes inclinata, cum interim miles in quo plurimum fiduciæ, in quo maximum momentum videbatur, in nulla parte viſus auditur. Quid plus contin-

1 *Hoc quid eſt, quod tu vis vocari in tempus.*] Diſtingue & ſcribe: *Hoc quid eſt? quid tu vis vocari?* Reſpondet dein ipſe ſibi: *in tempus venenum.* Gronovius.

2 *Quo membra ſolvuntur?*] Et poſtea, *Potionem iſt. cui dediſti.* Pith.

3 *Et hominem, quem non peregrinatio.*] Lege: *Bellum mihi nuntiatum eſt, & homini, quem non peregrinatio detinuit, non abſentia ulla à periculo civitatis relegavit, quid actum ſit, manenti intra muros commilitones narraverunt.* Gronov.

4 *Hominem quem.*] Malim, *homini.* Pith.

contingere potuit hosti si periissem? non alio modo audivi bella quam avorum proavorumque temporibus. At si mihi detur emendatio præteritorum, utinam noverca illud statim venenum dedisset quo vita auferretur! illa potione consumptum tota civitas ad rogum tulisset, celebrasset laudes, etiam temporis discrimen multum attulisset admirationis. Illa dicerent homines, Non tulissemus hæc si vixisset. [1] Ego, inquit, tantum animo bono feci. Erubescite matres, quæ amplexæ armatos jam liberos, impiæ tamen jam estis mei exemplo. Inventa est [2] tota civitate magis amaret una quæ parceret noverca. Non dico de his adhuc quæ secuta sunt: non illam judicii contumeliam. Interim tamen, quid mihi potuit gravius accidere? Quam ego, dii deæque, perdidi occasionem? Obtulerat deus tempus merita geminandi: venerat dies approbandi, quod fortiter feceram, id non fortunam fuisse. Felices commilitones mei hostium terga vidistis, calcastis cadavera, victoriam publicam clamore læti retulistis: at ego quando pugnandum est, interrogavi, longamque illam novercæ noctem tandem emensus non mente, non gradu constiti, ac mihi vicisse cives meos accusator indicavit. Videor ex magna parte, etiam approbasse causam proximo judicio. Quo enim modo absolutus sum, nisi illa accusatori dicerem, [3] vis tenuit, & devicta mens.

## CCXLVII.

RAPTORIS DIVITIS BONA MARITI UXOR ACCIPIAT. Adolescens locuples rapuit, priusquam optaret puella, misit ad eam propinquos rogatum ut nuptias haberet. Auditis illa precibus, tacuit & flevit. Percussit se adolescens: prius quam expiraret, optavit illa nuptias, petunt bona propinqui & uxor.

### SERMO.

*Demonstranda vobis est via. Videte quid utraque pars velit, quid utraque*

1 *Ego inquit, tantum.*] Malim, *tamen*. & postea lego, *Inventa est, tota civitate una quæ magis amaret, una.* Pith.

2 *Tota civitate amaret.*] Scribe: *Inventa est tota civitate, magis matre, una, quæ parceret, noverca.* hoc est, una noverca, quæ magis matre parceret. *Gronovius.*

3 *Vis tenuit & devicta mens.*] Lege, *devincta.* Idem.

*utraque pars dicat, & illud quam fieri potest brevissime & significantissime comprehendite. Utputa dicit hæc puella, uxor sum. Nuptias enim optavi. Optando statim maritum habere illum cœpi: necesse enim erat illi marito esse si viveret:* [1] *nec tempore ut matrimonium, sed jure. Hæc certò comprehendenda sunt finitionibus. Dicit pars diversa,* [2] *Non fuisti uxor: non subsisti cum illo: optione tradita quidem illi, sed statim quidem discessit post vocem. Hoc finitione comprehendendum est. Uxor est quæ fœmina viro nuptiis collocata in societatem vitæ venit. Tum non est tradita. Illa quid dicit?* [3] *Uxor est cujus cum viro matrimonium factum est. Pars diversa hoc dicit, finitio interim dicitur falsa, interim parum plena. Nos neque falsam possumus dicere partis adversæ finitionem, neque parum plenam: nec tam in subvertenda ea morari debemus, quam in confirmanda nostra. Sit ergo ut non infirmandum finitionis genus, ita ad convincendum nimis plenum. Non possumus enim dicere, Ea quæ viro per nuptias tradita in societatem vitæ venit, sed non tantum hæc uxor, sicut non negaremus uxorem si ita finiremus. Uxor est quæ per nuptias à parentibus in matrimonium tradita in societate multis annis fuit. Illud, à parentibus tradita, non necessarium in finitione uxoris sit. Ista falsa quidem non sunt, sed plerisque detractis, erit adhuc uxor. Fingamus enim factas esse nuptias, consecutam statim alterius mortem: erit profecto uxor etiam te consitente, tradita, si in societate vitæ non fuerit. Quomodo ergo ista societas*

1 *Nec tempore ut patr.*] Hic locus sic fortasse restituendus est; *nec tempore ut patrimonium sit matrimonium, sed jure hæc certò comprehendenda sunt finitionibus. Dicit pars diversa, non fuisti uxor, nupsisti cum illo.* & paulò post, *Tu non es tradita.* Patrimonium fit tempore, quod usu capitur. Atque & usu fit uxor: quod alibi & pluribus tractavimus. Sed hæc Rhetoricè dicuntur non juridicè. *Pithœus. Nec tempore ut patrimonium.*] Pithœus perperam: *nec tempore, ut patrimonium, fit matrimonium.* Patrimonium tempore fieri ait, quod usu capitur. Hic objectat sibi: Atqui & usu fit uxor. Respondet hæc rhetorice dici, non juridice. Immo patrimonium non usucapitur, sed statim est filii, simulatque decessit pater. Sic Curioni post patris mortem Cicero patrimonium gratulatur. Præterea inutilis hic mentio *patrimonii*, & insolens inculcare vocabula præter necessitatem. Scribe: *nec tempore fit matrimonium, sed jure.* His verbis non obstat matrimonium usu. Loquitur enim de illo genere matrimoniorum, in quibus usus & tempus non habet locum. *Gronovius.*

2 *Non fuisti uxor. non subsisti cum illo.*] Lego, *non coiisti cum illo.* Idem.

3 *Uxor est, cujus viro matrimonium factum.*] Lego: *pactum est.* Idem.

*tas vitæ adjecta non quidem mentitur, sed adsicit necessarium: ita illud quoque, nuptiis collocata, efficit uxorem: sed non hoc solummodo erit. Fingamus enim nuptias quidem feciſſe nullas, coiſſe autem liberorum creandorum gratia: non tamen uxor non erit, quamvis nuptiis non sit collocata. Videamus igitur, si iſta supervacua & circumfusa sunt, finitio huic nomini sufficit: neque enim hoc intueri debetis quid deſit, sed quid satis eſt.*

## DECLAMATIO.

DIxi uxorem eſſe cujus cum viro matrimonium factum eſt. Quid amplius? Nam ſicut coitus atque congreſſus citra jus non efficeret uxorem, ita uxor etiam citra hæc manet. Id ex quotidianis & in frontem incurrentibus approbari poteſt. [1] Nam ut ab ipſis incipiam: comprehendo uxorem duxiſſe dici hoc ante noctem, hoc ante congreſſum, hoc primo ſtatim jure, & fortaſſe in aliis poſſit videri neceſſarium expectare, [2] hæc de [3] nuptiis convicimus. Eſt quidem jus patrimonii explendum, tamen expecto & circuitum, & quod id peto, matrimonium jungendum, hæc in ejuſmodi conditione non ſunt expectanda, quin anteceſſerint. Raptor ſi non occiditur, jam maritus eſt. Id ſic quoque accipitur: qui maritus erit, non eſt cœlebs: quæ uxor, non vidua aut virgo. De utraque vos perſona ergo volo interrogare. Putemus ſtatim optione finita quæri de adoleſcente. Diceresne illum eſſe cœlibem? at ſi diceres, ille occurret. Dic igitur cœlibem: uxorem poteſt aliam duce-

1 *Nam ut ab ipſis incipiam.*] Forte: *ut à confeſſis incipiam.* Gronov.

2 *Nuptiis convicimus.*] Lego, *Communibus.* Communes nuptias vocat quæ fiunt jure communi, non illo ſingulari ex lege raptarum. *Pith.*

3 *Hæc de nuptiis convicimus.*] Pithœus *communibus.* quæ ſcilicet fiant jure communi. Non placent *communes nuptiæ.* Neque hac tantum parte laborat locus. corrige: *hoc primo ſtatim jure. Et fortaſſe in aliis poſſit videri neceſſarium exſpectari hæc. De nuptiis convenimus. Eſt quidem jus matrimonii expletum: tamen exſpecto & coitum & id, quod peto, patrimonium jungendum. Hæc in ejuſmodi conditione non ſunt exſpectanda, quum anteceſſerint.* vel *quia anteceſſerunt. Exſpectari hæc*, quæ dixerat, *noctem, congreſſum* & cohabitationem. Ut, inquit, exempli gratia: pactæ ſunt nuptiæ. tum quidem jus matrimonii, &c. Multis hæc probare poteramus: ſed feſtinamus: & ſapienti ſatis. *Gronovius.*

ducere: virginem hanc aut viduam, non diceres. At de altera quæri supervacuum est: si viduam, interrogo an esset aliquis cujus nuptiarum habitura esset jus puella: crederem igitur neque illam virginem esse constare, & illum non esse cœlibem, si hæc uxor & ille maritus. Nunc quæro, cujus ille maritus, cujus hæc uxor. Nuptias tamen in domo. Nuptiæ in aliis sint sane necessariæ: quanquam ne id quidem utique jus exigit, causam tamen in domo hanc habeto ostendendæ voluntatis, filiam tibi aut [1] eam ipsam conjungi quæ sui habet potestatem. Hoc quod nuptiæ efficiunt, optio fecit: videamus an etiam fortius atque vehementius: quippe illic voluntas, hic etiam necessitas quæritur. Ausim dicere utique in hoc genere litis, nullas esse digniores quæ retineant maritorum hæreditates quam eas quæ uxores ex raptu esse cœperunt: quoniam post raptum nulla uxor est nisi beneficio suo: ac forsitan inde etiam lex ista descendit. Ad illa libet pervenire ad quæ pars diversa vocat. An hæc digna sit quæ uxoris nomen accipiat: si hoc tantum dicerem, meruit hæreditatem pro injuria, posset tamen videri hæreditas ista genus quoddam satisfactionis. Amata est ab adolescente. Debet quoque hoc valere in portione litis hujusce, nihil ille maluit, quam ista bona, etiam si viveret, esse communia. Ille fecit his bonis hanc legem, Speravit de ea adolescens. Ideo rogare ausus est. nuptias petiit puella: non dico nunc de jure: cogitate quantum beneficium dare voluerit: imo quod ad ipsam pertinet, dederit: remisit injuriam ruptæ virginitatis ea, [2] cui lex & mortem vindicare permisit. Sed sero hoc dedit. Etiam si hujus tarditate factum esset, non illius festinatione, noli tamen mirari pudicam, si castitas non statim iræ suæ imperare potuit, satis præstat rapta quæ non cito optat. At enim jam vulnerato optavit, quoniam moriturum sciebat:

1 *Eam ipsam conjungi*, & postea, 20. *vocat. an h. d. s. q. v. n. accipat. Si* Pith.

2 *Cui lex & mortem vindicare permisit.*] Lege, *morte vindicari.* vel *vindicare*, scilicet illam injuriam. *Gronov.*

bat: captavit hæreditatem. Num igitur animum puellæ à primis temporibus raptor ignoravit? Magnum clementiæ argumentum. Cui potestas adeundi magistratus statim emissa continuo vox, qua se & injuriam suam ulciscereturr, finiret onera pudoris sui, audit rogantes diu: primum hoc præjudicium ejus est quæ exorari possit. Rogari velle, pro rogato est: hoc [1] tantum non satis erat, Judices, si dicerem, Non negavit. Atqui dolor erumpit, & nunquam ira fere silentio continetur. Miseret me adolescentis optimi alioqui & nimis verecundi, quod sic animum ejus interpretamini: satius erat dicere, Non negavit. Audeo dicere, illud promisit, neque unum promittendi genus est. Voluntas hominum non tantum voce signata est. An vero si manu promisisset, [2] an vultu annuisset, dedisse fidem & confirmasse spem [3] puella videretur, quæ facie affectum, quæ totis oculis misericordiam prodidit? flevit: idem fecit quod illi qui rogabant, ad mentionem periculi, ad mentionem carnificis, uberes lacrymas profudit, certe non video affectum qui occidat. Sed tacuit: alioqui hoc vos exigebatis ab ea, quæ modo virgo fuerat, quæ hoc nomen paulo ante perdiderat, ut de nuptiis loqueretur, nisi ubi necesse erat? Ea post vulnus optavi. Ecce majorem misericordiam: suscepit raptoris sui misera curationem: queritur quippe de fortuna, quod beneficium perdidit: [4] neque enim divellere poterat tam alte exactam manum: misera

1 *Tantum non.*] Leg. *tantumnon*, uno vocabulo, quod etiam pluribus auctorum veterum locis ignoratione corruptum est, non modo apud Valerium Maximum, sed & apud Senecam, Asconium & Suetonium Tranquillum qui & eadem forma *tantumquod* dixit pro, vixdum, ut Marcellinus, *modonon*, quod pluribus hic persequi non est instituti nostri. *Pith.*

2 *An vultu.*] Leg. *aut vultu*, vel, *an si vultu*, *a. d. f. s. c. s. p. videretur. Quæ facie a. q. t. o. m. prodidit*, *flevit*, *idem fecit.* Idem.

3 *Puella videretur*, *quæ facie.*] Video quid Pithœus: sed hic demum excidisse verba censeo, quæ sic auctori restituenda sunt: *An vero si manu promisisset*, *aut vultu annuisset*, *dedisse fidem & confirmasse spem puella videretur*, *non videbitur*, *quæ facie affectum*, *quæ totis oculis misericordiam prodidit? Flevit. idem fecit*, *quod illi*, *qui rogabant.* Gronov.

4 *Neque enim divellere.*] Scribe: *neque enim divinare poterat tam alte exactam manum.* Idem.

sera existimabat hoc eum feciſſe cauſa miſerationis: pervenit tamen aliqua ad illum lætitia datæ ſalutis: etiamſi brevis, tamen grata eſt voluptas. At voce ejus audita certe oculos ſuſtulit: ſi nihil aliud, hoc certe ſolatii tulit, non mori ſe tanquam damnatum: non illum quamvis ſemianimem atque palpitantem invaſit carnifex, vulneratum cruentumque per ora populi traxit, non illud caput vel exanime lege reciſum eſt: pro immitis, qui de ſumma clementia tam triſte fecit exemplum.

## CCXLVIII.

### *Octo anni [1] duplicis imprudentiæ.*

IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXULET. EXULEM INTRA FINES LICEAT OCCIDERE. Qui cædem per imprudentiam commiſerat, abiit in exilium: ibi tertio anno exilii aliam cædem ſimiliter commiſit: explevit tempus quinquennii ex eo tempore quo iterum occiderat. Redeuntem illum poſt octavum annum occidit quidam intra fines. Reus eſt cædis.

### Declamatio.

NON continuo occiſus homo ad crimen & ad damnationem pertinet, cum hoc interim legibus facere liceat. Quotiens autem licet etiam oportet. Exulem occidere intra fines licet. Id jus dupliciter efficitur. [2] Aut enim redit [3] cui omnino licet, aut non redit niſi licet: neſcio an ex iis duobus etiam juſtius videatur occidi cum redit contra leges, qui aliquando jure rediturus ſit. Illum enim ſane cupiditas patriæ & ultima deſperatio cogat aliquando furtum facere juri. Præterea cum aut ita revertantur exules tanquam in hoc fallant, aut ita tanquam his facere liceat [4] aliquando magis ii occidendi ſunt, qui palam contra jus revertuntur. Illis enim remiſſum furtum non utique nocet in exem-

1 *Duplicis imprudentiæ.*] Vet. *dulcis.* Pithœus.

2 *Aut enim redit, cui omnino.*] Forte, *Aut enim redire ei omnino non licet; aut non redit, niſi cum licet.* Gronov.

3 *Cui omnino licet.*] Videtur leg. *cui non licet.* Non eſt nova horum verborum permutatio in veteribus libris. *Pith.*

4 *Aliquando.*] Lego: *aliquanto.* Idem.

exemplum, neque is qui se agnoscit contra jus reverti, diu intra fines mansurus est. Is vero qui contra legem sciens redit, tentat jura vincere, & in impudentia sua perseveraturus est, Videamus nunc, [1] an sicut cum decessisset, occisus est, reverti tempore illo liceat. IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXULET. Utrum hoc intelligimus singulis cædibus quinquennium esse constitutum? an interest aliquid quotiens quisque peccaverit? nulla invenietur ratio qua duæ cædes octo annis exulatum efficiant. Nam si imprudentis cædis damnatum quinquennio exulare oportet, nihil intererit quot quisque occiderit. Ego igitur hoc dico, Quotiens commissa sit cædes, totiens quinquennium esse ponendum: & hoc satis firme [2] tueri alienarum rerum exemplo possumus. Fingamus talem legem, ut qui furtum fecerit, solvat quadruplum. Ponamus quamlibet pœnam ei qui injuriarum fuerit damnatus. Num dubium est quin quotiens injuriam commiserit, totiens passurus sit & pœnam? Ergo si animadversio contra singula delicta constituta est, hic bis deliquit, bis puniri debuit. Decem annis exilium implere debuit. Sed ex eo, inquit, tempore quo sequentem cædem commisit, quinquennium explevit. Nihil mea refert utrum sequenti cædi non reddiderit tempus, quod debebat etiam priori. Nam si quinquennium ex triennio numeras, illud prius non est satis plenum: si adsignas priori cædi suum tempus, non cœpit exulare sequenti cædi nisi post quinquennium. Explica enim mihi medium illud biennium, an hoc dicis, nihil interest? Dic mihi, quo modo magis exulaverit quam si unum occidisset. Quod est istud contra leges compendium, ut idem illud biennium prioris pœnæ ultimum sit, sequentis primum? Libet interrogare tanquam præsentem. Illo medio tempore utri exula-

1 *An sicut cum decessisset.*] Conjicio, *Videamus nunc, an huic, qui, cum rediisset, occisus est, reverti illo tempore licuerit.* Gronovius.

2 *Tueri alienarum rerum exemplo.*] Emenda, *aliarum.* Idem.

exulasti: cujus hoc morti lex præstitit? Fingamus enim duos statim occisos, ut duos, ita etiam plures, & ad quemcumque numerum: nulla differentia est, inter eum qui in uno lapsus est, & eum qui satisfactionem pluribus debet? IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXULET. Ista ratione statim poterat post quinquennium redire, siquidem hoc dicere satis est, Cædem imprudens commisit, quinquennium exulavit. Videamus nunc quam rationem secuta sit lex constituendæ ejusmodi pœnæ, quam mehercule videtur mihi [1] priore clementia, quam justitia constituisse [2] pro morte [3] hominis innocentis, pro vita quinquennio denique constituit absentiam. Ego quidem impudentiam illius vel in hoc mirari satis non possum, quod festinavit tam cito in patriam reverti. Est enim ut sibi aliquis unum casum remittat, & semel lapsus errore se humanæ necessitatis excuset: hic vero, qui commisit iterum idem, quo exilium meruit, computatis diebus atque horis legem tantummodo inspexit, non etiam crimina sua numeravit, nihil verecundiæ suæ adjecit, nihil pudori. Quis autem indignari potest eum interfectum qui occiderit duos? Nam si ulla hoc loco miseratio est, debet esse pro illis. hæc dicerem tanquam de eo ad quem lex pertineret quæ cædem imprudentem damnaret, lex quomodo constituit? IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXULET. Nihil mea interest, an imprudens occiderit. [4] non enim justitia constitutum est, ut qui imprudens occiderit, quinquennio exulet: sed qui cædis damnatus imprudentis sit, quinquennio exulet. Hominem occidi in exilio fortasse imprudens. constitui tamen oportuit ab imprudente esse occisum. Nam quotiens

1 *Priore clementia quam justitia.*] Lego, *majore.* Gronov.

2 *Præ morte.*] Lego, *constituisse pro morte hominis innocentis, pro vita denique? quinquennii const.* Pith.

3 *Hominis innocentis, pro vita.*] Excidit vox *nocentis*, hoc modo: *Pro morte hominis innocentis, nocentis pro vita quinquennii constituit absentiam.* Gronov.

4 *Non enim justitia constitutum est.*] Lege: *Non enim ita constitutum est.* Idem.

tiens aliquis interfectus est, aut id quæritur, an omnino interfectus sit ab eo qui arguitur: aut id, an ab imprudente, aut [1] per imprudentem sit interfectus. hic quidem certum esse pronuntiari oportuit. non modo alterum quinquennium debuit legi, sed perpetuam pene pœnam. Imprudentis cædis damnari, genus absolutionis est. hoc illi non contigit. Remittamus tamen in præsentia perpetuam pœnam. De illo quis dubitabit, non posse eum damnari nisi post exactam jam quinquennii proprii pœnam? Fingamus illi quinquennio peracto redire licuisse: accusari tum debebat, tum damnari, cum in alterum quinquennium abiisset. Et, rogo, quid interest idem istud quo tempore exilii fecerit? Si peracto jam quinquennio, aut in fine certe quinquennii hominem per imprudentiam occidisset, num dubium, quin vobis confitentibus alterum quinquennium erit debiturus? Ita bene illi cessit, quod hominem citius occidit.

## SERMO.

*Hæc fere sunt quæ in themate [2] sunt posita. Ut imprudens occidisse videatur, supervacuum habeo quærere quicquam de animo illius, quamvis duos occiderit.*

# CCXLIX.

## *Abolitio adulteri fortis.*

NE LICEAT CUM ADULTERA MARITO AGERE, NISI PRIUS CUM ADULTERO EGERIT. Cœpit agere maritus cum eo quem adulterum esse dicebat. Bellum incidit. Inter moras judicii fortiter pugnat is, qui accusabatur. Petit præmii nomine judicii abolitionem, impetravit. Vult agere cum adultera, CD.

## SERMO.

*An semper cum adultero prius agere necesse sit, an hic egerit, an etiam si quid defuit actioni, quoniam tamen publico judicio interceptum*

1 *Per imprudentem.*] Malim, *per imprudentiam.* & paulò post, *sed ab imprudente ista esse pronuntiari oportuit.* Pith.

2 *Sunt posita, ut imprudens.* Idem.

*ceptum est, non debeat hujus actionibus nocere. quæ mens fuerit præmium dantis Reip. utrum uni abolitionem judicii, an* [1] *per conjecturam utriusque & adulteræ dederit. Summum quod in omnibus controversiis est, utrum æquius sit.*

## Declamatio.

Adulterii ream defero. puto, hoc auribus vestris non novum crimen est quod satis est, non ab hac cœpi. qualem causam pertulerim, sic æstimare potestis. petitur altera abolitio. ille optavit: hæc præscribit. neuter negat. postea videbo an isti oporteat tantum præstari quantum viro forti. Interim semota personarum ratione, ipsam excutere legem volo. Ne liceat, inquit, cum adultera agere marito, nisi prius cum adultero egerit. Differo illa, quæ fecit. Differo, quæ passus sum, hoc in præsentia dico, non utique semper exigi ut prius agatur cum adultero. Id vobis, judices, facillime, persuaderi poterit, si non tam injustos, neque tam imprudentes existimatis legum latores fuisse, ut necessitate præstringerent ea, quæ præstari non possent. Satis sine dubio lex ipsa dicendo, Ne prius cum adultera agatur quam cum adultero actum fuerit, ostendit se de his loqui, quorum uterque accusari potest. Admonebo tamen uno aut altero argumento, quantam lex ipsa, si ita accipitur, passura injuriam sit. Fingamus enim adulterum vel sua voluntate, vel ita interveniente fato statim decessisse: hoc justum poterit videri, ut quoniam alterum debito supplicio fata subtraxerint, altera quoque impunitatem mereatur? Fingamus alterum conscientia criminis profugisse, nullo modo facere sui potestatem, nunquid exigetis ut ideo cum adultera non agatur, quoniam adulter crimen verum esse confessus sit? Nullo modo id justum videri potest, nam is qui dicit, Cum adultero prius agere debes,

1 *Per conjecturam utriusque.*] Malim, *utriusque Idem.*

bes, illud dicit, Prius cum adultero age. Fingamus enim vel à te ipsa, vel ab alia nobis adulterii rea hanc quoque proponi præscriptionem. Nonne illa patronorum defensio firmissima erit, Habes adulterum, lex te ab illo ordiri jubet: quid transilis? hoc in hanc non potest dici. Quis igitur credat ejus conditionis esse jura ulla, ut aliquid non liceat & necesse sit? Nam si mihi hoc ab ea dicit, Accusa prius adulterum: [1]ad te venio. Respon. accusare adulterum volo: hæc dicerem si non inchoassem, si nihil fecissem. Nunc egi cum adultero, & si contentus essem voluntate legis, agere volui, per me non stetit. Habet lex animum meum. Cœpi, egi, nec lex utique ullo scripto hoc comprehendit, ut mihi necesse sit agere usque ad finem. Nam etsi judices consedissent, & absolvissent, ego tamen egeram. Apparet igitur non exitu judicii constare actionem, sed introitu. Igitur si absolutus esset is quem tuum adulterum dicebam, agere mihi tecum licebat, & ista præscriptio nulla esset. Nunc non licebit agere, quia se confessus est absolvi non posse. Egi. Puta enim eadem statim die qua reum detuli, interrogari te: quid faciam? an ante cum album descripsi, cum judices rejeci, per illas omnes moras judiciorum longas nimium & pro nocentibus compositas, quid aliud feci quam ut agerem? non inficiaberis me agere cœpisse: quid * qui agere cœpit, quia semel contigit, num cum agere cœpi: neque enim videri possum agere cœpisse nisi egissem: ergo quantocunque tempore egi, nihil obest non consummasse, neque enim eum qui non vicit, negaveris pugnasse: neque eum qui fructus non percepit, negaveris possedisse: aut eum qui naufragium fecerit; negaveris pugnasse. Sed abolitionem petit: vel hoc argumento satis justo probare possum egisse me. Tum igitur cum abolitio petebatur quid ego eram? Actor, ut opinor, & accusator. Quid ille erat? Reus opinor. Atqui hoc nomen nunquam

1 *Ad te venio. Respon.*] Forte: *Nam si mihi hoc ab ea dicitur, Accusa prius adulterum; respondeo, Ad te venire accusato adulterio volo.* Gronovius.

quam in eum adversum quem non agitur, cadit. Tu hodie quid pugnas? ne adversus te agere incipiam? Nam eventus ut tu vis videri, dubius est. Contra multa accidere possunt adhuc propter quæ judicium ipsum non agatur. Præscribis tamen ne agam, id est, ne nomen tuum deferam, ne te legibus obligem: cum igitur tecum acturus sim, si statim cum illo jam egissem, putemus non contineri actionem non finito judicio. [1] Si tamen mea culpa accidit quo minus judicium finiretur, satis injuriæ passus sum in priore judicio, & potest apud æquos judices pro actione perfecta haberi: quoniam mihi agenti consummare non licuit. Dixi igitur ea quæ ad causam pertinebant, neque semper priorem adulteram accusari posse, & à me actum esse, etiamsi non esset perfecta actio, tamen quoniam republica interveniente & lege viri fortis perfecta non esset, proinde eam haberi oportere, ac si ego feciſſem, quicquid volui: propius accedere ad confessionem hujusce rei volo. Crimen adulterii duos continet. Ex iis necesse est qui cum adultero prius agit, agat & cum adultera. Num igitur hoc mihi dicere potest? Prius me agere tecum non oportet: secundo te loco ream detuli, secundo loco produxi ad magistratus. At quicquid secundum est, habeat aliquid prius necesse est: hæc natura ita sunt copulata, ut si cum adultero egi prius, tecum agam: si non egi, ago tecum prius, tanquam cum adultero jam egero. Reliquum est intueri, judices, voluntatem quoque reipublicæ, quæ fuit tempore illo, quo præmium dabat. Petit abolitionem vir fortis, ut opinor, sibi, nec potuit accipere nisi quam petit. Alioqui si hoc tempore suam abolitionem petisset & tuam, primum omnium duo præmia petisset ut quantumlibet meritis ejus deberemus, nemo tamen passus esset duplici præmio unam honorari militiam. Tuam abolitionem quare ipsi concesserimus? Nam abolitionis illi concedendæ ratio quædam fuit. Etiam si peccavit, etiam si gravem uni fecit injuriam, rede-

1 *Si tamen mea culpa accidit,*] Immo, *non accidit.* Idem.

redemit tamen virtute, redemit sanguine, redemit vulneribus. In te quid spectavit abolitio? quod vitiis tuis & cupiditate illum quoque bonum alioqui, ut apparuit, civem adulterum fecisti? Scio, judices, hactenus pertinere actionem ad hodiernum judicium, nec quæ sum objecturus, cum mihi accusare permiseritis, hodie dicenda sunt. Quomodo deprehenderim, quos testes relinquo: illud tantum, qualem hanc putetis esse fœminam quæ defendi noluit. Quanquam hoc jam prior ille confessus est, qui cum fortiter feciſſet, cum recenti meritorum gratia niteretur, plus tamen putavit apud vos valere virtutem, & religionem, & fidem vestram, sicut vere putavit. Hodierno igitur judicio apparebit an illi abolitionem petere necesse fuerit. Non estis exhortandi mihi ad tuendam castitatem, civitati ante omnia necessariam. Matrimoniis, etiam si ego tacuerim, scitis contineri civitatem, his populos, his liberos & successionem patrimoniorum, & gradum hæreditatum, his securitatem domesticam: quomodo enim peregrinabimur, quomodo ad colendos discedemus agros, quæ nobis securitas dabitur suscipientibus legationes publicas, euntibus in militiam cum frequenter bella sint? potest vobis contingere ut & præmium viro forti dederitis, & tamen adulterium vindicemus.

## CCL.

### *Sortitio ignominiosorum.*

QUI INJURIARUM DAMNATUS FUERIT, IGNOMINIOSUS SIT. IGNOMINIOSO NE QUA SIT ACTIO.

Duo adolescentes invicem agere cœperunt. Sortiti sunt utrius judicium prius ageretur. Is qui sorte vicerat egit & damnavit injuriarum, damnato agere volenti præscribit.

SERMO.

*Patronum necessario dabimus. Nam etiam ut agere illi liceat, est tamen ignominiosus.*

DECLAMATIO.

IGNOMINIOSO NE QUA SIT ACTIO. Si hodie primum deferret, necesse habebat pati conditionem for-

tunæ ſuæ, nunc præſcribendi tempus abiit. Tum enim præſcribere debuiſti, ſi poteras cum [1] delatus es. Et in hoc ipſum præſcribere, ne deferret, neque enim ulla præſcriptio inchoata judicia peragi vetat, ſi inchoari aliquando prohibet. Actio iſti cui præſcribis, data eſt: nec data ſolum, verum etiam inchoata. Invicem rei fuiſtis. Quid enim? tu initium putas actionis cum judices conſederint, cum ad dicendum ſurrexerit orator? Minime: [2] hæc enim tu feciſti felicitate actionis, & lex quæ ignominioſo non dedit actionem, hoc ſpectavit, ne omnino in cauſam educendi poteſtatem haberet, ne reum faciendi, ne in periculum perducendi. Quæ ſi omnia jam facta ſunt, tempus præſcriptionis tranſiit. Accedit aliud quod quærendum eſt, IGNOMINIOSO NE QUA ACTIO injuriarum earum quæ factæ ſint poſtea quam ignominioſus eſſe cœpit. Fecit injuriam aliquis ei, fecit fruſtra ignominioſo: videtur minus peccaſſe, quam ſi aliquem civem, cui integer ſtatus eſſet, læſiſſet. [3] Hunc contemptum utique noluit damnationis lex eſſe, niſi poſt damnationem. Hoc autem, de quo quæritur, confitearis oportet, actum eſſe ante damnationem: tam ignominioſo noluit eſſe actionem, quam ignominiæ vindictam: ut ſi jus emendi auferretur damnato, manerent tamen ea, quæ emiſſet antequam damnaretur. Ergo non tempore præſcribis, nec perire ea cauſa poteſt, cujus origo ante damnationem eſt: hæc dicerem cuicunque & in quacumque actione. Tecum agere invicem cœpit, & agere cœpit injuriarum. Quantopere autem voluerit hujuſcemodi peragi judicia legum lator oſtendit, cum injuriarum damnatum ignominioſum eſſe voluit. Quare ſi apparuerit te malam cauſam habere, incipis rem iniquiſſimam poſtulare, ut, tales pœnas quales præſcribis, patiatur. Nam ſi tam gravem rem & tam intolerabilem lex

1 *Delatus es, & in hoc.*] Et poſtea, *vetat, etſi inchoari.* Pith.

2 *Hæc enim tu feciſti felicitate actionis.*] Lege *felicitate ſortis*, vel *ſortitionis.* Gron.

3 *Hunc contemptum utique noluit damnationis.*] Lege, *damnatis.* Gronov.

[1] lex injuriarum putavit, ut ei qui commisisset tale delictum, omne jus pœnæ auferret; quærendum de eo quoque est quod etiam forte factum est ut prior ageres, non quia atrocius erat quod querebaris. Quid porro? hac ipsa sorte non hoc quæsitum est, uter prior ageret? Jam hoc ergo, de quo contendimus, constitutum est. Illa enim sorte duo judicia ordinata sunt: & tum, cum accusares, eras reus & proximo loco reus. [2] Hæc ad jus, illa ad æquitatem: quid adeo justum quam te damnari, si injuriam tum feceris? non enim ignominioso feceris, & fortasse per te stetit, ut injuriam hic quoque faceret: alioqui tu si quam fiduciam haberes innocentiæ tuæ, nonne his ipsis quibus excludis illum, confideres? quid times? accusabit te, neminem postea accusaturus: cæcidit te: fecit injuriam: confitebimur: probabimus tamen istud jure accidisse. Quanta diffidentia in te causæ est, qui post ista trepidas? & in nobis quanta fiducia, qui post hanc infelicitatem, post hanc fortunam confidimus dignos nos apud judices futuros, qui vindicemur? Iniquissimum alioqui est tantum fortunæ sortis illius licuisse, ut hoc videatur quæsitum, uter ignominiosus esset.

## CCLI.

## *Rapta sterilis repudiata.*

INTRA QUINQUENNIUM NON PARIENTEM REPUDIARE LICEAT. INIUSTI REPUDII SIT ACTIO. Quidam uxorem, quam ex raptu habere cœperat secundum optionem, intra quinquennium non parientem dimisit: agit illa injusti repudii.

### DECLAMATIO.

INjusti repudii accuso. Neminem adeo fore alienum à bonis moribus credo, qui dubitet parum istud injuste factum esse, quod quæ summum dederat beneficium vitæ, ne id

1 *Lex injuriarum putavit.*] Scribo: *Nam si tam gravem rem & tam intolerabilem lex injuriam putavit.* Gron.

2 *Hæc ad jus, illa ad æquitatem.*] Hujusmodi plerisque in locis Sermonis videntur esse, non declamationis. Qua in re tamen vet. exempl. bona fide secuti sumus. Sequitur, *Quid adeo justum est.* sic enim lego. *Pithœus.*

ne id quidem obtinuit apud maritum, quod præstitit. Itaque [1] calumnia resistit & impugnat justum esse repudium, quod maritus jure aliquo fecerit. Ego porro non hanc interpretationem istius verbi video, ut jura spectanda sint, sed illud aliquando, uti justitia spectetur. Nam illud injustum repudium est, quod justitiæ contrarium est, veruntamen si ad illa revocemur jura, nihil tamen ad hanc pertinebit. Istam enim legem & hoc beneficium habeant fortasse ii qui nuptias ex æquo fecerunt, qui tradentibus parentibus, ad eos vero, ad quos necessitas pertinet nuptiarum, nihil ista lex. Non magis enim repudiare licet, quam non nubere liceret. Duas enim pœnas adversus raptores constituisse lex videtur, alteram mortis, alteram nuptiarum: leviorem hanc, & beneficio propiorem: & tamen illam non sine necessitate. Quod si lege non defenderis, profecto injustum divortium est. Sed fingamus te lege defendi: reliqua hæc sit quæstio, an facere debueris. Beneficium te accepisse summum manifestum est: vitam tibi dedit læsa, dedit vitam juste irata, dedit vitam perituro per supplicia, per dedecus. Pro his nihil non præstari oporteret [2] uxori? Quid aliud exegit quam ut uxor esset? At enim non pariebat intra quinquennium. Si tibi eam parentes collocassent, aut ipsa nubendi tempus elegisset, dicerem, non semper fœcunditas properat? aliquando dilata veluti pleniores fructus reddit. Hæc vero & rapta est antequam destinaretur, antequam idonea nuptiis videretur, & habuit maritum in amores præcipitem, in cupiditates pronum: & cum invisa fuerit marito, potest videri quod non peperit, pudicitia, non sterilitate fecisse. Tu porro quicquid licet, statim putas esse faciendum: quicquid asperrimum leges, quicquid crudelissimum habent jura, occupas: voluisses animum talem fuisse puellæ illo tempore quo ad genua jacebas? Hæc vero non tantum marito, sed etiam

1 *Calumnia resistit & impugnat.*] Scribe: *& pugnat.* Gronovius.

2 *Uxori? Quid.*] *Uxori. quid.* Pith.

etiam reip. reddere plenam potest rationem. Nam etiam si non habet filium, adservavit tamen juvenem, tamen hominem, tamen civem.

## CCLII.

## *Parasitus raptor candidatæ.*

INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. RAPTOR X. MILLIA SOLVAT, Pauperis & divitis filia sacerdotium petebant. Rumor erat, futurum ut pauperis filia sacerdos crearetur. rapuit eam parasitus divitis. X. millia accepta à divite solvit è lege: accusat pauper divitem Inscripti maleficii.

### SERMO.

*Pleræque controversiæ sub hac lege positæ duas quæstiones habent, ex ipsis earum verbis tractas: an inscriptum sit quod objicitur, & an maleficium sit quod frequenter dixi, non semper utramque, quoniam fere ubi de inscripto constat, quæri solet de maleficio: si de maleficio convenit, in controversiam venit, an inscriptum sit. In hac controversia tertia quoque adjiciatur quæstio necesse est, quæ generalibus constat duabus, An hujus maleficium sit, sed pro hac media eximitur: non enim quæri potest an sit maleficium, neque enim in rerum naturam cadit, ut quisquam mortalium id maleficium neget, cujus pœnam solutam esse contendat: quæremus ergo an inscriptum sit, & an hujus maleficium sit.*

### DECLAMATIO.

INscripti maleficii agitur: cum maximam partem defensionis adversarius in hoc ducat, ut inscriptum esse maleficium neget, poterat brevi conditione decidi, ut diceret qua alia lege [1] cum alio consistere potuerim: nunc, callido & vetere ac diu jam excogitato consilio, legem non ad reum refert, sed ad crimen, & tanquam ego nihil aliud, quam de amissa virginitate filiæ querar, recitat legem, quæ contra raptores scripta est. Ego autem, etiamsi cum ipso agerem, qui rapuerat, poteram tamen non contentus X. milli-

1 *Cum alio consistere.*] Lege, *cum illo.* Gronovius.

X. millibus, quæ accepi, in argumentum inscripti maleficii lege agere etiam cum parasito. Lex enim, quæ X. millia solvere raptorem pro ablata virginitate voluit, contra eos scripta est, qui nihil aliud egerunt. Differunt autem hæc & personis, & temporibus, & locis. Nam ut pulsatus civis injuriarum aget, si magistratus erit, [1] majestatis crimen obligabitur: si legatus erit, bello vindicabitur & jure gentium: & eadem pecunia sublata ex privato, furtum erit: ex sacrario temploque sacrilegium. Sic raptor ejus, quæ nihil aliud quam virginitatem ultum ibit, X. millia solvet: alia erit conditio ejus, qui rapuerit in comitiis, qui rapuerit eam, quæ sacerdotium petebat; immo, ne ingratus sim adversus beneficia populi, jam quantum in illo erat, acceperat, longa ratio est. quoniam in argumentum tantummodo causæ hujus de injuria parasiti loquor. Tu autem mihi non debes recitare legem, quæ contra parasitum scripta est, cum quo non ago, sed contra te qui inscripti maleficii reus es lege. Neque enim hoc, quod dicitur raptorem X. millia è lege solvere oportere, ei solvis qui dicat, Rapuisti: qui dicat, Raptorem summisisti: sed ei, qui dicat, Comitia turbasti: sed ei, qui dicat, Sacerdotium abstulisti. Hæc crimina si quam aliam legem habent, transfer sane actionem meam; si nullam eam habent, cur præscribis adversus majorum diligentiam & exquisita ingenia quæ scripserunt? Est igitur inscriptum. An maleficium sit, si modo ista quæ objeci vera sunt, neminem dubitaturum arbitror. Illud tamen & judicio non alienum & affectibus meis necessarium est dicere, quantum maleficium sit. Diligentissime majores hanc videntur excogitasse legem, quod cum scirent nullam tantam esse prudentiam, [2] nullam immo tam certam divinationem, ut omnia quæcunque ingeniis majorum excogitari unquam potuissent, providentia caventium videret: hac lege omnem

1 *Majestatis crimen.*] Leg. videtur, *crimine.* Pithœus.

2 *Nullam.*] Leg. *Nullam imò tam certam d. ut o. q. ingeniis malorum.* Idem.

omnem malitiam, veluti quadam indagine, cinxerunt, ut quicquid aliarum legum effugisset auxilium, quasi extrinsecus circundaretur. Ego autem, judices, non de his qui hanc legem conscripserunt, sed de ipsa rerum natura queror? in ipsis inscripti maleficii reis nullum discrimen esse servatum. Summisit aliquis raptorem. Inscriptum maleficium est. quid pœnæ adjicitur, quod adversus petitricem, quod adversus eam quæ sacerdotium, ut dixi, jam prope acceperat? tantum etiam in ipsis suppliciis habiturus lucri, in compendio numeret quod plus malefecit. Reliqua igitur una quæstio est, an hoc quod filiam meam rapuit, quod illo tempore, quod post illud populi judicium, credatis non à divite effectum. Nihil argumenti ex moribus istius ducam, etiamsi qualis sit, quam dissolutus, quam luxuriosus ac perditus, argumenti satis vel uno argumento probari potuit: Parasitum habuit. Inter hæc ut opinor posita est religionis vestræ cunctatio, judices, ut despiciatis utrum parasitus sua voluntate, an quoniam id diviti præstabat, rapuerat. Parasitus rapuit. Quid ais? tantum illi vacuit, adeone saturitate apud te exundavit: ut vilia scorta non quæreret, qui omnibus contentus est? an solus oculos ad ingenuas & ad virgines, & aliquem etiam petentes honorem attolleret? Nunquam hercule tam felicem istam servitutem esse crediderim, ut impetus ad illicitas libidines haberet. Hoc dico, hanc tantum vult rapere parasitus: age

1 *Argumenti.*] Delendum videtur *argumenti* & paulo post leg. *tantum illi vacavit.* Idem. *Argumenti.*] Et argumentum & initium hujus declamationis desideratur: sed partim ex eo quod reliquum est, partim ex argumento declamationis CCCLXX. infra, & ex Seneca lib. 2 Controv. 2. thema colligi & restitui potest hoc modo:

*Sacerdos casta è castis, pura è puris sit.*
*Qui ingenuam stupraverit, det decem millia.*
*Inscripti maleficii sit actio.*

Pauperis & divitis filiæ petebant sacerdotium: rumor erat pauperis filiam futuram sacerdotem. Eam parasitus sub diem mysteriorum submissus à divite, rapuit. Dives pro parasito obtulit decem millia: inscripti maleficii reus est. De hac pœna decem millium Fabius noster Institutionum orat. lib. 4. cap. 2. ea primùm lege Scatinia constituta est. Porro quid sit scriptum sive inscriptum maleficium, vide Decl. 344. *P. Ærodius.*

age non vultis adjiciam illud, Unde manus illa qua expugnati sumus? unde tantus ac tam prorsus domus tuæ tumultus? unde denique [1] solvet quod lege debetur? Si credibile est quod opponitur, jam [2] certe relictum est, ut ea parte fecerit. Et hanc tamen partem excutiamus. Submisit raptorem: habuit enim causam: eundem honorem virgines competebant, nostra filia submoveri aliter non poterat. Si incerta populi judicia, non professæ palam sententiæ essent, dicerem [3] tanti tibi fuisse vel securitatem vel indignationem. Nemo est tam arrogans sui æstimator, ut accessurus ad comitia, & periculum sortiturus humanitatis, non malit [4] sine adversario esse. Hæc de incertis judiciis dicerem. Quid si ad securitates & indignationes accedit metus? manifestum erat non futurum sacerdotem filiam tuam. Forte argumentis hoc colligo: longa & difficili conjectura probandum puto. Loquutus est populus. Si alia quæcunque mihi fama defendenda foret, dicerem tamen, judices, rem esse miraculo similem, quod cum pauci ad vos testes producuntur, fidei vestræ jurisque jurandi satis idonei auctores habentur: quotiens vero civitatis universæ consensus, & omnes, qui intra hanc sedem sunt, unum aliquid certumque dixerint, rumor vocatur. in aliis fortasse falli ista possunt: utique verum dicit fama, quę de se loquitur. Quis enim loquebatur? populus: de qua re? quam facturus erat populus. Cum de comitiis consentiunt rumores, de se quisque dicit, hæc fiet: hoc est dicere, hanc faciam. non est ista fama: comitia sunt. Neque est quod mirari dives, aut indignari velis, in comitiis plus sæpe paupe-

1 *Solvet quod.*] *Solvit.* Pith.

2 *Relictum est, ut ea parte fecerit.*] Corrige: *ut ex parte.* Gronovius.

3 *Tanti tibi fuisse vel securitatem.*] Tanti, nempe decem millibus. Nam cum filia pauperis aliter submoveri non posset, quam jactura pudicitiæ, cujus decem millium legitima æstimatio est: dives tanti redemit aleam comitiorum: & indignationem quod pauperis filiam videret anteferri. *Ærodius.*

4 *Sine adversione esse.*] Pro, sine adversario, sine competitore: sic Ulpianus advocationem pro advocato: sic Plinius adversitatem pro adversario. *Ærodius.*

pauperes posse: non omnia possunt opes vestræ, neque in cunctis quæ humanam continent vitam, domina pecunia est. Latius possidebitis, & numerosiores familias vestras ignorabitis: magnam partem civitatis occupabunt domus vestræ: ingens pondus argenti perstringet oculos. Sed hæc intra privatum valent: cum in publicum veneris & in campum, spectabitur innocentia, fides. Forsitan gratiæ quoque non parum nobis affert ipsa tenuitas: ubi tabellam pauperes ferunt, tum subit tacita quemque cogitatio superbiæ vestræ: tum omnium, quas singulis facitis, injuriarum. At tamen in cæteris (petentes magistratus dico atque provincias) possitis Tribus emere, dispersa pecunia parare gratiam. Ubi vero de sacerdotio quæritur, & judicium religio agit: illam populus spectat, illam intuetur, quæ semper futura sit virgo: quæ à cultu templorum, à sacris non recessura. Non vereor, ne ista videar præsentis gratia judicii dicere: Sacerdotium filiæ meæ ante rumorem speravi. Sed cur ego diutius [1]circa causam maleficii istius etiam moror? confessus est. An diutius quæri potest, an maleficium sit, cujus pœnam solvat præmium operæ non clam neque secreto, quanquam ista quoque profecto facta sunt, sed palam apud magistratus in medio foro numeret? Vidimus decem millia, quæ parasito donasti: interrogo, quare? non est istud propter longæ servitutis officia, non illarum, quibus gratiam meruit, contumeliarum: decem dedisti, quod rapuisset. Nisi deberes, summa indignatione etiam vindicare volueras: nam qui candidatam sacerdotii rapuit, nocuerat exemplo & tibi. Igitur & inscriptum maleficium est adversus eum, cum quo agitur: & maleficium non solum confessum, sed etiam grave ex

1 *Circa causas maleficii istius etiam morr.*] Vet. ex. *morbi*. ut fortasse legendum sit, *& jam morbi*. maleficium morbus sit communis cum jam quasi in more est. Seneca lib. 3. Controv. *Et ut ad morbum te meum vocem, &c.* & lib. 1. de Benef. *morbo suo morem gessit*: sic enim recte legitur: & postea lego, *An diutius q. p. a. m. s. cujus pœnam solvit p. o. m. c. n. secreto* [*quanquam ista q. p. facta sunt*] *sed p. a. magistratus*. Pithœus.

ve ex his apparet, & ex persona parasiti, qui nunquam ad tantam peccandi audaciam processisset sua sponte: & ex persona divitis, & ex causis, & ex numeratione pecuniæ: ex eventu denique, quis impulerit, quis coëgerit. Superest, ut ostendam, non quid parasitus acceperit, sed quid dives ipse. Quæritis, quid iste X. millibus emerit? videte filiam contra sacerdotem, videte vittas, videte honores. Fortasse ego superbe faciam atque arroganter, qui tanquam privatam injuriam, tanquam maleficium adversus me commissum persequar: quota enim ego sum portio istius indignationis? perdidi sine dubio honorem, pretiosissimum pauperum censum: perdidi virginitatem filiæ meæ, & cui modo sacerdotium sperabam, difficile inventurus sum etiam maritum. Sed populus perdidit arbitrium dandi honoris: [1] sed paulo ante sacerdotem creavit, quam noluit. Ite nunc & excludite campo divites, & corrumpi sacra vetate, de ambitu leges conscribite. Comitia nostra decem millibus rapta sunt atque translata: quam sanctum istud sacerdotium fore putatis, quod stupro debetur?

## CCLIII.

### *Tyrannicida volens dedi.*

[a] In duabus civitatibus vicinis tyranni erant: in altera cum quidam tyrannum occidisset, alter vicinæ civitatis tyrannus petit eum in deditionem, & bellum minatus est nisi darent: fert ipse rogationem ut dedatur.

### Declamatio.

UT meo nomine sim vobis, Quirites, obligatus, quod quanquam necessarium & ad salutem pertinens civitatis

1 *Sed paulò ante.*] Facile est hic lacunam deprehendere: quasi ita esset, Sed populus perdidit arbitrium dandi honoris: sed populo libera voluntas in comitiis erepta est. An te sacerdotem creavit, quam noluit? *Ærodius.*

2 *In duabus civitatibus.*] De hujuscemodi argumentis ita Instit. orat. lib. 7. cap. 1. *Erat mihi curæ in controversiis forensibus nosse omnia quæ in causa versarentur. Nam in schola certa sunt & pauca, & ante declamationem exponuntur quæ θέσεις & Græci vocant, Cicero, proposita. Præter quæ nihil est diluendum,* ne alio

tatis remedium præsentis timoris, respectu tamen mei prętermisistis: ita ipsius reip. nomine irascor, neminem extitisse priorem, qui pro salute communi me offendere auderet. Neque id satis est: sed invenio qui adulentur, & ne à me quidem latam hanc rogationem existiment respectu mei recipiendam. Cum quibus mihi consistere fortius, atq; etiam, si ita res exigat, acerbius necesse est: cum in id quoque periculum venire intelligam optionem meam, an hoc velim. Satis erat mihi dicere, rogationem fero utilem civitati. Ista enim speciosa dictu, & vana quadam [1]imagine honesti circumdata, non respiciunt præsentes necessitates. Si tantas vires haberet civitas ut bella susciperet, ut frangere impetus tyranni posset, non tam diu servissemus, non illum cruentissimum dominum unus ex insidiis occidisset. Atque ego etiam si plurimum esse civium in hac civitate spectarem, bene tamen redimi capite unius civis pacem putarem. Facile est ista [2]in concionibus & consiliis dispicere dicendo. Jam si exercitus hostium intra fines nostros fuerit, si ardere villas, si frugifera succidi, si fugam rusticorum in urbem, si compulsa intra muros pecora viderimus, si mœnia oppugnabuntur, si turres quatientur, si ad delectum ab amplexu matrum juvenes rapientur, quam sero pœnitebit [3]tam caro uni peperciisse? Et si quid tamen deforme habitura civitas fuerit, dedito (ut subinde dicitis) tyran-

ut alio loco ait auctor noster lib. 4. cap. 2. & cap. 1. quo fit (inquit) ut declamatores ea licentia utantur, ut eorum semper ita sit exordium, *quasi causam judex jam noverit, quod ante declamationem illa velut imago litis exponitur. Sed in foro quoque contingere istud principiorum genus secundis actionibus potest.* Item lib. 7. cap. 3. *Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quod omnia quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus.* Idem.

1 *Imagine nominis.*] Hoc est, in tanta necessitate & utilitate res se ipsa commendat, nec verbis speciosis & nominibus opus est, quorum miti & blanda appellatione (quod primum à Solone factum est) deditionis bene de Rep. meriti tegatur acerbitas. *Idem.*

2 *In concionibus ex consiliis.*] Scribe: *conciliis.* Gronovius.

3 *Tam caro uni.*] Hic locus adjuvat conjecturam nostram, qua *plurimi vitam esse*, pro *plurimum esse*, reposuimus. Sic vero Atilius Regulus, sic Sp. Postumius, sic C. Mancinus rogationem tulerunt ut ipsi dederentur. *Ærodius.*

tyrannicida, id omne mea rogatione detractum est: omni pudore liberati estis: invitum non dedidissetis: quod ad vos pertinet, bellum suscipere maluistis. Sed hoc est præcipue, quare ego hanc ferre debeam rogationem. Ego pro civitate tam grata, pro populo tali, non subibo qualecunque periculum? Sed non solum reipublicæ, verum etiam mea interest hanc recipi rogationem. Quem vultis enim ponite eventum: periculum mihi mortis est. Quid? ego non satis vixi? Non enim annorum numero nec spatio ætatis terminari certum est fortium virorum vitam, sed laude & fama, & perpetuæ posteritatis immortalitate. Ita Dii faciant, ut magnum exemplum posteritati etiam pœna dare possim. satis videbitur mihi omnia facere fortuna, ut tyrannicidium meum majus sit. Sed illud interim vereor, ne tyrannus ex me petat famam lenitatis. Habet enim apud malos quoque multum auctoritatis virtus: & forsitan hoc ille ambitiose faciet, ut potestate contentus sit. Quicquid est, videat me & illa civitas vicina: multum illis servientibus prodero: Videant quo vultu tyrannum feram, quam interritus tribunali assistam, quam me nihil minæ, nihil supplicia ipsa moveant. Potest fieri ut exhortetur illos hic animus meus, hæc mens. Vobis quidem custodire pacem, reddere quietem majus ipso tyrannicidio puto: nam si bellum imminet, si periculum universa civitas habet, quod illum cujus nomine mihi gratias agitis, occidi, maximam vobis injuriam feci.

CCLIV.

# CCLIV.

## *Exul accusator, & sententiæ pares.*

EXUL QUI SECRETUM AD REMPUB. PERTINENS INDICARE VOLUERIT, HABEAT IN CIVITATEM REDEUNDI POTESTATEM: ET SI INDICAVERIT, MANEAT IN CIVITATE. Exul dixit se habere, quod de affectata tyrannide diceret: venit in civitatem: postulavit reum: is æquis sententiis absolutus est. fert quidam rogationem, ut maneat. [1] CD.

### [2] SERMO.

*Potest venire in dubium, quo genere divisionis uti nos in hac controversia oporteat. Videtur enim quædam posse dicere etiam citra rogationem advocatus hujus exulis, per quæ jus manendi vindicet. Utrum ergo hæc quæ citra rogationem quoque pro illo futura sint, dicemus ante principium: an statim post rogationem? Species eo ducit, ut quoniam & præcedant & [3] leviora videantur, & prima sint. Sed ratio diversum mihi suadere videtur: ideo quod necessaria nobis quæstio superabit, an hæc rogatio contra legem feratur: in cujus parte sint necesse est illa quæcunque dicturi sumus, an videatur hic etiam alia lege remanere potuisse: an rogationem ferre oporteat ad singulos pertinentem, an contra legem: an hæc rogatio contra legem sit, an meruerit ille remanere.*

### DECLAMATIO.

SI aut minus verecundus esset is, quem rogatione mea retinere in civitate constitui, aut judicia fœlicius expertus: nihil concione, nihil conscripto meo, nihil denique [4] opera rogationis opus esset. [5] Prima igitur carere hac invidia vel propter hoc possum, Quirites. Nemo enim crediderit me

1 CD.] Nota est contradictionis, ut apparet ex quibusdam argumentis sequentium declamationum, tum ex Seneca, tum ex aliis declamationibus, quæ falso Quintiliano huic nostro tribuuntur. De contradict. infra Declamatione CCCXXXVIII. *Ærod.*

2 SERMO.] Sermo qui ἀποσροφὴ dicitur in forensibus actionibus, est aversa à persona Judicis oratio, vel ad coronam, vel patronum diversæ partis, vel ad ipsum adversarium. Quint. lib. 4. c. 1. In scholis vero est ἀποσροφὴ ad discipulos, qua ferè semper ante declamationem, post etiam sæpe, raro Quintilianus in medio utitur. *Idem.*

3 *Leviora videantur.*] Vet. *Levior aut videatur.* Pithœus.

4 *Opera rogationis.*] Vet. ex. cujus etiam vitia hic annotare libuit, *ope rationis rogat.* Idem

5 *Prima igitur.*] *Primum igitur.* Idem.

rit me rogatum ab eo ad vos processisse, qui ipse, ut remaneat, non laborat. Verum ille quidem multas, atque utinam minus potentes, hujus propositi sui causas habeat. Ego præter cætera, propter hoc quoque eum existimo esse retinendum, quod manifestum fecit, ad indicium tyrannidis affectatæ venisse non remanendi cupiditate. Quod nisi vetustissimum jus, Quirites, eos qui secreta ad rempub. pertinentia indicassent, remanere in civitate jussisset: forsitan dicendum mihi necessario existimarem, qua gratia hic pressus, quibus inimicitiis in exilium esset actus. Sed quid necesse est repetere hæc, quæ videtis? Et quod ad animum quidem illius pertinet, satis vobis est (ut existimo) probatus: quod quanquam damnatus, quanquam in exilium actus, reipub. tamen non potuit irasci. Indicium professus est: viderimus an verum. Interim tamen nihil eum finxisse manifestum est, quod persuaderi tam multis utique potuerit. Causam qua conditione dixerit damnatus, exul, contra potentem, contra gratiosum, quid necesse est diu dicere, quando is exitus judicii fuit, ut non plures sententiæ pro adversario fuerint? non enim causa victus est, sed legibus, sed publica humanitate: quæ quidem ipsa me in hoc exhortata est, ut rogationem ad vos de retinendo cive ferrem in civitate tam misericorde. Negant rogationem esse recipiendam, [1] quæ ad singulos homines pertineat. Ego porro hoc in eo jure, quod perpetuum, & in omnia tempora scribitur, existimo esse servandum. Potest enim dici mihi, In honorem hominis unius obligabis tempora futura, & omnes eadem necessitate constringes. [2] Itaq; quoties ad præsens tantummodo tempus rogatio fertur, ne ferri quidem, nisi de singulis, potest. Quod si hanc tollimus

1 *Quæ ad singulos homines pertineat.*] Fuit enim lex XII. *ne privilegium irrogator.* Cæterum interversum ordinem in hoc loco esse arbitror, ut alias plerunque. Igitur subjungo, potest enim dici mihi, In ho. ho. v. obli. te. f. & o. ea. ne constringes. Ego porro hoc in eo t. q. p. & in o. t. scr. ex. e. servandum. At quoties, &c. *Ærodius.*

2 *Itaque quoties ad præsens.*] Alii, *At quoties.* Lege: *Interim quotiès.* Gronovius.

mus consuetudinem, nec duces ad exercitus ducemus, nec provincias decernemus, nec imperia prorogabimus: omnia enim ista rogationibus ad singulos pertinentibus consummantur. At enim contra legem rogatio est. Si confiterer: dicerem tamen non ferendæ rogationis esse causam, ubi lex est. Quid enim necesse est convocari Tribus, contrahi populum, si idem effici jure vetere, & jam olim constituto potest? Igitur si rogatio [1] supervacua ubi lex non est: non fere poterit ferri nisi [2] contra alicujus voluntatem. Et hoc tamen apud quos dicit? video enim præscriptionem excludi posse judicio. At in rebus parvis ac periculosis, ista index recipiat. Cæterum quidem quotiens de jure populi agitur apud populum, cui mutare, cui obrogare, cui ferre quas velit leges, accipere quas velit rogationes liceat, nunquam se ipse diminuet. Quomodo tamen rogatio ista contra

1 *Supervacua ubi lex est.*] Corruptissimus erat hic locus, & tamen adhuc obscurus. sensus est, meo quidem judicio: Lex est quæ vetat rogationem recipiendam, quæ ad singulos homines pertineat. Item lex alia, quæ permittit exulem manere in civitate, ita si indicaverit. Dicitur hæc rogatio contra legem, tum quia reum non condemnaverit, & ut æqua tulerit suffragia, si ideo manere eum oportet, ad id contra legem privilegio opus est. Respondet patronus exulis, atque ita refert. Si confiterer, in hoc genere cum reus paribus sententiis absolvitur, exulem indicasse non videri, atque adeo rogationem hanc contra legem esse: omnis igitur aut supervacua sit necesse est, aut contraria legibus. Supervacua, si lex est de ea ipsa re, de qua rogatur populus. Si lex non est, hoc ipso alicui legi contraria, quia privilegium irrogatur. Sed hæc rogatio nec supervacua est, licet lex scripta sit, ut docebit paulo post: nec ei legi contraria, quæ rogationem ad singulos pertinentem recipi vetat, quia ad præsens tempus tantummodo fertur, non ut ad exemplum trahatur, & legis perpetuæ loco sit: quod utrunque rogationis appellatione contineri, vel ex ipso Gellio lib. X. cap. XX. manifestum est. Et hoc tamen vel supervacuam, vel alicui legi contrariam rogationem esse, apud quos hîc dicitur? Ita enim fortassis si lis esset coram judice, qui præscripta à Prætore formula judicat, exul tanquam præscriptione & exceptione submoveri posset, *Si non tua rogatio supervacua aut legi contraria est.* Sed cum de jure populi apud populum agatur, nunquam se ipse ita deminuet, hoc est, nunquam feret ut præscriptione solvatur hoc judicium & translationibus minuatur ejus auctoritas: vel (si placet hoc ad exulem referre) nunquam adeo de jure suo decedet, ut non secundum legem esse hanc rogationem omnino affirmet, minimeque superfluam: nemo enim tam demens fuerit (inquit Fabius) ut id quod firmissimum duxerit se habere, remittat & ad leviora transcendat. *Idem.*

2 *Contra alicujus voluntatem.*] Vet. ex. *contra alicujus legis voluntatem.* Pithœus,

tra legem & contra commodum ſuum, contraque eam, quæ hunc in exilium miſit: non jure novo, ſed vetere atque olim conſtituto reverſus eſt, manere etiam citra hanc rogationem poteſt? De quo priuſquam loquar neceſſario illud quod ab adverſariis frequentiſſime objectum eſt, depellendum videtur. Cur enim (inquiunt) ſi remanere ſuo jure poterat, expectavit rogationem? Ut verecundia ei adeo nihil apud vos proſit, ut etiam in cauſa plurimum noceat: ante omnia non miror hominem judicia totiens infœliciter expertum, tot in civitate inimicos habentem, nihil tentaſſe privatim. Litigavit innocens reus, damnatus eſt. Detulit affectatæ tyrannidis reum (ut pars judicum putat) manifeſtum: impedimento publicæ humanitatis victus eſt. Hodie contra rogationem, contra jus veſtrum, contra poteſtatem populi pugnabit? Ille tamen mihi alias & (ut dixi) graviores in exilium abeundi cauſas videtur habuiſſe. Abſolutus eſt quidem reus: ſed innocentem ſe eſſe accuſatori nondum perſuaſit. Ego vero non miror [1] quod hic timet adhuc civitatem, quod vult impendentem quandam omnibus nobis ruinam ſuffugere, & evitare quod prævidit periculum, cupit: ſed tanto magis retinendus eſt. Putemus alioqui citra rogationem, talem inſtitutam eſſe legem, qualis eſſet, ſi hic in civitate remanere vellet. Lex quid dicit? *Qui ſecretum ad Rempublicam pertinens indicare voluerit, habeat remanendi poteſtatem.* Nemo dubitabit an indicaverit. Verba igitur legis pro nobis omnia: ſed ad interpretationem voluntatis vocamur: nec enim ſcriptum putant eſſe, niſi quod certum approbatum ſit. Negant indicari, niſi id de quo non dubitetur. Ego autem exiſtimo, Legum latori non defuiſſe eloquendi [2] facultatem, ut approbatis demum his quæ detuliſſet, remanere in civitate exulem vellet: id ipſum plane aperteque dicere non contentum puto eſſe legum

1 *Quod hic timet adhuc civitatem.*] Lege: *quod hic timet adhuc civitati.* Id eſt, pro civitate. *Gronovius.*

2 *Facultatem, ut approbatis.*] Lege: *facultatem, ſi approbatis.* Idem.

legum latorem: voluntatem ejus retinuit. Satis est igitur ut nihil finxerit, nihil cupiditate revertendi mentitus sit, nihil denique ideo fecerit ut remaneret. Vos quid dicitis? mentitum eum vultis? interrogemus partem judicum. Non accuso nunc reum: evasit, absolutus est: habet beneficium legis. Illud tamen contentus sum dicere, fuisse aliqua quibus index moveretur: illa quæ moverunt judicum partem, illa quæ tot tristes sententias effecerunt. Jam ergo animum dignum habeo emendatione fortunæ: cum affectari tyrannidem putaret (sic enim loquamur) non dissimulavit: [1] non ultionem putavit: non cum ipse patriam perdidisset, invidit, sed venit in civitatem, & suscepit gravissimum laborem & novas inimicitias, & recentem æmulationem: non excepit divitem ab indice, fortuna. Hæc ego dicerem, etiam si victus judicio esset: nunc fortiter hoc possum contendere, quod fuisse dicitis eum causa inferiorem. Quid est igitur? Lex jubet eos absolvi, qui pares sententias tulerint. Imputabitis istud publicæ misericordiæ, imputabitis humanitati: non ego arguo hanc legem, sed dico esse communem. Eodem enim tempore non id modo quæsitum est, an affectatæ tyrannidis reum damnari oporteret: sed illud etiam, an hunc remanere in civitate oporteret. Quod si pares sententiæ periculo prosunt, pro utroque sunt. An vero affectatæ tyrannidis reus absolvatur, quoniam non plures pro accusatore, quam pro reo sententiæ fuere: hic qui periculi, qui [2] exilii vel eandem, vel utique graviorem pœnam, experiretur, non eandem experiretur legis humanitatem? [3] Hæc de jure, hæc de rogatione: illa jam de æquitate. Dignum esse existimo, qui maneat in civitate. Pericula [4] nostra tentavit, servitutem reipub. discutere, quantum in ipso erat, voluit. Nescio an plus

1 *Non ultionem putavit.*] Al. *optavit.* Lege, *paravit.* Idem.

2 *Exilii vel eandem veluti graviorem.*] Scr. *vel eandem, vel utique graviorem.* Idem

3 *Hæc de jure.*] Et hæc Sermonis propria sunt. *Pithœus.*

4 *Nostra tentavit.*] Al. *vestra.* Idem.

plus debeamus, si ad indicium non certis argumentis perductus sit, nam si manifesta detulisset: si ea de quibus dubitare nemo nostrum posset, crederetur cupiditate manendi in civitate, feciſſe. Solam pietatem in causa indicii habuit, qui in urbem detulit litem, & litem injustam conditione: ex altera parte solus, & exul, damnatus: ex altera parte homo potens, gratiosus. Omnes ista diligenter perpendite: intelligetis non esse sententias pares.[1] Quid est igitur cur ego etiam pro ipso qui absolutus est reo, existimo esse manere hunc in civitate? Illud dicere pro Republica satis erat, habemus in civitate custodem. Inquirit adhuc: forsitan omnia tam videre non potuit exul, non omnia tam clare perspicere: hoc visuri pro opinione ejus qui absolutus est, non timebitur quandiu hic fuerit in civitate. Immo hercule si mentitus est, si fictum detulit crimen: satis alioqui daturus est pœnarum inter inimicos potentes, & inimicos gratiosos.

Sermo.

*Totam autem existimo commodiorem esse partem diversam, suadeo his qui dicturi sunt in illam potius incumbant.*

## CCLV.

## *Transfugæ excludendi.*

Inter duas civitates bellum erat, in alteram multi transfugæ veniebant, fert quidam legem, ne recipiantur.

Sermo.

*Proxime ad suasorias accedit hoc genus: nam & suasoriarum, & legis suasio & dissuasio est. Ergo dicet is qui legem feret, non esse honestum recipere transfugas, nihil prodesse: forsitan ad finem belli. Summum illud, propter quod lex fertur, periculosum esse.*

Declamatio.

ETiamsi non esset in eo statu bellum, ut honesta cogitare vacaret: vel cum periculo tamen, optima & ad famam

1 *Quid est igitur, cur ego etiam.*] Supervacaneum τὸ *cur*. Scribe: *Quid est igitur? Ego etiam pro ipso, qui absolutus est, reo existimo esse manere hunc in civitate.* Ut apud Petronium: *Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt.* Cicero pro Quinctio: *Quid ergo est? vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, &c.* Gron.

mam itura feciſſe, fortaſſe honeſtius foret, quam ut obſtare utilitas videretur: nunc minus laudis, immo plus tamen ſecuritatis eſt honeſta facere. Nemo igitur dubitaverit turpiſſimos eſſe, qui transfugerint. Spectemus enim rem ipſam, neque eo decipiamur quod utile videtur. hoſtis eſt qui facit: aliter conſtituamus, quam ut intelligamus potuiſſe hoc & noſtros facere. Nunquam prodeſt malum exemplum: etiamſi in præſenti occaſione quadam delectat, in futurum tamen altius nocet. Proximos exiſtimo eſſe eos transfugis, à quibus transfugæ recipiantur. Hoc natura ſimile eſt, facere ſcelus, & probare. An ſi quis noſtrum transfugiſſet, non ipſum modo peſſimum civem & omnibus ſuppliciis dignum [1] judicaretis: [2] ſed infamia etiam ſi qui receperunt & velut auctores ſcelerum, velut magiſtros turpitudinis colligeretis: idem non reflectemus in nos, tandem utilitate ducti, in auxiliis habituri ſumus, quos recipiemus. Fingamus eam civitatis eſſe fortunam, ut auxiliis opus ſit: hos in auxiliis? ſcilicet qui cum ex altera parte intuerentur patriam, & memoriam pueritiæ, & neceſſitudines omnes, ad fortunam tamen inclinaverunt, proniore pro nobis ſacramento, fortiore animo ſtabunt? (Transfugas non eſſe recipiendos.) Adeo facilius eſt in iſtis ſcelus deprehendere, quam pœnitentiam. Inutile ergo militum genus nobis minime neceſſarium. Quippe etiam hi qui recipiendos [3] eſſe transfugas hoc dicunt, in ſuperiore eſſe loco noſtram civitatem. Neque enim amore noſtri, ſed metu imminentis fortunæ transfugiunt. An facilius, depoſituros propoſitum bellandi hoſtes putamus, ſi plures transfugerint? minime: nam hi qui bellum gerere contra nos non audent, ſi locum in civitate noſtra non habuerint, ſæpe deponendi belli auctores

1 *Judicaretis? recipiemus?*] Pro interrogationis notis virgulæ potius adjici debuerunt. Sed jam minuta iſthæc arbitrio lectoris relinquamus. *Pithœus.*

2 *Sed infamia etiam.*] Lege: *ſed infames etiam.* Gronovius.

3 *Eſſe transfugas hoc dicunt.*] Leg. *eſſe transfugas dicunt, hoc dicunt.* Pithœus.

res erunt: nunc in privatum sibi singuli consulunt. Est magnum in singulis momentum: ac si præcluſa hæc fuerit spes, quod singuli faciunt, universi suadebunt. Hæc dicerem etiam si nihil ex istis metus esset. Nunc vero non possum non confiteri sollicitudinem meam, quotiens oculos circuntuli,& singulas castrorum metior partes non aliter quam si vallum hostis invaserit, alienos habitus,aliena arma video: versantur inter domos nostras, inter templa, inter muros, in mediis Reip. visceribus. An aliquid mali velint facere, postea videro: interim possunt. Ego istud credidi scelus cum à singulis spes est, cum à paucis spes est: cum à plurimis jam consensi. Novum hercule genus artis: supervacuum est cuniculos fodere, & per occultos specus ingenti labore exhaustis terris,in mediam subito emergere civitatem: supervacuum est redimere proditorem, & scelus pecunia paciſci. Videntes palam, mo gaudentes etiam, accepimus intra viscera hostem: vos æstimabitis an suspectum debeatis habere, quod ad tantum numerum per singulos pervenerunt. Nemo illos recepisset,si universi veniſſent. Omnesne hi desperaverunt? omnesne consulere ac prospicere voluerunt? adeone facilius est transfugere, quam cadere? Omnes hi reliquerunt in civitate conjuges, in ludibrium ac contumeliam eorum, qui se à scelere maximo ulciſci velint, manifestiore quadam conjectura capere possumus: num minus animi sine his, num minus pertinaciæ desertis? Age sane, hoc non cogitatis, quod nec publica retinere jura tanti putant. Miratur aliquis timere me hostes: quod isti transfugiunt, illi me non timent. Caveamus,obsecro,dum plures sumus.

CCLVI.

## CCLVI.

## *Furiosus trium filiorum pater.*

Qui tres filios habebat, duos per furorem occidit; à tertio sanatus, abdicat eum.

### DECLAMATIO.

POteram etiam si non irascerer, abdicare, tanquam bonus pater. Omnia de fortuna mea timeo, omnia de tam fragili, ac tam mutabili mente: & propter hoc dimittendus mihi à domo filius erat, ne incideret in meum furorem. Sed quatenus & causas quoque abdicationis interrogor, id est quod cogit me frequentius malorum meorum meminisse: quanquam inter præcipua propter quæ abdicem, hoc est quod mihi ista narranda sunt: dicam tamen. Imputo filio meo orbitatem. Respondebit: non ego occidi. Scio, mea manu factum est: ipse ego pater qui genueram, qui educaveram, per viscera liberorum ferrum exegi: credo enim tibi, & orbitatem tamen tibi imputo, tibi æstimo illam [1]ex die mei doloris. Quædam ignorare simile non passi estis: tunc liberos perdidi, cum perdidisse me sensi. Esto, gravem sine dubio manibus meis injuriam fortuna fecerat: posuerat tamen hujus rei in ipso animo remedium illo tempore, quo furere & agi dementia videbar. Frequentius in ea cogitatione eram, ut crederem esse cum liberis omnibus. Abstulisti mihi ignorantiam malorum. Quanto miserabilior fui ex die tuæ sanitatis? furiosum me non sic cecîdi: tum lacerare vestes, tum verberare vultus meos cœpi. Omnia igitur hæc non in aliam vim accipi debent, quam si filios meos ipse occidisses, quam si ipse abstulisses. Unde tantum boni, ut reddere possis illam valetudinem, illum furorem? Quod unum possum præstare infœliciſſimis illis juvenibus meis, præstabo: ne quis eorum morte gaudeat, ne cui prosit quod filios meos occidi.

CCLVII.

1 *Ex die mei doloris.*] Vet. ex. *meæ sanitatis.* Idem.

## CCLVII.

### *Nuptiæ inter inimicorum filios.*

Qui habebat filium & divitem inimicum, captus à piratis scripsit filio de redemptione. Ille cum pecuniam non haberet, offerente divite filiam suam, duxit eam in matrimonium: & pecunia redemit patrem. Reversus ille, imperat ut dimittat: nolentem abdicat.

### Declamatio.

[1]Si ab alio redemptus esset pater, statim ut rediisset à gravissima fortuna, & abdicare me instituisset: dicerem tamen, quid intra tam breve tempus commisi? quid tam scelerate à me factum est, ut ira patris præcederet ipsam gratulationem? Nunc certum habeo indigna quædam expectare vos facinora, cum abdicetur filius qui redemit. Est sine dubio istud non meum beneficium, & omne redempti patris munus ad socerum redit. Ego tamen navigavi: ego periculosa maria ingressus sum, ut redimerem patrem, quemadmodum ipsum dicere audistis: quædam etiam non facienda passus sum. Quæ ei ratio abdicationis est?[2] Non obsequeris (inquit) mihi. Si hoc ad abdicandum satis esset, supervacua erant omnia judicia ipsa: cur enim nobis defensionis potestatem dedistis, si nihil nostris consiliis libertatis relictum est? Servi mehercule quædam liberius ex bona mente faciunt: & aliquando[3] indicium fidei putant, precio empta mancipia non paruisse. Filios vero quis dubitavit unquam esse plerunque suæ potestatis? ut ea præteream quę sub tam bono patre, ne argumenti quidem causa, referenda sunt: nec dicam, non coges templa incendere, non coges operibus publicis manus afferre: leviora certe nostræ

1 *Si ab alio.*] Leg. vid. *S. a. a. r. e. pater, & st. v. r. a. g. fortuna abdicare meis voluisset, dicerem tamen, Quid intra t. b. t. commisi?* Idem.

2 *Non obsequeris (inquit) mihi.*] Lex enim est, *minus dicto audientem filium liceat abdicare.* Quintil. Instit. Orat. lib. 7. cap. 2. sed abdicabis (inquit) non quicunque voluntati tuæ non paruerit. nos de hac re alio loco. *Ærodius.*

3 *Indicium fidei putant.*] Lege, *putatur.* Vel, *& aliquando indicium fidei imputant pretio empta mancipia, non paruisse.* Gronovius.

noſtræ mediocritatis eſſe manifeſtum eſt. ut ſententiam judices dicere velimus, ut teſtimonium non ad arbitrium parentum reddere, [1] immo ſuadere quod animus dictaverit. Quod ſi licet aliquando etiam contra patris voluntatem, ea quæ alioqui reprehenſionem non merentur, filio facere: nuſquam tamen libertas tam neceſſaria, quam in matrimonio eſt. Et hoc dicerem, ſi quæreretur hoc judicio, an mihi aliqua ducenda eſſet. Ego eligam cum qua victurus ſum: ego comitem laborum, ſollicitudinum, curarum ipſe perpendam. Quis enim amare alieno animo poteſt? Nunc vero firmius hoc eſſe atque facilius cœpit: uxorem jam duxi (non dico quare) meo impulſu, mea voluntate. [2] Eripuerat enim te mihi fortuna, dederatque mihi illam miſeram libertatem. Repudium igitur imperas, & copulatos jam diu deducis animos. neque enim in hoc tu ſpectaveris, quod cum uxore mea non diu vixi: ſine dubio ſecundum nuptias profectus ſum, continuo me peregrinatio excepit: & vel hoc ipſo iniquius eſt repudiari eam, quæ certe non potuit offendere. [3] Deſcendamus ſane ad

1 *Immo ſuadere.*] Nam ſi quid cum populo agatur, & ubi quid pro Rep. conſulendum, filio licet à patre in aliam ire ſententiam: ſed vel merito contradicendi tanta reverentia eſt, ut prudentiſſime noſtris ſit olim, ut aliorum legibus conſtitutum (de quibus Ariſtot. l. 5. Polit. c. 6.) ne ſimul pater & filius magiſtratum adipiſcerentur. *Ærod.*

2 *Eripuerat enim te mihi fortuna.*] Ait captivitatem patris interim ſibi libertatem attuliſſe, ut quam uxorem vellet, duceret. Nam jure Civili certum eſt, dum pater potitur hoſtibus, aut ubi ſit ignoratur, filium ſine conſenſu patris, nuptias potuiſſe contrahere. *l. ſi filius ejus ff. de ritu nupt. l. in bello §. medio. ff. de captivis.* Sed Julianus addit exceptionem, ſi eam filius ducat, cujus conditionem certum ſit patrem non repudiaturum. in quo verſatur hæc controverſia. *Idem.*

3 *Deſcendamus ſanè ad hanc quoque neceſſitatem.*] Hoc eſt, demus vel filii aut filiæ ſeu repudium ſeu divortinm in poteſtate patris eſſe, contra id quod jure & ex æquo & bono receptum eſt: quid de ipſa, &c. Paulus *lib. 5. ſentent. tit. de Interd.* Bene concordans matrimonium ſeparari à patre Divus Pius prohibuit. Ulpian. *tit. de liber. exhib. l.* 1. ſi quis filiam ſuam, quæ mihi nupta eſt, velit abducere, vel exhiberi ſibi deſideret: an adverſus interdictum exceptio danda ſit, ſi forte pater concordans matrimonium, & forte liberis ſubnixum velit diſſolvere? Et certo jure utimur, ne bene concordantia matrimonia jure patriæ poteſtatis turbentur. Quod tamen ſic erit adhibendum, ut patri perſuadeatur (ut in hac Decl.) ne acerbe patriam poteſtatem exerceat. Vulgaris eſt hic locus apud noſtros juris auctores. *l. cum hic ſtatus. §. ſi ſocer. ff. de donat. inter. vir. l. cum te. C. de inoff. teſt. l. filiæ. l. diſſentientis. C. de repudiis.* Idem.

ne ad hanc quoque neceſſitatem, ut imperante patre, etiam repudium filius debeat pati quid de ipſa, quam repudiari vis, querar? ſane pater fuerit inimicus, cur hæc nurus eſſe deſinat, quam nihil peccaſſe tu quoque confiteris, qui expellis? Negas idoneam eſſe matrimonio meo locupletem. Quam vereor, ne cui videatur pater ſic inimicus diviti eſſe cœpiſſe. Non enim fortuna in utramlibet partem intuenda eſt. An vero apud me nioceat puellæ, quod dives eſt: cum apud patrem illius non nocuerit mihi, quod pauper ſum? Dives eſt. Nunquid ergo hoc dicere potes, ſuperbior erit, & faſtidiet? Securus ſis, pater: [1] petiti ſumus, empti ſumus. At inimicus (inquis) fuit. Volo adhuc ſic loqui, tanquam odia utraque parte durent. Non oportet immortales eſſe inimicitias: [2] & ita demum tutum perpetuumque eſſe humanum genus, ſi amor ac fides nullam habuerint oblivionem: ea rurſus, quæ aliquo incommodo commutantur, brevi morte deficiant. Sed non eſt diu mihi in hac parte commorandum, quę certe ſatis potens apud divitem fuerat. Inimici nomen habuerit aliquando: nec quæro, quam immerito, nec quæro, quam injuſte; modo redire in gratiam cum eo potuerim. Sed hoc ſolum reprehendit, quod ſe abſente omiſerim cum divite inimicitias Ita opinor, feci hoc contemptu patris, feci vilitate: reſtitui nos in integrum putate, judices. Captus eſt pater meus à piratis, vincla & ultimos metus patitur, & ea, quibus gravius id tantum eſt, quod imminet. Hoc ſcio, hoc ipſius epiſtolis cognovi: hinc redimi non poteſt, duram putate conditionem poni, nonne ſubeunda eſt? Si piratæ hoc mihi pollicerentur, ut vicarias pro patre manus acciperem, non recuſarem catenas: ſi obligarer fœnore, æs alienum tamen non tenuiſſem, ut redimerem patrem. Duxi puellam honeſtam, locupletem: ego tamen

1 *Petiti ſumus, empti ſumus.*] Petiti à divite, & ideo empti: nam petere vel rogare, ſatis emere eſt. Genus item erat nuptiarum quod coëmptione fieret: & eo fortaſſis alludit. *Idem.*

2 *Et ita demum.*] Vid. deeſſe, *poteſt.* Pith.

men (si ulla mihi dicenti fides est) non hoc [1] in ista conditione spectavi. Ille me movit, ut beneficiis vinceremur. Sed neque in me ille probavit aliud, quam pietatem. Vidit fletus meos, vidit totius animi atque etiam corporis defectionem: sic homini inter principes nostræ civitatis numerandos, cœpi bona esse conditio. Itaque intelligo mihi, judices, non in hoc tantum laborandum, ut iram patris mitigem, ut leniam: illud est partium mearum, illud vobis adhibitis rogo, in gratiam velit redire jam cum propinquo meo, cum redemptore suo. Non enim jactabo meam pietatem: illius opus est, quod redemi.

## CCLVIII.

### *Fortis contumax patri forti.*

SI DUO AUT PLURES FORTITER FECERINT, DE PRÆMIO ARMIS CONTENDANT, VIR FORTIS OPTET QUOD VOLET. Pater & filius fortiter fecerunt: petit pater à filio, ut cederet sibi præmio: non impetravit: cessit ipse, & abdicat.

### [2] DECLAMATIO.

ETiam si dissimulari posset, quæ causa patri fuisset: ipsum tamen hoc abdicatione dignum erat, aliquid petenti negasse. Quantum enim mihi præstare poterat, ut paria redderet? Non jam imputo illa vulgaria, lucem & jus libertatis, & usum vitæ. Hoc imputo: quod fortiter feci[s]ti [3] roboris & corporis mei, meum est: animus iste ad contemnendum pericula paratus, ex meo fluxit. Ego te diu præceptis feci virum fortem, proxime quidem, etiam exemplo. Quantumcunque sit istud, quod peto, non indicare satis est, non desiderium pervenire in notitiam tuam sufficit, nisi preces adhibuero? nisi auctoritatem paternam sub-

1 *In ista conditione spectavi.*] Vet. ex. *peccavi.* Idem.

2 Huic declamationi respondet illa apud Senecam lib. 10. decla. 2. & lib. 6. contr. 31. ubi pars filii potissimum tractatur: patris, tractatam esse ait à Labieno Quintiliani non meminit, cum quo inimicitias exercuit. *Ærodius.*

3 *Roboris & corporis mei.*] Forte: *Hoc imputo, quod fortiter feci[s]ti. robur corporis tui meum est.* Gronovius.

ſubmiſero? multum peccaveras etiam, ſi præſtitiſſes. Nunc vero quid à te petieram? ut mihi præmio cederes. non dico quid fuerit ſecuturum. Sane ita ſit conſtituta lex, ut in judicio contendamus, ut citra periculum feratur de noſtra virtute ſententia: non erat æquum cedere te, ut non dicam patri, ſeni? tibi approbandæ virtutis multa tempora ſuperſunt: tu ſperare id quod hodie ceſſeris, potes: mihi indulſit fortuna hunc ſupremum honorem. Inter extraneos quoque & alienos eſt aliquod privilegium ætatis. Honores prior peterem: ad ſignandum advocatus, prior rogarer. In his etiam minimis obſervationibus, inhumane non cederes honorem lateris. Age vero, non præter hoc etiam dignior præmio fuit virtus mea? Non eſt tam admirabile cum fortiter facit juvenis: hoc ætas poſtulat, hoc robur juventæ poſcit. [1]pene turpe eſt, non feciſſe, hoc eſt honore dignius viciſſe annos, & ultra ætatem durantes agere virtutes. Eo tempore fortiter feci, quo cogi non poſſem, ut militarem. Utrum tandem vis magnum eſſe, quod ego feci, an minus eſſe quod tu feciſti? Videamus num hæc: quis fuerit ſecuturus exitus. Si in iſta contentione præmii, idem animi ego quoque habuiſſem, armis contendendum erat: & lætiſſimo alioqui domus noſtræ proventu, graviſſimum funus & crimen inurebatur. Jam vides quare non ceſſeris. hoc tibi præmio majus videbatur, committi cum patre & parricidium facere jure: hoc profecto etiam in acie facere cogitaſti: & cum imitareris virtutem meam, non optandi jus, [2] ſed pugnandi quærere videbaris. Ego quantum eſt in te, in medio foro, & univerſa ſpectante civitate, filii manu trucidatus ſum: vel, quod eſt gravius occidi: tu perſeveraſti, cum me cupere

1 *Bene turpe eſt non feciſſe.*] Adoleſcenti bene non feciſſe & fortiter, turpe eſt: nec ſtatim præmio dignum, ſi ſtrenue quid egerit: nam hoc facile eſt adoleſcenti. Sed honore dignius, &c. *Ærodius.*

2 *Sed pugnandi quærere videbaris.*] Idem ex. *ſed pugnam dividebas.* Pithœus.

cupere sic videres. [1] Etiamnum interrogo, staturusne contra fueris dicturum? Nam si fuisti perseveraturus: vide an gravius etiam crimen sit, patri negasse quod præstare poteras. Habe ergo præmium istud, quantumcunque in eo honoris est: sed contentus esto appellasse Rempub. [2] discede de domo mea: Non jam ultionis gratia facio, sed etiam securitatis: insomnes noctes ago, & ad omnes terreor strepitus: nulla mihi secura nox est: habeo in domo filium, qui me potuit occidere. Nam præmii quidem gratia strinxisses ferrum contra patrem, & in conspectu civitatis populique parricidium feciſſes, ut hæres citius fias, ut bona mea occupes, homo tam cupidus non audebis parricidium facere secretum? Non ignoro omnium fere, qui abdicantur hunc esse morem, ut acta jam causa ad preces convertantur, & mitigare patres rogando velint: hoccine tu concipis animo posse fieri, ut exores?

## CCLIX.

## *Pauper naufragæ liberator, maritus.*

Dives cum amico paupere & filia navigabat: naufragium fecit: extulit filiam divitis pauper. Rumor erat eam nupturam cuidam nobili juveni. Quodam tempore in domo divitis tumultus fuit: inventi sunt una pauper & puella: ab utroque dictum est vitiatam puellam. Imperavit filiæ dives, ut nuptias optaret: educta ad magistratum, optavit: postea comperit dives, non esse vitiatam puellam, imperat ut relinquat pauperem: nolentem relinquere, abdicat.

### SERMO.

*In omnibus quidem abdicationis controversiis, quatenus pro liberis dici-*

1 *Etiamnum interrogo staturusne.*] Alias *staturusne contra fueris? an contra fueris dicturus?* vel, *statueriſne te mihi contradicturum.* ut ut sit, sensus est, Etiamsi non duello, sed in judicio jure & legibus de nostra virtute & præmio litigandum esset, an tu item qui adversus me in judicio stare non potes, nisi venia à Prætore impetrata, statueris te mihi dicenti opponere, & verum parare adversarium? id autem (inquit) gravius crimen sit, &c. *Ærodius.*

2 *Discede de domo mea.* Hæc est Græcæ abdicationis formula mutuata ex Romana repudii: infra Declam. 262. Cui non omnino absimilis & illa, qua amicitiæ more majorum dirimebantur, ut est apud Tacit. lib. 6. Annal. cujus exempla si quis requirat, reperiet apud Suetonium in Augusto 66. Caio 3. & de Illustribus Grammat. in Curio Nicia, Valer. Max. lib. 5. cap. 8. & alios auctores, quorum hic locos ascribere nihil opus esse putavi. *Pithœus.*

*ris dicimus, submissa debebit esse actio, & satisfactioni similis. In hac tamen controversia, istud aliquanto magis servandum est. Nam & filia est quæ abdicatur: & hic pater aliquid etiam boni & clementis viri fecit: & nobis tutissimum, uti etiam hac bonitate.*

## Declamatio.

NOn ignoro, judices, quantum causæ nostræ oneris accedat ex persona abdicantis: non propter illud commune, quod pater est: sed quod pater indulgentissimus, amicus optimus: etiam si quando injuriam accepisse videtur, mitissimus. Itaque priusquam defensionem aggredimur, [1] in hoc satisfaciemus animo nostro, ut gratias agamus ante omnia filiæ nomine: quam sic amavit, ut eam deduci à se ne navigaturus quidem voluerit: cui ad magistratus eductæ præstandum putavit, ne qua [2] occisi hominis infamia inquinaretur: quam tradidit amico suo, quod jam dici potest, optimo marito. Proximum est ab hoc ut amici quoque, & (si permittit) generi, mandata perferamus. Sunt autem similia: nam & plurimum cum eo vixit: & nulla causa, nullo deductus est loco: & usque in hoc tempus in ea fuit opinione, ut se crederet vivere beneficio istius. Erat profecto fœlix domus, [3] si in illa prima simulatione hi manere voluissent. Sed dum hanc quoque

1 *In hoc satisfaciemus animo nostro.*] Auctor scripsit, *amico nostro*. Gronov,

2 *Occisi hominis infamia inquinaretur.*] Lex erat, *Rapta raptoris mortem, aut indotatas nuptias optet.* Igitur quanvis jure & lege mors optari posset: quod humanius, ac prope minus infame est, maluit filiæ auctor esse, ut eum sibi maritum poscceret, cui ex naufragio vita debebatur. hujus mortem optari non posse, sine scelere & flagitio. Cæterum ne deinceps ulla mulier, vel consentiente patre, raptoris eligeret sibi nuptias, à Justiniano sancitum est lib. 9. de Rap. virg. & constitutione 143. Sed rursus Pontificio jure, aliquid ex illo antiquo renovatum est. xxxvi. Q. 1. & 2. cap. ult. de rapto. & huc pertinet cap. 22. exod. *Ærodius.*

3 *Si in illa prima simulatione.*] Hoc est, si in illa divitis, non jam ut apparet, vera amicitia, sed simulatione, nihil humanitus ex tumultu accidisset. Aut verius, si perpetuo & filia, se raptam: & pauper, se rapuisse simulasset: non autem celebratis nuptiis, diviti quasi cumulatioris habendæ gratiæ, veritatem omnem exposuisset. Cæterum hic exclamari potest, quod ab Euclione in Aulularia:

*Di immortales facinus audax incipit,*
*Qui cum opulento pauper, cœpit rem habere aut negotium.*

Idem.

quoque beneficiis optimi ſenis referre gratiam volunt, & ſimpliciter fatentur omnia: inciderunt ambo in hanc dicendæ cauſæ neceſſitatem: dum ſcilicet ambitioſus gener vult videri ſocro ſuo innocentior, quam videbatur. Equidem peractis gratiarum agendarum mandatis, hoc primum puto, ut iſti (ſi permittit) gratuler. Filia ejus probiſſima puella ac verecundiſſima, nullam accepit injuriam: amicus & gener nullum ſcelus fecit. Nam ſi quid tale cogitare, & in animum inducere potuiſſet, illo tempore viciandi habuit occaſionem, quo naufragam in littus evexerat. Reliqua pars actionis meæ, non tam ad defenſionem, judices, ſpectat, quam ad deprecationem. Nam nulla profecto certior ratio eſt, quam ut iſtum priorum temporum admoneam. Hic enim, judices, adoleſcens (quod in hoc demum judicio audivimus à divite dici) pauper, unam ſibi domum quam coleret, elegit, unum hunc cui fidem ſuam impenderet. Ac brevi moribus, ſanctitate innocentiæ fecit, ut inter omnes etiam ſuperioris fortunæ chariſſimus videretur. Itaque hercule, cum peregre proficiſci deſtinaſſet, quamquam navigationum pericula non ignoraret adoleſcens, tamen ſecutus per maria, per tempeſtates. Non nimium de fortuna querimur: etiam ſi naufragium illud multos metus, longam vexationem, aliquod attulit detrimentum: tamen rem difficillimam expreſſit, fidei experimentum: in illa omnium trepidatione, in qua pro ſua quiſque ſalute ſollicitus, nihil de proximo cogitabat: cum inter fluctus & turbati maris minas, vix evadere, ac ſuæ quiſque conſulere ſaluti videretur: non mehercule miror, quid, quamvis optimus pater, filiam tamen reſpicere non potuit. Quis enim hoc crederet poſſe fieri, ut non modo ſaluti ſuæ conſuleret, verumetiam ſuſcepto onere, infirmitatis alienæ, evadere in terram, & [2] vincere eminen-

1 *Moribus, ſanctitate innocentiæ fecit.*] Lege: *moribus, ſanctitate, innocentia fecit*, Gronovius.

2 *Vincere eminentis fortunæ metus.*] Lege, *imminentis*. Idem.

eminentis fortunæ metus posset? Itaque non servus ullus tam fidelis, non libertus tam beneficio obligatus manumittentis fuit, ut hoc subire periculum posset. Unus amicus (nondum enim illud faciebat tanquam gener) accepta humeris suis puella, per tot difficultates, per tot pericula, nihil pro seipso sollicitus, tulit. Quam istud non humani tantum operis, sed divini cujusdam beneficii arbitrandum est? Cum hos conjunxistis, copulastisque. Fortunæ, nihil necesse habeo diutius hoc imputare, tanquam non intellectum, non perdidit beneficium: & puella se nihil non huic debere credidit: & pater ita interpretatus est, majus illud, ut existimaret amico in se, ac suos, omnia licere. Rumor itaque in civitate, non quibus alias solet causis, exortus est: sed homines, dum indignantur, nescio cui juveni optimo & nobili dari puellam, [1] convitium moribus hujus [2] tanquam ingrati fecerunt. Intelligo, judices, quam difficili, ac velut scopuloso loco versetur oratio mea. Quomodo narrem istud quod confessi sumus? Illud puto tutissimum est: [3] rapere voluit: huic (enim certe crimini ignosci-

1 *Convicium moribus hujus tanquam ingrati.*] Neque *ingrati* est inviti, quasi hæc vox ad juvenem nobilem & optimum pertineat; neque legendum *ingratæ* ut ad puellam referatur. *Hujus*, id est, divitis. Nec *rumor* iste ex tumultu, sed aliquanto ante tumultum. Rumor est *juveni opulento* (& ita forte scribendum pro *optimo*) *& nobili dari puellam.* Rumores plerumque oriuntur ex rebus novis atque insolitis. At neque novum neque præter exspectatum est diviti divitem legi generum. Tamen quia pauper servatæ puellæ ab sese nuptias meruisse videbatur, indignati homines ad mentionem alterius generi lecti, patrem tanquam ingratum & immemorem beneficiorum pauperis, rumoribus distulerunt. Vides cur dicatur *rumor non quibus alias solet causis exortis.* Vides cujus *moribus convicium*, *tanquam ingrati* fecerint. *Gronovius.*

2 *Tanquam ingrati fecerunt.*] Ingrati hoc est, inviti: vel, ut adnotavimus ingratæ. Sensus est, Qui rumor in aliis causis exoriri solet, indigne factum: violatam ab amico, amici filiam: atque tum maxime, cum dignæ opibus, dignæ potentia, & nobilitate nuptiæ dignæ parabantur. Non hi rumores (inquit) exorti sunt: sed dum divitem audiunt immemorem tantorum beneficiorum, alium sibi generum quærere: oblata illa ex tumultu occasione, qua solum cum sola nacti essent, de industria raptam à paupere divitis filiam, quisque jecit in vulgus, ut bono hoc dolo illum juvenem nobilem à nuptiis averterent: quasi pauper jure suo fecerit, non vi, non clam, non precario. *Ærod.*

3 *Rapere voluit.*] Hoc ad filiam refero, quæ voluit pauperem rapere, id est, ut pauper eam raperet. Igitur se raptam proclamavit: nec hic sane negandum existimavit,

ignoscitis: inde tumultus, inde voces repugnantis, inde fortasse etiam nimia puellæ querela, quod audaciam pro injuria tulit: quod se raptam, quoniam ille rapere voluisset, proclamavit. Nec is sane negandum existimavit: &, quanquam nihil acciderat tale animo suo, confessus est. Illud certe manifestum est: pater filiam putavit irasci. Itaque sollicite quoque, nec pro imperio tantum patris, sed etiam pro auctoritate, pro sententia deprecatus est. Tum admonuit illam: Memento hunc esse, cui vitam debeas: hunc esse qui te ex periculis servaverit maris. Quanta illa gratulatio? quanta patris laus fuit? quam fœlix domus? nihil deerat gratulationi nostræ, si raptor fuisset. His moribus suis, ac tanta bonitate meruisse visus est pater, qui non falleretur. Indicaverunt integritatem. Quo speraverunt futurum, ut magis amarentur, incidunt in offensam. Nisi forte invicem ludimur, & nos pater mutuo mendacio tentat: quare non omnia statim simpliciter dixerimus, minatur. Dii faciant ut iste sit eventus, qui adhuc in hac domo omnium periculorum fuit. Nostra tamen quatenus forma judicii proponitur, agitur defendentis imitatio. Nam si te prorsus irasci existimarem, [1] optime pater illa dicerem, filiam abdicas: nondum defendo factum, nihil de isto crimine loquor: [2] satis tutum esse potest apud judices. Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est. [3] adversus filios, qui peccare plus possunt. Filia vero vix nutricum minas tulerit, vel eorum

mavit, & (ut supra) tanquam non intellectum non perdidit beneficium. Huic certe crimini ignoscitis, inquit. raptus enim non committitur in volentem, etsi demus raptam. Ita enim usurpatum est, ut ex hoc loco apparet, & ex l. 1. de rapt. virg. in C. Theod. seu postea merito emendatum. *Idem.*

1 *Optime pater.*] Al. *optione*, non absurdo sensu. *Pith.*

2 *Satis tutum.*] In vet. ex leg. *tuta.* Idem. *Satis tutum esse potest apud judices.*] Cum id tuo imperio, & ex voluntate sua fecerit. *Ærod.*

3 *Adversus filias.*] Si non scripsisse, at id Quintilianum dicere voluisse existimo, *Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est: adversus filias non datum est, quas abdicari non decet, sed filios, qui peccare plus possunt.* Idem.

eorum à quibus educatur, triſtitiam: Et ut virgo pertineat ad patrem, tamen nupta pertinet ad maritum. Poſt illum, quo ſpes liberorum inchoata eſt, [1] quo in nepotes uſque cogitationem miſiſti, quid aliud potes exigere à filia tua, quàm quod placuit ei cui collocata eſt? Si lætius agendum eſſet, illud dicerem, Abdicare propter matrimonium non potes. Paulo fortior recuſaret etiam nubere, niſi cui voluiſſet. Hæc ſubjecit in hoc ſe imperio tuo: ex arbitrio patris nupſit. [2] Paulo fortius vindicare debet matrimonium jam factum: ut etiam nuptias imperare poſſis, repudium imperare non potes ejus, ad quem puella legibus, & magiſtratibus, & jurejurando pervenit. Verum contra hæc, paulo latius repetit abdicationem: & non eſt contentus ea objicere, propter quæ judicium eſt. Mentita eſt, inquit, patri: de raptu mentita eſt. Defendam, judices: abſoluta ſunt. Ego vero malo eſſe crimen, ut patri plus debeamus. Deceptus es: ita malles filiam tuam raptam eſſe. Volo ſic defendere puellam, tamquam factum ſit ipſius culpa. [3] Hæc quid? ignoſcit, non eſt hic amor: gratus animus eſt. An illa ſibi ullum fideliorem fore tota vita exiſtimaret, quam eum cui ſecundum te, debeat plurimum? Cogita quæ fuerint illa pericula, ex quibus evaſit: quæ tempeſtates, qui fluctus & naufragia, & cætera, quæ nihil diviſione egent, nomina. Sed omnem hanc culpam maritus ad ſe trahit. Nihil tantum puella cogitavit: quicquid eſt iſtud, ego feci: qualecunque iſtud eſt, meum conſilium eſt. Tu ignoſce, qui ſoles. Recedere jubes à marito tali, qua tandem cauſa? pauper eſt. Non ſolebat hoc illi apud te nocere. Relinquam: nec dico pauperem: nam in matrimonio quidem filiæ, quod ſolebat

1 *Quo in nepotes.*] Id eſt, per quem. Etenim idcirco filios filiaſve concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum earumve, diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. ut elegantèr ſcripſit Calliſtratus lib. 2. Quæſtionum. *Idem.*

2 *Paullo fortius vindicare debet.*] Forte, *vindicari.* Gronovius.

3 *Hæc quid? ignoſcit.*] Lege: *Volo ſic defendere puellam, tanquam factum ſit ipſius culpa: ecquid ignoſcit.* Idem.

bat nocere, te auctore nupsit, te hortante nupsit. Redde rationem illius sententiæ. Quamvis putarem turpe, tamen cogitasti quid præstitisset filiæ tuæ.

SERMO.

*In summa parte declamationis utrunque producemus, & pro utroq; pariter rogabimus, & aliquanto magis pro marito misero. Decet enim illum amare: dicat se moriturum. Totum est enim in eodem.*

DECLAMATIO.

Periturum se affirmat, quod tu illum exemisti, cum ad magistratus eductus est, hic animum tuum exigit priorem hic illam misericordiam.

## CCLX. *Pastor Abdicatorum.*

Dives adolescens Abdicatos recipiebat, & de suo alebat: læsæ Reipublicæ reus est.

SERMO.

[1] *In plerisque controversiis, plerunque hoc quærere solemus: utrum ipsorum persona utamur ad dicendum, an Advocati: vel propter sexum, sicut fœminis: vel propter aliquam alioqui vitæ, vel ipsius de quo quæritur facti, deformitatem. Hic adolescens & honestus est, & cum sit locuples quoque, nihil tam turpe commisit, ut illi pro se fas loqui non sit. Ego tamen existimo dandum esse advocatum. Primum, quod etiam si quid remissius ac liberalius fecit, ætate excusari potest.* [2] *Non consentiunt autem hæc inter se, ut idem:*

1 *In plerisque controversiis.*] Hic locus, & alius infra Declam. cccxxxi. pertinet ad edictum de postulando. Ut autem plane confirmem, has illius esse Quintiliani declamationes, nihil ex Institutionibus oratoriis præteribo, quod non huc transferam. Ait lib. 4. cap. 1. In iis quæ negari non poterunt, elaborandum, ut aut minora quam dictum sit, aut alia mente facta, aut nihil ad præsentem quæstionem pertinere, aut emendari posse patientia, aut satis jam punita videantur. Ideoque agere advocato, quam litigatori facilius: quia & laudat, sine arrogantiæ crimine: & aliquando etiam utiliter reprehendere potest, &c. Ideoque primum intueamur, litigatoris an advocati persona sit utendum, quoties utrunque fieri potest. Nam in schola, liberum est: in foro rarum, ut sit idoneus suæ rei quisque defensor. Quoties (inquit) utrunque fieri potest: quia reo affectatæ tyrannidis, aliisque certis personis adesse, vix aut ne vix quidem licebat, ut alio loco videbimus. *Ærod.*

2 *Non consentiunt autem hæc inter se.*] Tale quid desidero, *ut idem qui jam ejus ætatis & animi est, ut sua se voce & oratione defendat: hic tantum infirmitatis animo defendendus sit.* vel, *ut idem pro se dicat fiducia ætatis, cui tantum crimen objicitur, ut infirmitatis animo excusandus sit.* Idem.

*idem: & tantum infirmitatis animo, ut hac excusandus sit. Alterum illud est, quod si defensionem ultra excusationis terminum proferimus, laudandus est adolescens. Arroganter autem faciet & tumide, si cœperit se ipse laudare: præsertim jactaturus id, quod facere posit, à fortuna esse. Dabimus ergo illi, his causis, Advocatum.*

## DECLAMATIO.

1 NON necesse erat mihi, judices, de facti hujusce quod in crimen vocatur, ratione differere. Scio quod

1 *Non necesse erat.*] Unus locus est in jure nostro, ubi mentio fiat de abdicatione. Abdicationis (inquit Diocletianus Imperator, tit. de patr. potestate.) quæ Græco more ad alienandos liberos usurpatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Ad alienandos, accipe, non vendendos quidem aut pignerandos, sed pellendos & ejiciendos domo penatibusque nostris ut jam prorsus nobis alieni sint, non sui. Hac certe pœna usi sunt Græci, nec ulla erga liberos eis alia erat gravior, teste Dion. Halic. Sed non nisi ob grande maleficium, κἢ με τὰ ψύφῳ δικασικῷ, (ut etiam à Platone scriptum est lib. 11. de Legibus) quod publico præconio fieret, & causa utrinque amplissime cognita. Illic Plato formam abdicationis præscribit. Certe abdicatos ali, nec ab aliis adoptari non prohibet, πὲ γὸ τ' νέων ἤθη, πολλὰς μεΐαβολὰς ἐν τῷ βίῳ μεΐαβάλλειν ἐφίσοπ πέφυκεν. Hac præscripta forma ab initio Romani filios suos non abdicabant: nec eis causas probari apud Magistratum necesse fuit, cum privatim majorem etiam potestatem haberent vitæ & necis: sed una erat cognitio patris & animadversio. Quod quia longo intervallo emendatum est, ut id patri, nisi causa cognita, non liceret (quæ forma à Græcis sumpta est) ideo scripsit Diocletianus, suis temporibus hæc Græco more usurpari. Nam si quis interpretaretur legibus Romanis omnem omnino prohibitam fuisse abdicationem, ignoratione historiæ aberraret. Cic. lib. 1. de Finibus, *Torquatus, filium Macedonum Legatis accusantibus, causam apud se dicere jussit, reque ex utraque parte audita, pronuntiavit eum non talem videri fuisse in imperio, quales ejus majores fuissent: & in conspectum suum venire vetuit.* Val. Max. de eodem: *Cum Syllanum filium meum pecunias à sociis accepisse mihi probatum sit, & Rep. & domo mea indignum judico, protinusque è conspectu meo abire jubeo. Tam tristi (inquit) sententia percussus Syllanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se prima nocte consumpsit.* Idem lib. 5. cap. 7. *Cesitus Eques Romanus, qui Cæsari jubenti ut quendam filiorum abdicaret, respondit: Celerius mihi Cæsar, omnes filios meos eripies, quam ex his unum nota pellam mea.* Suetonius in Octavio cap. 65. *Sed lætum Octavium atque fidentem sobole & disciplina domus, fortuna destituit: Julias filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegavit. Agrippam ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit, sepositque Surrentum.* Festus: *Abdicare, est quasi non dicere & negare filium.* Plin. lib. 7. cap. 45. *Abdicatio Posthumi Agrippæ post adoptionem secuta est.* Denique nihil hic & apud Senecam frequentius, quam de abdicationum controversiis. Quæ tamen, quia paulatim minus frequentari solitæ, ideo Quintil. ait lib. 7. cap. 5. Hæc genera causarum, plus esse scholæ, quam fori: & quæ abdicatorum in scholis hanc in foro exhæredatorum à parentibus, & bona apud Consules repetentium, rationem esse. Nam hoc genus

quod advocato satis sit. Sufficiebat hoc solum, si eximerem legi reum: [1] & cætera fiant, fortasse pro dignitate fiant, pro conscientia, pro laude. Ad vos id unum pertinet, an lege, qua cognoscitis, obligatus sit, qui accusatur: quæ vis vobis quo atrocior est, hoc diligentius intuenda est. [2] Sit tolerabile formula errare, & in petitione pecuniæ: non uti jure concesso: aliquis caput hominis perperam petit, ut terreat, ut occidat? Reipub. læsæ quædam sunt, judices, ad quorum pronuntiationem oculi sufficiant. Satis erat accusatori ostendere, [3] si quid hic læserit: aliqua publicorum operum incensa, eversa, vel corrupta: navalia, arma usibus belli erepta, aliquid denique eorum quæ publice possidemus (ea sunt enim Reipublicæ) [4] deterius hujus fraude atque injuria [5] facta: cætera habent suas leges, sua jura, suas actiones. Si hos, quos recepisse dicitur, occidisset: non tamen Reipub. læsæ jure teneri videretur. Sint igitur ista gravia, quæ objiciuntur: aliquid feciſſe clementer: contra duros & asperos partes interposuisse

genus tandem abdicandi, abiit in desuetudinem: & abdicationum causæ, in exheredationem rejectæ sunt, quæ sane longe mitior est. Ideo quia nullus exhæredatur nisi post mortem: & nunc abiratis patribus, nunc etiam adeo ut filiis suis consulant. *l. multi ff. de lib. & posth.* Præterea exhæredatus, filius esse non desinit, nec sacra nec jura amittit familiæ: secus in abdicato. Fuerunt (ait Quint. illo loco) qui has causas, materias officiorum appellarunt: ut in foro querela inofficiosi dicitur, & quædam interdicta officii causa competere. *l.* 2. §. 1. *ff. de interdict.* Sed abdicationum (inquit) formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur raptor, adulter: altera imperfecti, & adhuc in conditione positi: quales sunt in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri: cujus item partitionis meminit infra Declam. CCLXXI. *Ærod.*

1 *Et cætera fiant.*] Priores: *& si cætera fiant, fortasse pro dignitate fiant.* Lege: *Sufficiebat hoc solum, si eximerem legi reum. Sed & cætera fient pro dignitate, fient pro conscientia, pro laude.* Significat se factum adolescentis prius defensurum, dein & laudaturum. *Gronovius.*

2 *Si intolerabile formula.*] Alias, *Si tolerabile formula errare, at in petitione pecuniæ non est jure concessum: aliquis, &c.* Ærodius.

3 *Si quid hic læserit.*] Vet. *quod hic,* & paulo post, *publicor. oper. impensæ versa.* Pith.

4 *Deterius hujus fraude atque injuriæ facta.*] Scribe *factum,* refertur enim ad *τὸ aliquid.* Gronovius.

5 *Facta cætera habent suas leges.*] Vel, *ea sunt deteriora hujus fraude atque injuriæ facta. Cætera habent,* &c. hoc est, ad horum pronuntiationem oculi non sufficiunt: sed inquisitione opus est, quo animo, quo consilio, qua voluntate facta sunt. *Ærodius.*

ſuiſſe miſericordiam, pro ſua ætate: non hoc vidit lex, quæ recitata eſt: non voluntas ejus, quicunque conditor juris iſtius fuit. Hæc ego fortius dixi, quia remiſſurus ſum. Quid enim objicitur? Abdicatos recipit, & ſua pecunia alit. Ut graviſſime judicemus de hoc crimine, ſtultas & ſupervacuas impenſas facit. Quis eſt iſte, qui nobis, tanquam pater, iraſcitur? Patrimonium conſumis, & alioqui ſplendidas opes quotidie effundis. Quæ tandem iſta inter ſe pugna eſt? Legem recitas læſæ Reipub. [1] & agis quaſi abdices. Sic reſpondebo tanquam abdicanti, ignoſce: juvenis eſt: non ſatis roboris, nondum ſatis judicii confirmare potuit. Et tamen ſi faciendæ ſunt impenſæ, ſi perdendum aliquid: non poteſt honeſtiore via impendere: Non meretricibus donat: non in paraſitos profundit: non illi magno cupiditates ſuæ conſtant: ſumptuoſus eſt miſericordia. Libet etiam augere crimen, & ſi qua neſciunt accuſatores, judicare. [2] Vos eum largiri tantum Abdicatis putatis. Iſte aliquid & mendicantibus porrigit: iſte & multos fortunæ injuria lapſos, ſuſtentat atque erigit. Quid faciam, inquit, animo meo? quotiens infœlicem vidi aliquem, & neceſſarii etiam victus egentem, lachrymas tenere non poſſum. Invidiam mihi facere videtur, patrimonium meum, pulſant frontem meam cæduntque etiam ſi taceant, ipſo habitu, ipſa triſtitia, ipſo ſilentio. Sed & rogant, & provolvuntur ad genua: nec mihi illa ſaltem ſimulata, ut pleriſque excuſatio ſupereſt, ut dicam, Non poſſum. [3] Tu vero tanto, adoleſcens, fortior, atque omni laude, non in noſtra modo tempora, ſed etiam in futura omnia ſæcula dignior: ſolus mihi mortalium videris uſum pecuniæ intellexiſſe. [4] Fruſtra tibi aliqua fortuna tantum

1 *Et agis quaſi abdices.*] Nam ſi tanquam pater abdicas, quod patrimonium effundit, ne Majeſtatis reum facito. *Erodius.*

2 *Vos eum largiri tantum.*] Vet. *largitaeum.* Pith.

3 *Tu vero tanto adoleſcens, fortior.*] Ut *Tanto melior.* de quo in Obſervationibus. *Gronovius.*

4 *Fruſtra tibi aliqua fortuna tanti.*] Priores *aliquando* & *tantum.* Scribe: *Fruſtra tibi alioqui fortuna tantum patrimonium*

tantum patrimonium dedit: & in breve humani tempus ævi, veluti grande pondus impoſuit. Relinquendum erat iſtud, & res tranſiſſet ad alios: quandoque locupletem feciſſet neſcio quem mors liberalis. Libet vobiſcum loqui noſtro nomine, Avari parcique, qui aliquid non feciſſe ſordide, jam etiam ſcelus exiſtimatis. Non ſint iſta ferenda nobiſcum: [1]neque ad inferos ſervata per vitam fortuna perſequitur. Tolle uſum, quid eſt pecunia? Quis igitur uſus honeſtior? nullus. Nec hic lege poſſit fieri reus, ſi hanc ipſam pecuniam, quam per tot beneficia diviſit, per gulam ventremque tranſmitteret. Nihil obeſſe Reipub. videretur, ſi vitiorum inſtitores, hos eoſdem ſumptus diviſiſſent. Ego vero huic comparare ne illos quidem timeo, qui aliqua in Rempublicam opera poſuerunt. Hæc enim muta, & [2]humanis tamen conſtructa manibus, & ſpeciem modo, & brevem quendam uſum voluptatibus noſtris attulerunt. [3]At hercule referamus ad illam, de qua modo locutus ſum, ſpeciem: quanto pulchrius integrum populi vultum, illibatam dignitatem civium ſervaſſe? Si ad utilitatem: quanto melius ac majus, ſervaſſe ſuum numerum civitati, ſuos ordines? An vero illos, qui ingentes noxiorum familias occiſuri, tamen paſcunt, plauſu fovebimus, & in omnibus ſpectaculis [4]adulatione multa proſequemur: hunc, qui partem civium levibus offenſis miſeram, ſuſtentat, ac pœnitentiæ ſuæ ſuorumque integram ſervat, lege etiam graviſſima perſequemur? Quid enim nobis tam naturale, quid ab ipſa

*monium dediſſet, & in breve humani tempus ævi veluti grande pondus impoſuiſſet.* Idem.

1 *Neque ad inferos.*] Idem ex. *feros.* Pith.

2 *Humanis tamen conſtructa manibus.*] Priores *inhumanis tamen conſtructa muneribus.* Lege: *Hæc enim muta & inhumanis tantum conſtructa muneribus & ſpeciem modicam & brevem.* De gladiatoriis muneribus loquitur, & quæ his fiunt, amphitheatris. Eodem pertinet: *qui ingentes noxiorum familias occiſuri tamen paſcunt.* Gronovius.

3 *At Hercule referamus.*] Scribe: *ſi referamus.* Pith.

4 *Ad gratulationem multam.*] Seneca lib. 10. decla. 4. Quid videtur Laniſta? qui juvenes cogit ad gladium, & tamen non accuſatur læſæ Reipub. Quid Leno, qui ſtuprum pati cogit invitas, nec Rempub. læſit? *Ærodius.*

ipsa Providentia magis datum concessumque videri potest, quam alere homines ac sustinere? Muta mehercule animalia, quæ venire ad manum, & mansuescere queunt, non humanum modo, sed etiam voluptuosum est, alere ac pascere. Quid de homine dicam? Quisquamne magis negotium publicum, non civitas modo, sed totius rerum Naturæ, agit: quam qui animal hoc deo proximum, & in contemplationem omnium, quæcunque mundo contigerunt, constitutum, prorogat producitque? qui opes suas in publico posuit, quo locuplete nemo pauper est, nemo eget. O misera tempora! hoc defendendum est? Scilicet illud honestius, liberos sublatos, jamque in adolescentiam provectos, pellere domo, & prohibere penatibus: & omissa emendandi cura sic punire, ut his succurri non liceat. Abdicatos in domo recipit & pascit. Sic istud, tanquam sacrilegos tanquam homicidas, tanquam latrones? Si tam grave crimen est, ætate labi: si tam inexpiabile, offendisse aliquando paternam severitatem, novas excogitate leges, asperiora aliqua constituite supplicia. Hos si pascere non licet, parum est abdicare. Audite, Patres, quæ optimum adolescentem ad misericordiam moverint, quæ ad liberalitatem: aliquid & discite. Nulli horum objectum est, quod venenum patri paravisset: nulli quod percussorem in fata parentis sui conduxisset. Creditis, Judices: alioqui puto non tam levem subituros fuisse pœnam, sub tam asperis patribus. Quid est igitur? amavit ille meretricem, & intra concessos adolescentiæ lusus (licet aliud parentibus videatur) natura tamen datos, [1]forsitan minus tenuerit cupiditatum frænos? en quod fames emendet. Ille ductus æqualitate, cum sodalibus iniit paulo [2]tempestiviora convivia? en quod mendici-

tas

1 *Forsitan minus.*] Vet. ex. *milius.* non male. *Pith.*

2 *Tempestiviora.*] Fortassis melius *intempestiviora*, & paulo post, *ille liberalius vixit, & quomodo crimen istud hoc tempore est, aliquid fortasse donavit.* Idem. *Paullo tempestiviora convivia.*] Male Pithœus *intempestiviora.* Nulla enim sunt *intempestiva* convivia: sed ubi hæc vox occurrit, corrigenda est, ut docuit ad Historiam Augustam Salmasius. *Gronovius.*

tas coerceat. Ille liberalius vixit? & quomodo crimen istud hoc tempore est? Aliquid fortasse donavit? Non vultis in his causis, in hac criminum summa, misereatur hominum, qui dicunt, [1] & tu juvenis es. At nimium diu, judices, sic defendo optimum juvenem, [2] tanquam victum abdicatis præstiterit. Nolo jam abdicare: reipub. (fortius libet agere) [3] imputo: & magis imputarem si tales essent quales eos accusator esse contenderet. Nihil est periculosius, judices, in hominibus, mutata subito fortuna: nihil ad vilitatem sui pronius, miseris delicatis. Juvenes in magnis patrimoniis, atque in summa nati dignitate, subito excussi, non dico opibus, sed necessariis etiam ad victum, spiritumque ultimum sustinendum, non redibunt ad opus quotidianum, non sufficient assiduo labori: Supereſt ut audeant aliquid, vel propter quod moriantur. [4] tot hos quos abjicitis (nam quoque turbam abdicatorum esse dixistis) emittite subito nudos, omnium egenos: ipsis ne aliquis poterit irasci,

1 *Et cum juvenis es.*] Al. *& tu*, & post ea, *tanquam istum abdicatis præstiterit.* Item, *quales eos accusator esse condemnaret.* Pithœus.

2 *Tanquam victum abdicatis præstiterit.*] Hoc est, ipsis gratificatus sit: victum dando abdicatos modo promeruerit, obligaverit. Sic autem Pithœus. Nam Thadæus *justum*, Ærodius *justene.* Potuissemus *justa abd. præstiterit.* Sed potius controversam vocem exteramus, & legamus: *tanquam abdicatis præstiterit.* hoc est, beneficium dederit. Sic declam. 338. *Habet causam, cur nocere huic velit, quam repudiavit; & habet causam, cur præstare ei velit, quam duxit.* Dec. 348. *Sic agis mecum, tanquam, etiamsi præstitero tibi, plus alii debiturus sis.* Quod sequitur, Ærodius: *Nolo jam eum abdicatos alere.* Sed vir ille doctus longe aversus à sensu etiam sequentium, ubi τὸ *imputare* non percepit. Scribe: *Non jam abdicatis; reipublicæ (fortius libet agere) imputo.* Dimitto illos: parum est debitores habere tam infirmos: immo reipublicæ expensum ferre, reipublicæ datum imputare potest, quod illis dedit: respublica ei hoc nomine debet; & debebit magis, si sunt quales depingit accusator. *Imputo*, ut Senecæ, Suetonio, Plinio, Juvenali, & his scriptoribus eleganter. Nec minus belle deest τὸ *Sed*, qualia multa restituimus Livio & Senecæ. *Gronov.*

3 *Imputo & magis imputarem.*] Ecce (inquit) si hactenus præstitit abdicatis, esto, ne præstet in posterum. Sed tamen hujus benefacti accusatores esse in Repub. Reipub. imputabitur, ejusque id cedet magno malo. Nam quos non alas, & fucos & fures esse oportet, ut ait Plato libris de Rep. *Ærodius.*

4 *Tot hos quos abjicitis.*] Τὸ *quos* non est in superioribus editionibus: & male à Pithœo interpositum est. Lege: *Tot hos abjicitis, (nam quoque turbam abdicatorum esse dixistis) emittitis subito, nudos, omnium egenos. Abjicitis, emittitis* per ἀσύνδετον. *Gronov.*

irasci, si quid fecerint? si in latrocinia se prædasque miserint? Quantumlibet animis nostris remittamus, ac totam innocentiam credamus esse persuasionis, multum contra justitiam necessitas valet: at si nihil adversus alios, adversus se certe multa fecissent. Ornatamne Rempublicam atque adjutam, judices, crederetis, si horum fortissimus quisque, venisset in ludum, atque arenam? si paulo mollior frons ad laqueum, ad præcipitia, ad qualemcunque vitæ festinasset exitum? Tum civitas fœlix, tum numerus iste minus invidiosus fuisset? Volo, judices, relicta jam hac, quam ad Rempub. composui, defensione, transire ad eos, qui præcipue irasci videntur; patres dico ipsos, qui abdicaverunt: quibus hoc primum, judices, dico. Quam accipitis injuriam? malis vos sane filiis levastis, & exonerata sunt vestra patrimonia. Sinite illos perisse, & velut expositos in aliqua solitudine, aut in maria projectos, nihil ad animum vestrum, nihil ad cogitationes pertinere: fortunam sibi quærant. Quid ad vos, quid sint, postquam vestri esse desierunt? Renati sunt, novumque fatum quodammodo sortiti. Num invidiam vobis faciunt? Hoc enim malebatis fortasse, ut oculis vestris sordidati obversarentur: ut impexi, squallidique incederent [1] verecunde: nomine severitatis, dissimulatur vestra crudelitas. Minus vos malos patres putavimus. Quod quidem animadversioni sat est, pendunt pœnas, magnumque supplicium miseri luunt. An vos in hoc demum creditis paternam animadversionem, si esuriant, si inopia omnium deficiant atque tabescant? Illud parum est, notari infamia? [2] Illud parum est, exulem esse domus suæ, Larium suorum? nunc vos putatis esse fœlicem quemquam horum, aut hilarem? Experiatur aliquis: & revocet. Et hæc quidem, judices, duris atque asperis patribus, illa molliora. Speravi, inquit

1 *Verecunde nomine servitutis.*] Lego, *verecunde nomine severitatis dissimulatur vestra crudelitas.* Pith.

2 *Illud parum est exulem.*] Sophocles in Oedippo, τὸ τῶν τεκόντων ὄμμαθ' ἥδυσον βλέπειν. Ærodius.

inquit adoleſcens, aliquam impetus veſtri pœnitentiam. Credidi futurum, ut aliquando ſuccurrerent initia infantiæ, blandimenta pueritiæ. Reſervavi filios judiciis veſtris: & ſi quando ignoſceretis, in integro habui. [1] Vos æſtimatis cauſas, propter quas expuliſtis: ſic crederetis, Satis pœnarum dederunt. Ego illud præſto, illud promitto, nihil poſtea turpiter fecerunt. Ne tamen nimium jactare atque imputare videatur, illum quoque miſericordiæ ſuæ ordinem confitebitur. Unus (inquit) fuit primo, qui ſollicitaret hanc nimiam liberalitatem: æqualis alioqui & in ſtudiis comes, & in luſibus. Hic fecit exemplum: auſus eſt rogare proximus: nec adhuc illud oneroſum patrimonio videbatur. Inde factus eſt ordo: etiam legem mihi videor dixiſſe miſericordiæ. Cui negarem? [2] omnes idem rogabant, omnes idem excuſabant, omnes idem pollicebantur. Ego vero (inquit) quandiu fuerit hoc patrimonium: ſic ero, ſic utar: & ſi defecerint omnia, non tamen pauperem me putabo, neque egentem: Sed pro illis paternis poſſeſſionibus, hos oſtendam cives: pro illo fœnore, hunc populum. Et quæ tanta patribus ira, quæ tanta infœlicitas noſtræ civitatis, quod reipublicæ fatum, ut iſtud diutius aut pluribus neceſſe ſit? Et ne vobis multum videar imputare: non ſunt iſti oneroſi facultatibus meis: non quos ampla, quia ſic à parentibus meis conſtituta eſt, fortuna graves ſentiat: quia vivimus parce. Quantulum eſt enim quod accipiunt? quantulum eſt quod exigunt? vos fortaſſe plus conſumpſeritis, patres, qui ſtudia foviſtis, qui [3] ad hanc ætatem uſque vixiſtis: mihi ſervare cives

1 *Vos æſtimatis cauſas.*] Videtur leg. *Vos æſtimate cauſſas*, & poſtea *oneroſum patrimonio vid.* Pith.

2 *Omnes idem excuſabant.*] Non omnes primum induxerat abdicatos alere: ſed ubi ſemel ab uno rogatus eſt, cui negare non potuit: dum multorum aliorum parem intellexit eſſe vicem & conditionem, cum factum excuſantium quod abdicati eſſent: tum omnem operam huic diviti adoleſcenti pollicitantium, cœpit paſſim abdicatos alere. *Erodius.*

3 *Ad hanc ætatem uſque vixiſtis.*] Alii *vexiſtis.* Forte *provexiſtis*, aut *nutriſtis.* Gronovius.

cives satis est. Ac nihilominus quod in istos impendo, si creditis, ipse frugalius vivo. Quicquid in hos confertur atque congeritur, de meo est: detrahitur adolescentiæ voluptatibus, detrahitur concessis: alioqui quandiu in his annis sumus cupiditatum, duo simul assequor: quod & liberalius & frugalius vivo.

## CCLXI.

## *Æquatio patrimoniorum.*

In qua civitate frequenter Tyranni erant, fert quidam legem, ut patrimonia æquentur.

### Sermo.

*Hæc quoque aliquotiens tractata controversia est, & per summas digeri potest.*

### Declamatio.

PRimum incusamus legem non satis significanter scriptam, & multa obscura in se habentem. Nam hoc non satis distinxit, utrumne patrimonia nunc demum æquari oporteat, an quotiens aliquod eminebit: an si vere remedium id solum pro Republica est, perpetuum esse debeat: & ideo lex repudianda, quia hoc non satis dispexit. Si hæc vis est legis istius, [1] ut sit de æqualitate patrimoniorum: idem census omnibus detur: omnes pene dies, omnia tempora necesse erit in hac partitione consumi, [2] si quis frugalis vixerit, si quis luxuriosus vixerit. Est præterea contra leges omnes scripta hæc lex. Quippe nullum jus non ita compositum est, ut suum quisque habeat, & alieno abstineat. Sed ne servari quidem potest. Quid enim futurum est? [3] Prætereo illud, quod aliqui negociabuntur, aliqui acquirent, aliqui frugaliter vivent? Quæ ratio relinquendæ hæreditatis erit? quæ ratio testamentorum? cum is qui creverit

1 *Ut sit de æqualitate patrimoniorum.*] Sensus flagitat: *ut sit semper æqualitas patrimoniorum.* Idem.

2 *Si quis frugalis vixerit.*] Forte: *ut quis frugalius cæteris, ut quis luxuriosius vixerit.* Idem.

3 *Prætereo illud.*] Emenda, *præter illud.* Pithœus.

verit hæreditatem, continuo non plus sit habiturus, quam cæteri, & divisurus cum his, qui non eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt? His adjiciamus, quod etiam inutilis est, duabus præterea causis. Nam & frugalitatem eorum, qui servaturi sunt imminuet, & luxuriæ eorum, qui consumpturi sunt, prospiciet. Cur enim quisquam servet, tam perditurus aliena luxuria, quam sua? Cur enim non quisquam abutatur? Hæc de ipsa lege dixisse satis erat, remota temporum æstimatione: Nunc videamus quid sit propter quod ponatur. Frequentes Tyranni sunt. Primum, quam iniquum est: ideo quod aliquos improbos habeas, exui patrimoniis paternis atque avitis: eos etiam, quos bonos esse cives [1] constabit? Nam si tyrannidem timemus: erat aliquanto æquius in personas eorum, qui possent Reipubl. esse suspecti, dirigi actiones: quam pœnam esse publicam, metus (ut dicitis) publici. Adjice, quod ne præcipua quidem causa est affectandæ tyrannidis, magnitudo facultatum. Quin ex diverso facilius aliquando occupaverint tyrannidem hi quorum fracta ratio, quorum clauda fortuna, & qui stare Republica salva non possunt. Deinde adeo non inhibetis ista re tyrannidem, ut si qui in civitate nostra dementes sunt, etiam causam habituri sint affectandæ tyrannidis. Nam si quis tyrannidem occupat, ut aliena bona possideat, quanto facilius ad tyrannidem perveniret, ut sua vindicet, sua recipiat?

CCLXII.

1 *Constabit.*] Adjicit unum exemplar, *ejicere*? Pithœus.

## CCLXII.

## *Maritus virginis raptor.*

Iniusti repudii sit actio. Qui habebat uxorem, rapuit virginem: nuptias rapta optavit: ille repudiavit uxorem: agit illa injusti repudii.

### Declamatio.

[1] Lex injusti repudi maxime necessaria ad continenda matrimonia, & his præcipue moribus (quibus finem tantum necessitas fecit) super omnes leges tuenda est. Repudiatam ab hoc uxorem esse manifestum est, Reliquum est ut aliquid repudiatæ objiciat. Ita demum enim potest esse justum repudium, si meruit id quæ repudiatur. Ne ipse quidem tam imprudens est (quanquam non desit audacia) ut crimen ullum fingat in uxorem. Necessitate defenditur. Poteram dicere, [2]aliud esse justum. Nam lex injusti repudii spectat utramque personam: nec satis est id modo intueri, quid maritus facere debuerit: verum id quoque intuendum est, quid pati debuerit uxor. Quare licet tu necessario repudiaveris, hæc injuste repudiata est. Hæc dicerem, si non tua culpa accidisset, ut repudiares. Sed miror, si in hac civitate diligentissima juris, ulla lex contra alteram scripta est: aut hoc prudentissimi constitutores juris non viderunt. Quomodo necesse est, quod justum non erat? Rapta, inquit, nuptias meas optaverat. Non est hoc tale, quale si diceres, tyrannus coegit: quale si diceres, Aliquis, cui potestatem dederat Respublica, hoc jussit:

1 Quintil. lib. 7. Institutio. orat. cap. 5. Simpliciores illæ cavillationes injusti repudii, sub qua lege, controversiæ illud proprium habent, quod à parte accusantis defensio est, & defendentis, accusatio, &c. Illic omnes fere loci, qui in scholis tractari solent, summatim referuntur. Necnon ibi Fabius explicat, quibus fori actionibus & formulis respondeant. Injusti repudii aut malæ tractationis, rei uxoriæ actio est, cum quæritur utrius culpa divortium factum sit. Cæterum de divortiis, causis divortiorum, & pœnis culpa divertentium, pleni sunt libri & oratorum & jurisconsultorum: inter quos vide Ulpian. in Fragmentis tit. de dotibus. *Ærodius.*

2 *Aliud esse justum.*] Adde, *aliud necessarium.* Idem.

jussit: Senatus, aut populus pertinere id ad rempublicam existimavit. Ut rapta repudiare coegerit, ut cogi posses, tu feciſti. Et ipsum hoc repudii tempus, male computas. Tunc repudiatam tu credis uxorem, cum res suas sibi habere jussa est? cum egredi de domo? Uxorem tunc repudiasti cum egisti utraptæ adversus te liceret, [1] quantum adversus cœlibem licet. RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL NUPTIAS OPTET. Hanc potestatem adversus te vitiata habuit. [2] Ecquid intelligis jam non esse uxorem, quæ non obstat? Ego te adeo non puto defendi hoc genere patrocinii posse: ut quocunque alio modo dimisisses uxorem meliorem tum causam fuisses habiturus. Egregia hercule defensio. Dico, Repudiasti uxorem pudicam, obsequentem, fidelem. Respondes mihi, Sed rapui: sed alienam domum expugnavi. Pessimus maritus videreris, si amorem in aliquam meretricem deflexisses: si ancillarum cupiditas à geniali toro avocaret. Jam tum non eras maritus, cum animus tuus spectabat vacantes: & hoc si tantum libidine & cupiditate feciſſes, [3] repudiatæ tamen causa ad te rediret. Quid si ne credibile quidem est nisi eo pacto factum hoc esse, ut tibi raptori ignosceretur? An vero tu in tantum periculum veniſſes, ut raperes maritus, ut crimini tuo hanc quoque adjiceres invidiam? Nisi succurritis, judices, inventum est jam quomodo uxores optimas repudiare liceat. Prospicienda tantum virgo est, rapienda est: cæterum defendemus istud, quod nullo genere licet facere, licet specie necessitatis. Præter hæc, illud

1 *Quantum adversus cœlibem licet.*] Tantum adversus te maritum, quantum adversus cœlibem, & eum qui nondum uxorem duxerit, licet: nempe ut vel mortem, vel nuptias optaret. *Idem.*

2 *Et quid intelligis jam non esse uxorem.*] Quasi dicat, non sola optio sufficit, ut statim veluti ipso jure, uxor raptoris esse incipiat: sed & jurejurando & decreto magistratus opus est. Prius igitur uxorem aliam repudiasse, culpa est mariti, & ideo injusti repudii agi potest: Altera lectio & restitutio nostra, nec conjectura caret: nam cui uxor est domi, hujus potius mors quam nuptiæ optari possunt: sic ut electioni raptæ præscribi posset. Si non uxorem habeo. *Idem.*

3 *Repudiatæ tamen causa.*] Lege: *repudii tamen causa ad te rediret.* Gron.

illud quoque, judices, intueri oportebit, [1] quo maximorum istius criminum, aliqua tamen vindicta contineat: Per se indignum erat, raptorem impune feciſſe: indignum erat, injuste repudiatam esse uxorem: [2] utrique crimini una pœna erit, levis quidem. Et sane habeat hoc lucrum magna nequitia, quod non fere puniri pro meritis potest: [3] ab illa quidem rapta vindicavit nos ipse.

## CCLXIII.

## *Ignominiosus contra tres rogationes.*

Qui tribus Rogationibus contradixerit, nec tenuerit ignominiosus sit. Duabus quidam rogationibus contradixit: non tenuit: Tertia rogatio ferebatur, qua ignominia remittebatur notatis: contradixit & huic: non tenuit. dicitur ignominiosus.

### Declamatio.

Qui tribus Rogationibus contradixerit, nec tenuerit, ignominiosus sit. [4] Lex manifesta (fortasse supervacuum [5] ista dicere, verumtamen permittit lex & hoc dicere) justa. Quis majore ignominia dignus est, quam homo inquietus, qui publicis utilitatibus ter obstiterit? qui ne metu quidem ignominiæ ad silentium compelli, saltem tertio potuerit? Ergo de lege dubitari nihil potest. Videamus, an hic

1 *Quo maximorum istius criminum.*] Superiores, *istum*. Sed scribendum: *quo max. istis criminum aliqua tamen vindicta contingat*. Paullo ante insinuaverat judicibus inter raptam & raptorem clandestinum pactum intercessisse, hic raperet, illa nuptias optaret. Itaque nunc sic loquitur, ut utriusque culpam puniri velit. *Idem.*

2 *Utriusque criminis una pœna erit, levis quidem.*] Cum bis (inquit) puniri eum oporteret, & quia unam rapuit, & quia alteram culpa sua repudiat: quæ duo crimina, suam pœnam habent legitimam & separatam. Nunc minus odiosa sit hæc agentis mulieris actio, quo utriusque criminis pœna erit unica, & ea quidem levior, quia pecuniaria, quam mariti injuste divertentes, uxoribus præstant. De hac pœna Plutarc. in Romulo. Iustinian. in l. consensu, & l. ult. C. de repud. Apud Athenienses dotis etiam usuras præstabat maritus, & quædam frumenti annua, Demosthenes κατὰ νεαίρας. Ærodius.

3 *Ab illa quidem rapta vindicavit nos ipse.*] Scribe, *ab illâ quidem rapta vindicabit nos ipsa. Ab illa*, puta, nequitia, me vindicabit ipsa rapta, si nempe inane votum feciſſe judicetur, & amissa virginitate marito careat. *Gronovius.*

4 *Lex manifesta.*] Scribe, *manifeste*. Cætera recte se habent. *Idem.*

5 *Ista dicere.*] Melius, *justa dicere*. Pith.

an hic in legem inciderit. Tribus rogationibus contradixit. Num fallimur numero? num aliquid adversus istum mentimur? [1] Non ut opinor, ipsum saltem dicere ausurum. Bis jam contradixerat: bis non tenuerat. Proxime dixerat: non tenuisse eum scimus. Ergo si lex ignominiosum vult esse eum, qui ter contradixerit, nec tenuit: quomodo ignominiosus inveniri profecto non poterit? non negat se in hanc legem incidisse: sed eadem rogatione, cui contradixit, solutum esse contendit. Placuisse enim publice, ut omnibus ignominiosis notare mitteretur. Non miror istum tam frequenter contradicere. Vim legum parum perspicit: quo pertineant rogationes, aut dissimulat, aut ignorat. Ferri profecto rogatio, quotiens pœna aliqua remittitur, non potest, nisi de his, qui pœna jam tenentur. Id vel cogitatione ejus, qui tulit rogationem, vel æstimatione populi, vel ipsa rei natura perspiciamus. Is, qui ferebat rogationem, num aliquid cogitare de eo potuit, qui non erat ignominiosus? non, ut opinor. Neque enim hic jam ter contradixerat rogationi: nec an tertio contradicturus esset, [2] divinare poterat. Ergo qui ferebat rogationem, nihil de eo cogitavit. Populus cum in consilium mitteretur, & miseratione hominum moveretur, de his cogitavit, qui ignominiosi jam erant. Fortasse motus est numero, fortasse motus est personis, fortasse motus est causis. Hic neque in numero esse poterat: nondum enim ignominiosis accesserat: neque causa miserabilis, qui ne damnatus quidem esset: [3] neque persona. Ergo nec qui ferebat rogationem, nec qui accipiebat de hoc cogitaverunt. Nunc ipsam rei naturam intueamur. [4] Quid remitti potest, nisi quod credi-

1 *Non opinor ipsum saltem dicere ausurum.* Et postea, *proxime contradixerat.* Sic. leg. vid. *Pithœus.* *Non, ut opinor, ipsum.*] Lege, *Non id opinor ipsum saltem dicere ausurum.* Gronovius.

2 *Divinare poterat.*] Forte, *divinari.* Idem.

3 *Neque persona.*] Hìc tale quid desidero, Quia humilis & abjectus, nullìusque in Repub. auctoritatis, qui cùm jam duabus rogationibus contradixisset, nunquam obtinuit. *Ærodius.*

4 *Quid remitti potest nisi quod creditur?*] Num quid *tenditur*? aut *intenditur*? Gron.

creditur? Hæc rogatio nihil aliud fuit, quam ignominiosorum in pristinum statum restitutio: nondum eras in ea fortuna, ut restituendus esses. Sed eodem, inquis, tempore ego ignominiam merui, quo remissa est. Postea dicam, quam dignus ista sis ignominia. Interim ista temporis computatione excludo: [1] quamvis enim ea rogatio recepta sit, cui tu tertio contradixisti: ante tamen rogatio recepta est, quam tu ignominiosus esse cœpisses. Lex enim quid dicit? Qui rogationi ter contradixerit, eique tenuerit, ignominiosus sit. De præterito & de perfecto jam transactoque tempore loquitur. Cum de rogatione ageretur, contra dicebas: nondum eras ignominiosus; nondum enim rogatio erat. At cum recepta est rogatio, tum, quia non tenueras, ignominiosus esse cœpisti. Illud etiam adjiciendum videtur, neminem unquam digniorem fuisse ignominia, quam te. Viderimus enim, quales illæ fuerint rogationes, quibus antea contradixisti. Utiles utique: receptæ sunt enim, & pro Republica placuerunt. Enimvero huic aliquis rogationi contradicit tam misericordi, tam leni, quæ civium numerum ampliat? Si alius quilibet contradixisset, inhumanam rem feciſſet. At tu istud contradicis, ne ignominiosi restituantur, [2] homo extra periculum positus. Dignus es ergo, ut patiaris ea, quæ pati omnes voluisti: nisi forte sic intelligimus istam receptam rogationem, ut nemo sit unquam omnino in civitate nostra ignominiosus. [3] An id vel populus voluisset, vel ille, qui ferebat? abrogasset potius hanc legem, quam novam constituisset: [4] rogationem appella-

1 *Nondum enim rogatio erat.*] Fort. *rogatio recepta erat.* Pithœus.

2 *Homo extra periculum positus.*] Quia si obtinuerit, infamis non erit: sin rogatio recepta sit, dicet eadem se omni nota liberari. *Ærodius.*

3 *At si id vel populus voluisset.*] Novum jus hoc quod constitueret (inquit) legem, quæ dat formam futuris negotiis, & omnes homines comprehendit, potius appellasset: quàm rogationem, quæ fere de singulis, & præteritis cavet. *Idem.*

4 *Rogationem appellavit de his.*] Forte *approbavit*, vel *acceptavit*. Gron.

pellaret de his tantummodo latam, qui erant ignominiosi. Illis remisit istam veniam. Fortasse isti placebunt, si plures inciderint in eandem sortem, in eandem conditionem.

## PARS ALTERA

### DECLAMATIO.

IDem tempus est ignominiæ meæ & receptæ rogationis. Nam natura prius est, ut ego non teneam, quam ut recepta lex sit. Nam si ego tenuissem, lex recepta non esset: quoniam non tenui: recepta lex est. Igitur ignominia mea præcessit tempus rogationis. Prius apud animos suos constituerunt homines, non parere contradictioni meæ, quam rogationem receperunt. Antequam tabella referretur, antequam excuteretur numerus populi, ego jam non tenueram. Rogatio nondum erat recepta, nisi posteaquam dinumeratæ sunt populi sententiæ. [1]Hoc ergo tenuit. Atque etiam si hoc tempus mihi non remitteret totam ignominiam: lex tamen quæ ignominiosos vacare omni nota voluerat, remiserat mihi duas illas contradictiones. Non enim facit ignominiam tertia contradictio, sed tres. Quod si duæ illæ præcesserant, quæ majorem partem ignominiæ conficiunt, id quod jam me premebat, remiserant.

## CCLXIV.

### *Fraus legis Voconiæ.*

NE LICEAT MULIERI NISI DIMIDIAM PARTEM BONORUM DARE. Quidam duas mulieres dimidiis partibus instituit heredes. Testamentum cognati arguunt.

### DECLAMATIO.

[2]ANtequam jus excutio, & vim legis, quæ per se satis manifesta est, intueor; primum illud apud vos dixisse

1 *Hoc ergo tenuit.*] Ut saltem (inquit) rogationis beneficio uterer. *Ærodius.*

2 Ex hoc tandem loco fit manifestum, ut accipi id oporteat, quod ab aliis auctoribus, absque ulla speciali nota, scriptum est de coërcendis ex lege Voconia mulierum hæreditatibus. Atque adeò mulieri non solum quartam,

xisse contentus sum: adsum testamento. Eventum huic legi dabit religio vestra, & excussa parte utraque, sententiam formabit. Interest tamen supremæ hominis voluntati legem favere, ut quod de bonis suis constituit in supremis dominus fecerit jure, Nec me confundit, quod ex diverso sunt propinqui. Jactent ut volent sanguinis conjunctionem. Ego intelligo quasdam fuisse causas, propter quas is qui hos cognatos habebat, aliis moreretur hæredibus. Ac si in hac parte haberent fiduciam, arguerent testamentum tanquam impium, tanquam inofficiosum. Nunc apparet, neque de personis earum, quæ hæredes sunt institutæ, dici apud vos posse: neque eorum, qui sibi contra testamentum vindicant, merita proferri. Solum enim jus excipiunt, & circa legem calumniantur. Quæ lex tamen qualis est? Ne liceat mulieri plusquam dimidiam partem bonorum suorum relinquere. Etiamsi forma judicii unius est, [1] apparet tamen vobis cum legibus esse litem. Quæro igitur ab istis, utram eligant, in qua malint consistere. Neque enim litigant de bonorum parte, sed totum arguunt testamentum. Incipiamus igitur ab ea quæ prior scripta est. Quid in hac parte testamenti vitiosum est? Vetatur plusquam dimidiam partem bonorum relinquère, dimidiam partem patrimonii accipi. Excutiemus postea, quale sit illud, quod consequutum est. Interim hoc jus firmum est, nec everti sequentibus potest. At enim jus quidem illa habuit capiendi: sed ea, quæ postea scripta est, non habuit. Iterum interrogabo, quare. Quoniam plusquam [2] dimidiam partem patrimonii relinquere fœminæ non potuit. Atqui hæc quoque non plusquam dimidia parte

uti ex Dione colligebatur, sed dimidiam totius hæreditatis relinquere ex lege licuisse: ut jam nullus Augustino fuerit tam acriter in Voconium Saxam invehendi locus, si quale caput hoc legis fuit, ex Quintiliano cognovisset. *Erod.*

1 *Apparet tamen vobis cum legibus.*] Scribo: *apparet tamen duabus cum hartdibus esse litem. Quæro igitur ab istis, utram eligant, cum utra malint consistere?* Nam *consistere* hic est litigare, ut sæpe in his declamationibus. *Gronovius.*

2 *Dimid. partem pat. accipi.*] *Accipi.* Pith.

parte patrimonii hæres instituta est. Nec video rationem, cur id quod illi capere licuit, huic non liceat: cum in eodem scripta sit testamento. Manifestum est nihil posse calumniæ admittere verba legis ac scripti. Nunc peritissimi litium homines ad interpretationem nos juris adducunt. Non enim hanc esse legis voluntatem, quæ verbis ostendatur, videri volunt. Quorum ego prudentiam, judices, magnopere miror: tantum vicerunt illos [1] majores nostros, illos constitutores juris, illos qui rudem civitatem, legibus ac jure formarunt: ut hoc approbare conentur, defuisse his sermonem, defuisse consilium. Ac prius quam rationem ipsius legis excutio, interim hoc dico, judices: Pernicioſissimam esse civitati hanc legum interpretationem. Nam si apud judicium hoc semper quæri de legibus oportet; quid in his justum, quid æquum, quid conveniens sit civitati: supervacuum fuit scribi omnino leges. Et credo fuisse tempora aliquando, quæ solam & nudam justitiæ haberent æstimationem. Sed quoniam hæc ingeniis in diversum trahebatur, nec unquam satis constitui poterat, quid oporteret, certa forma, ad quam viveremus, instituta est. Hanc illi auctores legum verbis complexi sunt: [2] quam si mutare, & ad utilitates suas pervertere licet, omnis vis juris, omnis usus eripitur. Nam quid interest nullæ sint, an incertæ leges? Lex illa complexa est. Ne plus liceat quam dimidiam partem mulieri relinquere. Neutri ex his, quibus adsumus, plus dimidia parte relictum esse manifestum est: [3] & apparet potuisse legum latorem, ut si partem demum patrimonii pervenire ad fœminas vellet, partem utique viris relinquere id ipsum caveret: neque id magno aut difficili circuitu effici potuit: sed vel sic scripta lege, non plusquam dimidia pars patrimonii

1 *Majores nostros.*] Vet. *vestros.* Idem.

2 *Quam si mutare.*] Lege: *quæ si mutare.* ut ad *verba* pertineat. *Gronovius.*

3 *Et apparet potuisse.*] In quibusdam exemplaribus lego, *& apparet voluisse legumlatorem uti pars dimidia patr. &c.* non male. & post illud *perveniret* interrogationis notam adjicio. *Pith.*

monii ad fœminas perveniret. Interrogo enim: Si pluribus fœminis, sed minores aliquanto portiones reliquerit: quæ tamen computatæ, & in unum contractæ plusquam semissem patrimonii efficiant: quæro an moveri lis possit? Nam si movetur lis, non hac (ut opinor) lege litigabitur, qua plusquam dimidiam partem patrimonii relinquere fœminæ non liceat, cum ex illis nulla dimidiam partem acceperit. Sive ad totam nos vocas computationem, nihil interest quantum cuique fœminæ relinquatur. Quid si ne ratio quidem repugnat scripto, & verbis legis istius? Quid enim putas voluisse legislatorem, cum hoc jus constitueret? Ne fœminæ nimias opes possiderent, ne potentia earum civitas premeretur. Hoc ergo adversus singulas constituit, & ad evitandas opes fœminarum, satis hoc quæsitum, ne uni plusquam dimidia pars patrimonii relinqueretur. [1] Cæterum quidem illud non caverunt leges, ne plures fœminæ eodem testamento scriberentur: non hercule magis quam illud, ne plures hæreditates iisdem fœminis relinquerentur.

## CCLXV.

### *Ignominiosi pulsator in templo.*

Si quis in templo iniuriam fecerit, x. millia det ei, cui iniuriam fecerit; decem millia civitati. Ignominioso ne sit actio iniuriarum. Quidam ignominiosum pulsavit in templo: decem millia petit Magistratus, nomine civitatis.

### Declamatio.

SI pudor commendandus est (cujus difficillima ratio est in lite pecuniaria) non nobis litigamus, ac ne Reipublicæ quidem & civitatis nomine avari sumus: & hæc omnis actio non tam lucri gratia, & acquirendæ hujus pecuniæ constituta est, quam in ultionem Deorum immortalium,

1 *Cæterum quidem.*] Alii, *cæteroquin.* Idem.

talium, & templi (ut proprie dixerim) expiationem. Nec minus manifestum jus est, quam integer pudor. Lex enim palam scripta est, ut is, qui in templo injuriam fecerit, decem millia det civitati. Mihi hoc satis est; qui civitatis nomine litigo. Sed totam legem à nobis pars diversa legi desiderat. Decem millia, inquit, ipsi qui injuriam acceperit, decem civitati: & hoc excludere tentat civitatem, quod ipse qui injuriam acceperit non habeat actionem. Sane contumelosus, & pro cætera morum suorum petulantia, adversus magistratum vestrum, audax qui præscribere tentet civitati tanquam ignominiosæ, Facile, ut opinor, constabit, nihil ad nostram actionem pertinere, quam legem habeat ipse, qui pulsatus sit. Existimemus enim esse aliquem non igominiosum in templo pulsatum, sed vel dedisse hujus injuriæ veniam, vel alio aliquo impedimento agere noluisse: num ideo ne civitas quidem jus suum tuebitur, ut omnia impune fecerit? Verum ne ipse quidem adversarius tantum in exemplo fiduciæ habet, quantum in ipsa injuriæ interpretatione. Nos enim injuriam dicimus esse, quod ignominiosum pulsaverit, cui actio non est. Ego, judices, plurimum interesse existimo, utrum quid facere liceat, an vindicare non liceat. Non enim continuo si ignominioso actio non datur, licet adversus ignominiosum, quod quisque velit. Tale est ignominiosum pulsare, quale furtum sine teste facere, ut damnari quidem non possit, admittere tamen non debuerit. Quin ex hoc ipso, quod ignominioso actio non datur, apparet esse Reipub. actionem. Quid enim lex eripuit, si ejus demum rei non dedit actionem, quam facere licuit? Non autem jus peccandi adversus ignominiosos dari uno & brevi & manifesto videor argumento probaturus. Quem pulsare licet, occidere licet. Atqui ignominiosum si quis occiderit, cædis lege tenebitur. Quare? Quoniam actio hujus necessario ad alium pertinet. Apparet ergo non tibi aliquid adversus ignominiosum licuisse, sed ignominioso

nihil pro se licere. Itaque [1] ignominiosus non agit tecum injuriarum: tu tamen injuriam feceris: & hoc ad pœnam ejus vitæ ac turpitudinis pertinebit, quod tu non dabis pœnas peccati. Hæc dicerem si ubicumque pulsasses ignominiosum: nunc ut injuria non sit aliquo loco pulsasse ignominiosum, injuria tamen est in templo pulsare. Nam si id est utriusque nostrum confessione injuria, quod manifestum est non esse jure factum: ut tibi jus fuerit alibi pulsandi ignominiosum, (quod non esse jam docui) in templo pulsandi jus non fuit. [2] Hæc ego ita dicerem, etiamsi omnis ista ultio pertineret ad eum, qui injuriam accepisset. Nunc res duplex est: [3] crimina duo sunt ejus, qui in templo pulsatus sit. Quid enim lex dicit? Qui in templo injuriam fecerit, decem millia denariorum det ei, cui injuriam fecerit: decem millia civitati. Non si hæc juncta atque contexta sunt, continuo unius legis habent vim & proprietatem. Id sic cognoscite: [4] duos actores habent; nec potest videri una lex, cujus pars ad privatum, pars ad Rempublicam pertinet. Ergo si juncta sunt ista (ut dixi) duas causas habent. Pars est legis ejus quæ vindicat templum. Ergo [5] ut remittatur tibi ea quæ pertinet ad templum, restat ea quæ pertinet ad civitatem. Duæ enim sunt injuriæ in hoc tuo facto, & ideo duæ pœnæ. An vero iniquum videri potest, eum qui in templo pulsaverit, decem millia civitati dare? Quid enim magis in ulla Republica curari observarique oportet, quam religionem? Sane petulantia aliis locis mediocrem habeat reprehensionem. In templo vero, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo tacitam etiam mentem nostram custodimus:

1 *Ignominiosus non agit tecum.*] Scribe: *non aget*, id est, non habebit jus agendi. *Gronovius.*

2 *Hæc ego ita dicerem.*] Vet. ex. *ista.* Pithœus.

3 *Crimina duo sunt ejus, qui in templo pulsatus sit.*] Lego, *pulsaverit.* Gron.

4 *Duos auctores habet.*] Malim; *actores.* Pithœus.

5 *Ut remittatur tibi ea, quæ pertinet ad templum.*] Immo ea non remittitur. nam quæ pertinet ad civitatem, eadem vindicat templum. Scribe: *quæ pertinet ad pulsatum.* Gronovius.

mus: pulsare velut in solitudine, secreto quodam, non est ferendum. Dic nunc, Ignominiosus erat. [1] Sed in templo captis urbibus, vis hostium ac metus religione templorum defenditur. Qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras jacent. In templo pulsasti hominem: rem petulantem fecisti inter sacra, fecisti religiosissimo loco: & utcunque, [2] temeraria licet, aliqua ratio tamen appareret facti tui, si impetu lapsus esses, si ductus ira: nullam petulantiam magis odi, quam quæ propter hoc exerit, quia putat licere. Est sine dubio & hoc ipsum dignum odio persequi hominem fortasse infelicem; verecundum certe, quod confessus sit. Sane mereatur ille pœnam ulteriorem: manibus tuis parce, parce animo tuo: aut certe relinque istius impudentiæ locum. Respicere ad ictus tuos coëgisti patres fortasse qui vota faciebant, tumultuosa lite aliqua: nescio an etiam publica sacra turbasti. Quomodo enim cecidisse te existimemus, qui faciebas hoc tanquam liceret?

## CCLXVI.

### *Ex proditore exule, fortis.*

BIS DE EADEM RE AGERE NE LICEAT. In quadam civitate proditionis damnatus, missus est in exilium. Bello eadem civitate laborante, revocati sunt exules. Is qui proditionis damnatus fuerat, fortiter fecit. Petit ut iterum causam suam agat. Accusator præscribit, quod bis de eadem re agere non licet.

### SERMO.

*Initia communia habet controversia. Præmium peto lege concessum sine exceptione. Sequuntur & illa, ut justum quoque sit, virum fortem optare quod velit. Secunda illa quæstio est, an contra legem optare liceat: in qua illud dicere solemus, Nullum præmium*

1 *Sed in templo captis.*] Magnum momentum hæc acute dicta in distinctionibus habere recte sensit Pithœus. Id & hinc agnoscas licet. Sic autem & Ærodius, cum tamen interpungendum sit: *Dic nunc, ignominiosus erat. sed in templo. (Supple mente, erat.) Captis urbibus, vis hostium ac metus religione templorum defenditur.* Idem.

2 *Temeraria licet.*] Fori, *scilicet*, Pith.

*mium posse inveniri, quod non contra legem aliquam sit: & ideo magnam esse virorum fortium potestatem, quia supra jura omnia sit. Deinde comparabimus etiam legem, & despiciemus utram servare magis è Repub. sit, si utique altera tollenda sit. Postea veniemus ad id quoque, an utique ista præscriptio* [1] *valere debeat semper, hoc est, an etiam in publicis causis, bis de eadem re agere non liceat. In quo illud dicetur: privatis litibus, quoniam & minus momenti, & plus numeri habeant, succursum esse hac lege: publicas actiones majores esse, quam ut cadant exeptione. Insequetur denique illud ut dicamus, Etiamsi in aliis publicis causis, bis de eadem re agere ne liceat: non tamen eam conditionem esse proditionis:* [2] *quomodo in cæteris fortasse de pœna tantum & periculo quæratur ejus qui accusatur: in causa proditionis, de totius civitatis discrimine litigetur. Illud quæramus, an ista præscriptio ad eos tantum pertineat, cum quibus agitur: patiente eo qui accusatur, liceat bis agere.*

## Declamatio.

PUtemus te esse, qui velis accusare, reum non contradicere: quis tamen prohiberet, quo minus [3] interim accusarer? Ergo quod tibi liceret facere, me patiente, necesse erit, me optante.

## Sermo.

*His excussis quæstionibus, veniemus ad æquitatem. Dicemus hoc esse pro nobis, dicemus hoc esse pro Republica.*

## Declamatio.

Opto ut causam iterum dicam: nec me fallit quam multa præteream, quæ mihi lege concessa sint. Sed quis tandem me innocentem, quis dignum conversatione vestra putaret, si aliud optarem? est pro me. Non enim & tum ideo tantum defensus sum, ut in civitate remanerem, ut essem vobiscum: sed ut probarem me innocentem, nihil contra

1 *Valere debeat semper.*] Vet. ex. *insuper.* Idem.

2 *Quomodo in cæteris.*] *Quoniam.* Idem

3 *Interim accusare.*] Leg. vid. *iterum.* Idem.

contra patriam meam esse molitum. Et nunc non est satis si mihi ignovistis, si me civem vestrum publica necessitas fecit. Ego vero si merito damnatus sum, si quid tale, quale contra me pronunciatum est, feci: non utor isto beneficio. Non est pro me, sed est pro civitate. Homicidii damnatus, etiamsi merito exulabat, si revocatus est, potest de eo dici, Satis dedit pœnarum: alia scelera finem suppliciorum acceperint. Vos proditorem in civitate sinetis esse? Cum totiens bella interveniant (non dico de extremo illo discrimine) tantine est metus quisquam, toto animo adversus hostem nisi non respicietis? non expavescetis? Est pro Republica. Sed accusatoris quid interest? aut quid est, [1] cur iniquiore conditione dicturus sum hodie causam quam antea dixi? Tum detulerat eum, cui nihil objici posset: hodie defert damnatum. Hoc imprimis mihi objiciet, quod contra me sententias tulerint sanctissimi judices, quod proditorem me esse pronuntiaverint. Objiciat, & sic defendam. Et ne quis me, judices, sic audiat, tanquam ego de his querar, qui pronunciaverunt: si istud invidiosum judicibus esset, poterat videri non immerito præmio meo aliquis obstare. Sed non semper judicum culpa est, cum innocens damnatus erit. Aliquando testis corrumpitur: aliquando parum diligenter causa defenditur: aliquando reo nocet & ipsa fiducia. Vultis scire hoc non pertinere ad judicum pudorem? nemo contradicit nisi accusator.

## CCLXVII.

1 *Cur iniquiore conditione.*] Sic *Pith.* locupletius quam prius: nam Thaddæus: *cur causam quam antea dixi.* Supplet Ærodius: *non iterum dicam*: Sed præstat Pithœana: modo leviter adjuvetur. Scribendum: *cum iniquiore conditione dicturus sim hodie causam, quam antea dixi?* Vel, *cur æquiore.* Sic supra Decl. 254. *detulit litem, & litem injusta conditione.* Ita enim & ibi legendum: non *injustam*, ut vulgatur. *Gronovius.*

## CCLXVII.

### *Flens ad arcem, depositor tyrannidis.*

Affectatæ tyrannidis sit actio. Qui tyrannidem depoſuerat ſub pacto abolitionis, juxta arcem flens deprehenſus eſt, Affectatæ tyrannidis reus eſt.

### Declamatio.

Non fui, judices, dubius eo tempore, quo pœnitentia juvenilis temeritatis rempublicam [1] legibus ac poteſtati reddidi: quin mihi multum vexationis, ſive ab iratis, ſive ab invidis immineret. Nec enim iſte accuſator [2] hodie futuræ tyrannidis in judicium deſcendit: nec mihi ullum imminere periculum ex eo crimine, quod intentatur, intelligo. Quapropter & initio actionis, & per omnem orationem nihil magis faciendum mihi eſſe intelligo, quam ut invocem publicam fidem: ut id quod remiſiſtis, cujus obliviſci optimum putaſtis, non intra verba modo, primumque promiſſum ſteterit: ſed penitus animis, ac mente impetraſſe videar. Reliqua adeo longe à ſuſpicione affectatæ tyrannidis aberunt, ut propius ſpectent ad poſteriorum temporum pœnitentiam. Lacrymas quidem meas, ſi hic in judicio temporibus etiam in hac pace & tranquillitate degendum eſt, quum ſint exorandi adhuc animi, multorum ſuſtinenda malignitas: hæc mihi omnia [3] arx fecit. An ego poſſum non flere, quotiens cogito quos habuerim parentes, quam domus famam, quas ſpes adoleſcentiæ infelici temeritate, damnandis cupiditatibus, everterim, ut ſentio, in perpetuum? Nihil eſt enim quod accuſator meus ſimulatione quadam, [4] ad ea quæ præteriere, obliqua malligni-

1 *Legibus ac poteſtati.*] Forte, *legibus ac po. poteſtati*, id eſt, populi. Vel, *legibus ac populi.* Idem.

2 *Hodie futuræ tyr.*] Lego, *odio*, & paulo poſt, *ut propius ſpectent ad priorum.* Pithœus.

3 *Arx fecit.*] V. c. *ara.*

4 *Ad ea quæ præteriere.*] Scribe: *quod, accuſator meus, ſimulatione cauſæ, & ea, quæ præteriere, obliqua malignitate objicere conetur.* id eſt, dum videtur & præfert, hanc ſe cauſam agere, oneret me invidia præteritorum, quæ abolita & condonata ſunt. *Obliqua malignitas*, ut *obliquis orationibus & edictis* Suetonio, *obliqui carminis æſtus* Statio. *Gronovius.*

lignitate objicere conetur. Ego me feciſſe quod nollem, & ſcio, judices, & confiteor: & quamdiu vixero, ſemper hoc animo tota mente inhærebit: neque enim illas quæ me tetigerant ſuſpiciones, pertinere ad præſentem defenſionem puto: [1] ſecuriſſima rep. nec quid illud fuerit, an alienis cupiditatibus obſtiterim, [2] dum meas ſimul omnia iſta abſoluta eſſe credo, eo tempore quo inter me Remque pub. convenit, ut hæc omnia memoriæ exciderint, ut non ad leges, non ad odium pertinerent: tunc certe laudabatis. Sed quemadmodum apud vos moderationis famam conſecutus ſum, ita apud me ipſum. Hæc quoque gravis verecundia animo fuit, quod videbar hoc feciſſe tanquam moderator. Quid poſtea? ſatelliteſne contraxi ad arma? habui ante diviſam pecuniam? aliquid inter amicos continui? Quid objici mihi poteſt in futurum, cum præſertim affectatio tyrannidis multa crimina, & quæ non conjectura colligi oporteat, verum manifeſta comprehendat? Apparet, inquit, cupiditas tua: fles enim juxta arcem. Si confiterer depoſitæ poteſtatis illius pœnitentiam, dicerem tamen aliud eſſe affectare tyrannidem, aliud cupere. Verum quid ſigni, quid argumenti iſtæ lacrymæ habent? flere miratur aliquis hominem? Sed juxta arcem fles. Num ego poſſum continere lacrymas, quotiens illum locum video, à quo tam libenter deſcendi? Illic mihi ſuccurrit infamata adoleſcentia: quotiens arcem vidi, ſuccurrit inde hasinimicitias. Sero me accuſatores, deprehendiſtis. Quantum me putatis fleviſſe antequam deſcenderem? iſtius enim affectus argumentum lacrymæ habent. Cæterum affectare tyrannidem, ſperantis eſt, erectioris animi ſunt iſta crimina: fletus, remiſſi, fatigati. Tu id mihi criminis ejus argumen-

1 *Securiſſima reip.*] Leg. *rep.* Pith.

2 *Dum meas ſimul omnia.*] Ærodius corrigit & ſupplet: *dum meis indulgerem. Simul omnia.* Fortaſſis: *an alienis cupiditatibus obſtiterim, dum meas finio: omnia iſta abſoluta eſſe credo.* Suſpicionem movet ipſam ob tyrannidem depoſitam quoſdam ſibi ſuccenſuiſſe, qui ſcilicet illius invidia peccabant. Ut faciat non alienum à fide, accuſatorem inter hos eſſe potuiſſe. *Gronovius.*

gumentum vis videri, [1] cujus desperatio est. Quæro enim ex te unde istum fletum putes? Nam si affecto, si spero, si rediturum me ad ea, ex quibus invitus descenderim, puto: quæ causa lacrymarum est? Si vero hoc est, quod animum meum torqueat, quod ex illo fastigio descenderim, quod ex æquo vivam, quomodo affectare possum, quod scio mihi non posse contingere? Eodem revolvatur oratio necesse est, unde cœpit. Ego publicam appello fidem, quæ inter piratas sacra est: quæ inter armatos hostes inducias facit: quæ deditarum civitatum jura conservat. Qualecunque istud est, promisistis, censuistis: ac de me quidem nihil. Mihi enim jam tædio vita est: jamque hæ lacrymæ quotidianæ accesserunt prope ad vota mortis. Illud videte, an si aliquem reipub. error, aut fortuna, si quem aut consilium aliquod, [2] aut temeritas miserit, detis locum pœnitentiæ, permittatis emendari: velitis meliores fieri cives.

## CCLXVIII.

## *Orator, Medicus, Philosophus.*

[3] Contendunt Orator, Medicus, Philosophus de bonis patris, qui testamento eum hæredem reliquerat, qui se probasset amplius prodesse civibus.

### Declamatio.

Lex contentionis, & formula, & omne præscriptum ex testamento patris pendet: cujus vis non est ea, ut quæ-

1 *Cujus desperatio est.*] Thaddæus, *criminis vis augmentum jus videri.* Nec aliter Ærodius, nisi quod *ejus.* Scribe: *Tu in me criminis vis argumentum id videri, quod desperationis est.* Idem.

2 *Aut temeritas miserit.*] Credo, *si aliquem reipublicæ error aut fortuna, si aut consilium aut temeritas immiserit.* Hoc est, si quis per errorem aut fortunam, &c. rempublicam invaserit, tyrannidem occuparit. *Idem.*

3 Quintilianus hujus controversiæ meminit lib. 7. Instit. cap. 2. Multis millibus versuum (inquit) scio apud quosdam esse quæsitum, quo modo inveniremus utra pars deberet prior dicere, quod in foro, vel atrocitate formularum, vel modo petitionum, vel novissime sorte dijudicatur. In schola quæri nihil attinet, cum in declamationibus iisdem narrare, & contradictiones solvere, tam ab actore, quam à defensore, concessum sit. Sed in plurimis controversiis ne inveniri quidem potest: ut in illa,

quæratur quæ professio ex nostris speciosissima (quanquam sic quoque vincerem) sed quæ civitati sit utilissima. Nihil est ergo quod ingenia jactent, nihil quod ex animo suo tantum referant. Quæritur quis omnibus prosit. Sit Philosophia res summa: ad paucos pertinet. Sit eloquentia res admirabilis: non pluribus prodest, quam nocet. Sola est Medicina, qua opus sit omnibus. Et patrem quoque nostrum id voluisse, ut hanc quam in contentione reliquisse videtur partem quodammodo civitati daret, manifestum est. Non sibi utilissimum, non amicis utilissimum, non de patre optime meritum, proprie quid ferre ex [1] testamento suo voluit? qui fuerit utilis civitati. Ergo & æqualiter ad omnes Medicina sola pertinet, & nulla tam necessaria est omni generi hominum, quam medicina. Reliqua conferamus. Ac mihi primum agendum est cum fratre Philosopho, cujus ego in hodierna contentione propositum mirari satis non possum. Nihil enim videtur habere Philosophia præstantius, quam quod modicis contenta est, ampliores opes non desiderat. Nam si cupiditates easdem, quas cæteri habent, non video quid prosit. [2] Neque me præterit, judices, quam multa dici adversus hanc professionem ab his soleant, quorum libertatem non impediunt personæ. Quippe hos illi & vanos vocant & otiosos, & in ambitum ipsum contra quem maxime differere videntur, alligatos. Mihi cum fratre

illa, Qui tres liberos habebat, Oratorem, Philosophum, & Medicum, testamento quatuor partes fecit, & singulas singulis dedit: unam ejus esse voluit, qui esset utilissimus civitati. Contendunt quis primus dicat: incertum est: propositio tamen certa. Ab eo enim cujus personam tuebimur, incipiendum erit. Et cap. 5. Finguntur & testamenta, in quibus de sola quæratur voluntate, ut in controversia quam supra exposui, in qua de parte patrimonii quarta, quam pater dignissimo ex filiis reliquerat, contendunt Philosophus, Medicus, Orator. De hac parte hic agitur, non de omnibus bonis paternis, ait enim, ut hanc quam in contentione reliquisse videtur partem, &c. *Ærodius.*

1 *Test. suo voluit. sed, qui magis ferit.* Pithœus.

2 *Neque me præterit.*] Totus hic locus ita legebatur & depravate, & perverso ordine: *Neque à me poterunt judices quam multa dici adversus hanc professionem quæ ab his soleant, sed persona fratris mei impedit me ut ego non dicam quæ possem contra philosophum: quorum libertatem non impediunt personæ.* Ærodius.

fratre quæstio est. Hæc ergo leviora dixisse satis est, Philosophiam non esse necessariam. Ego autem mores nasci puto, & propriam cujusque naturæ virtutem: alia forsitan discantur: quædam experimentis cognoscenda sunt. Boni mores constant voluntate. Id patere diversis utriusque partis exemplis potest. Nam & optimos viros citra philosophiam fuisse constabit & studiosos sapientiæ usque ad ultima exempla scelerum nequitiæque venisse. Non enim, ut opinor, ex istorum scholis abstinentiam didicere Fabricii, Curii: nec uti mortem contemnerent, Decii consecuti sunt: [1] nec vetera horum explicando monumenta tulit civitas populi Romani liberatores Brutos, tulit Camillos antequam ulla istius artis simulatio irreperet. Jam vero si ex diverso intueri placeat, quis ignorat ex ipsa Socratis (quo velut fonte omnis philosophia manasse creditur) schola, evasisse tyrannos & hostes patriæ suæ? Non est igitur necessaria philosophia. Atqui enim ut studio perveniri ad sapientiam possit: via tamen ejus incerta est. Namque ut omnes in unum philosophos contraham, non tamen inter eos constare potest, quæ potissimum secta discenda nobis: quibus præceptis parendum sit. Pugnant inter se, atque dissentiunt: & perpetuam hanc per sæcula litem trahunt. Aliis summum bonum, voluptas habetur. Quidam id in nuda virtute posuerunt. Nonnulli miscere ista conati sunt, atque confundere: & ex bonis corporis, animique & eorum quæ extra essent, ad finem vitæ beatæ perveniri posse existimaverunt. [2] Delectavit quosdam modus hominum. Jam vero quanta circa deos pugna? Quidam nihil agi sine providentia credunt. Alii curam deorum intra sidera continent. Quidam in totum deos sustulerunt. [3] Quidam cum

1 *Nec vetera horum explicando monumenta tulit.*] Dele τὸ *nec*, & distingue: *nec, ut mortem contemnerent, Decii consecuti sunt vetera horum explicando monumenta. Tulit civitas populi Romani.* Gron.

2 *Delectavit quosdam modus hominum.*] Vet. *modos*, vel *odium*, ut Brissonio videtur. *Ærodius.*

3 *Quidam cum hoc erubescunt.*] Lege: *erubescerent.* Gronovius.

cum hoc erubescunt, [1] cura vacare utique dixerunt. Hi nos ad administrationem Reipublicæ hortantur: illi nihil periculosius civilibus officiis credunt. Quosdam videas odio pecuniæ ferri, nudos expositosque, veluti ad provocandas calamitates. Sunt qui voluptates non animi modo, sed etiam corporis, inter præcipua ducant bona. Quibus credam? quibus accedam? quicquid probavero, plures negaturi sint. Nec porro quæcunque præcipiuntur, stare possunt. Ergo & non necessariam esse philosophiam, & difficilem electionem esse dicimus: atque inter ipsos etiam plerosque philosophos constat vix posse percipi. Neque ego ignoro esse quosdam, qui quanquam nomen Sapientiæ facile atque avide (ut sic dixerim) dederunt: [2] tamen quidam [3] sapientiam ex fabulis Reip. tunc, & inter eos qui studuerunt, qui elaboraverunt, nullum adhuc inventum esse confitentur. Veruntamen, ut aliqua etiam de universo loquamur: quis usus ipsorum virorum? Militiæne utiles, an civilibus officiis? Quid in his deprehendas, præter fictam frontem & perpetuum otium, & quandam ex arrogantia auctoritatem? Verum sint ista (ut dicitur) magna. Ego hæc ad formam legemque paterni testamenti voco. Quid civitati prosunt? Amputant vitia. Nimirum nemo luxuriosus est, nemo pecuniæ cupidus. Hæc de Philosopho dixisse satis est. Transeamus ad Oratorem: quem intelligo fidu-

1 *Cura vacare utique.*] Vet. ex. *utraque.* unde P. Ærodius *v.c.* cui tertia harum Declamationum editio debetur, reposuit, *itaque*, propius ad antiquam scripturam. *Pithœus.*

2 *Tamen quidam.*] Alii, *quædam sapientem ex tabulis Reipub. tantum.* locus est valde corruptus. *Pith. Tamen quidam sapientem.*] Sapiens (inquit) adhuc inventus est nemo, ex quorundam etiam Philosophorum sermonibus: sive eos laudare licet, qui primi in Rep. versati sunt, ad quos tamen hæc laus maxime pertineret, ut de septem Sapientibus Græcorum refert Plutarchus in Solone: sive eos spectes, quos sejungentes se ab omni civili administratione, somniare potius quam philosophari dicit Plato lib. 5. de Repub. *Ærodius.*

3 *Sapientiam ex fabulis reipubl. tunc.*] Recte Ærodius *sapientem.* Sed gravius ulcus. Conjiciebam: *tamen iidem sapientem ex formula ipsorum & inter eos, qui studuerunt, qui elaboraverunt, nullum adhuc inventum esse confitentur.* Dicit ex formula ipsorum, ex præscripto, ut ipsi eum pingunt. Seneca de tranq. an. *At qui scit hoc sibi, cum conciperetur, statim conditum, vivet ad formulam.* Gronovius.

go fiducia eloquentiæ ad hanc descendisse causam. Multum se valere in judiciis putant: rapiunt malas aliquando causas. Et sane si Justitia valeat, quid est eloquentia? quid ergo civitati conferunt? Illa enim sane remittamus: omne circa verba studium, & (cum rerum natura beneficio suo ita homines instruxerit, ut nulla res non voce explicetur) supervacuum quendam in exornando laborem. Eodem redeunt omnia. Quid civitati profuisti? Advocatione tua defensus est aliquis: sed læsus qui ex diverso erat. Eripuisti periculo reum: unde scio an nocentem? Innocentia quidem per se valet. Damnatus est aliquis accusante te: unde scio an eloquentiæ vitium sit? Quid ego de privatis loquor? Civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos: sive illam Athenienſium civitatem quondam late principem intueri placeat, acciſas ejus vires animadvertemus vitio concionantium: sive P.R. statum excutere voluerimus, nonne graviſſimas seditiones, nonne turbidiſſimas conciones eloquentiſſimus quiſque habuit? Nonne illi Gracchi ad evertendam Rempublicam, his velut armis succincti, accesserunt? Quid ego dicam, quantum civitati profuerit Eloquentia? sibi nocuit. Summos utriusque partis oratores videamus. Nonne Demosthenem illum oppressum veneno suo scimus? nonne Ciceronem in illis, in quibus totiens placuerat, rostris pœnæ suæ expositum? Hæc dixisse satis erat. Nam si civitati nihil utilitatis afferunt hi cum quibus contendi: satis erat, relictum esse me solum. Aliqua tamen de Medicina dicam: non mehercule jactandi mei causa, sed commendandæ artis ipsius, cujus auctores ante omnia accepimus deos: sive (ut maxime reor) ut hæc infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua atque solatia, sive tantum huic arti tribuere majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri: sive ipsa medicina per se sacrum est. contendamus sane apud securos. Si quem (1 quod absit omnibus) subita deprehenderit

1 *Quod absit omnibus.*] Lego: *Si quem (quod absit omen) subita deprehenderit valetudo.* Gronovius.

derit valetudo, oratoremne consulet? Quid nunc ego enumerem contra quot fortunæ injurias Medicina advocetur? illam valetudinem qua spiritus frangitur? an illam qua visus periclitantur? an illam qua vulnera curanda sunt? an illam qua debilitati occurritur? removeam medicinam, tu philosophe consolaberis? Quod hominum genus est, qui sexus, quæ ætas, quæ non utilitatem ex hac petat? Itaque etiamsi medicina vinci fata non potuerunt, productus tamen [1] usque ad eam pater noster, qui tres liberos habebat.

## CCLXIX.

## *Dives sub Tyranno auctionatus.*

DEPOSITI SIT ACTIO. Pauper & dives amici erant. Pauperi duo filii adolescentes. Cum Tyrannus esse cœpisset in civitate, dives facta auctione discessit. Rumor erat pecuniam apud pauperem esse depositam. Tyrannus accersiit pauperem: torsit ipsum, torsit & filios ejus. Cum ille pernegaret penes se esse, dimissus est. Postea tyrannus occisus est: redit dives, petit pecuniam quam se deposuisse apud pauperem dixit: & duos servos quos solos exilii comites habuerat, in quæstionem pollicetur.

### DECLAMATIO.

DEpositum peto. Scio hunc esse ordinem probationis, ut primum ostendam habuisse pecuniam, quam deponerem. De hoc nemo dubitat: dives fui. Etiam si me cupiditas amici ad duos servos redegit: aliquando tamen numerabar inter principes hujus civitatis. Et ut sciatis pecuniam non satis esse, patrimonium meum detinet: si domum, si mancipia, si vendita esse omnia, si in pecuniam redacta constabit, supereſt, ut deponendæ pecuniæ habuerim causam. Fuisse me in metu fortunæ hujus, quam patior, manifestum est: nihil minus fuisse rationis, quam ut mecum pecuniam ferrem, liquere omnibus credo. Nec illud tantummodo dico, ne persequeretur tyrannus, ne quis itineris

1 *Usque ad eam.*] Et hic quoque locus emendatione indiget. *Pith.*

neris casus auferret, ne fugientem onus ipsum gravaret. Potestis aliquid etiam ex ipso fugæ comitatu colligere: ne servos quidem amplius quam duos duxi. Deponendi fuit ratio. Proximum est, ut quæramus, [1] apud quem deponendum fuit. Apud aliquem in civitate, quis amicior mihi in quo plus esse fidei existimavi? Hoc probandum diutius foret, nisi sciretis, constitit inter omnes. Dicat iste quam multa volet adversus famam, dum tamen constet nil aliud esse istam, quam [2] sensum civitatis. Si ab universis tamen ad singulos vocamur, & tyrannum testem dabo. Illum quidem neque ego laudo: sed ipsa vitia ejus, ipsa scelera facient huic rei auctoritatem, [3] ubi pecuniam credidit esse. Qui quærebat, non dubitavit, ut torto tibi & perneganti non crederet: ut quæstionem usque in liberos minitaretur. Sed in tormentis (inquit) perseveravi. Quam honeste feceras, si redderes. Sed & liberi perseverarunt. Nam & tu fortasse propter illos perseverasti. Neque ego dubito, quin prius istud à fide feceris: [4] sed te male (ut sic dixerim) docuit patientia. Indignum putasti tam multa passum esse propter alienam pecuniam. Illud certe manifestum est, hinc tibi venire fiduciam negandi, quod negasti. Si tortus non esses, mihi illa sufficerent, Pecuniam habui: deponere debui: apud neminem alium deponere illam debui: sciunt servi mei. Mutasti animum post istud tormentum. Si tamen tibi magnum videretur in tormentis esse momentum: & isti torquebuntur. Rem quidem facio miseram: Do in quæstionem (jam dices mihi) servos: sed qui propter hoc servi sunt, ut torqueantur: alioquin non

1 *Apud quem deponendum fuit.*] Scribe: *Deponendi fuit ratio. Proximum est, ut quæramus apud quem. Si deponendum fuit apud aliquem in civitate, quis amicior mihi?* Gronovius.

2 *Sensum civitatis.*] Fab. lib. v. c. 111. *Pithœus.*

3 *Ubi pecuniam credidit esse. Qui.*] Lego: *sed ipsa vitia ejus, ipsa scelera facient huic rei auctoritatem. Ubi pecuniam credidit esse, qui quærebat? Non dubitavit & torto tibi & perneganti non credere, ut quæstionem.* Gronovius.

4 *Sed te malè docuit Sapientia.*] Ad id alludit, quod ex Medea dicebatur: Qui ipse sibi Sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. μισῶ σοφιζῶ, ὅστις ἐχ αὐτῷ σοφὸς, Euripides. *Ærodius.*

non eram tam ingratus, ut in hoc nomine adhuc eos detinerem, qui mecum soli fuissent. Sustinebitis igitur tormenta fidelissimi comites: sustinebitis quæstionem optime meriti: sed ignoscite. Facilius est egestatem ferre in hac natis. Me onerat majorum meorum dignitas, onerat prioris consuetudo vitæ, onerat etiam fama: & omnino de innocentia mea quæritur. Indebitam pecuniam ab amico peto: & hunc potissimum quem calumniarer, elegi: cum [1] si effodit, si abscondit, cum si hic vere pauper est, ne damnato quidem sim recepturus: Rem incredibilem & in qua me dementiæ crimine damnari necesse est. Ante omnia perdidisse me omnem pecuniam dico, ne dives esse possim. Ideo demum mentior, ut mihi cum duobus servis tortis (si tamen quæstioni superfuerint) vivendum sit? si minus, soli, qualis in exilio fui, qualis tyrannum fugerem? Ego si calumnior amicum meum, graviorem pœnam ferre non possum: perdo quicquid peto. Et quam causam irascendi tibi habui? quid tantum malefecisti mihi, ut ego non sim tormentis istius contentus? Scio dici simile aliquid etiam ex parte diversa: Quem sibi usum fore pecuniæ dicet? Ante omnia hoc dissimile est: quod pauperi alioqui, & duorum liberorum patri (quæ res acerbiorem paupertatem facit) tamen secreta pecunia & abdita affert securitatem. Nam ut possessiones non pares, ut familiam non emas, non laxiore habites domo, adversus fortunam tamen tutus es: tibi pecunia hoc præstat, ut sis pauper securus. Adjice illud quod tu de longioribus temporibus cogitas. In summa, si vincis, aliquam tamen potes spectare rationem. Ego cur litigem, quid est? ut aliquid auferam? Quid habes nisi depositum? Ego me, judices, hanc pecuniam perdidisse scio. Nam ut damnetis, quo manus mittam? perseverabit enim in ista simulatione homo, quem nec tormenta vicerunt. Omnis litis hujus causa mihi in hoc

1 *Si effodit, si abscondit.*] Scribend. *si defodit*: & mox, *ne à damnato quidem.* Gronovius.

hoc est, ut defendam pudorem meum. Tu tamen inveni, ubi perdiderim nescis? quære: hi servi à me non recesserunt, hi conscii sunt omnium: hi mihi irasci possunt, si tormentis sine causa offeruntur. Non est tamen æquum, comparari fidem tormentorum. Ex altera parte liberi, ingenui torti sunt, ex altera parte servi. [1] Non facit ista res pertinaciam, sed causa mentiendi. Ego quomodo dico, perseveraſti, ut pecuniam lucrifaceres: spectasti sequentia tempora, spectasti lucrum. Sic tu dic, servi mei quid spectaturi sunt? quid ex hoc consequentur? Et vos quidem Tyrannus (ut parcissime loquar) dimisit: tu arbitrio tuo torque: quicquid passus es, quicquid adjicere inveniendæ veritatis gratia potes, adhibe dum spiritus erit, dum loqui poterunt. Quære an negent: & si perseveraverint, [2] aude dicere, [3] Homines in tormentis solere mentiri.

## CCLXX.

### *Rapta ex duabus geminis.*

Qui causa mortis fuerit, capite puniatur. Ex duabus geminis adolescens alteram rapuit: ea se suspendit: pater alteram eduxit ad magistratus, & præcepit illi, ut morrem raptoris optaret. Adolescens putavit eam esse quam rapuerat: duci eum jussit magistratus. Postea compertum est, quod accidisset. Accusatur pater, quod causa mortis fuerit.

### Sermo.

Facilis *& in promptu ratio est huic seni, quod pertinet ad affectum pœnitentiæ, quod pertinet ad æquitatem. Nisi tamen etiam jure defenditur, verendum erit ne illum flentem judices damnent. Diligenter ergo pugnare circa legem debebimus. Et sane aspe-*

1 *Non facit ista res pertinaciam.*] Fortasse: *Non facit status pertinaciam, sed causa mentiendi.* hoc est, sive ingenuitas, sive servitus. *Idem.*

2 *Aude dicere, homines in tormentis solere mentiri.*] Nam si id ausus sit dicere adversus servos divitis: ecce idem pauperi objicietur, Ergo & tu mentitus es, qui perseveraſti. *Ærodius.*

3 *Homines in tormentis.*] Idem Fab. cap. IV. ejusdem libri. *Pithœus.*

*asperiores in controversia*, [1] *partes fortasse recti declamatoris relinquant. Divisio pene hoc proprium habet, ostendere ossa & nervos controversiæ: & secundum meum quidem judicium, idem præstare declamatio debet. Nam sine his de quibus loquutus sum, caro ipsa per se quid sit intelligitis. Sed in declamatione* [2] *vestienda sunt hæc, ut ex illis interiores vires habeant. Finiamus ergo necesse est, quid sit* CAUSA MORTIS. *Tota enim lis, & omne discrimen controversiæ in hoc positum est. Nam si ad finitionem partis adversæ accedimus, ut causa mortis sit, qui attulerit causam alicui moriendi, per quem factum sit, ut aliquis moreretur: nullo modo defendere nos possumus. Neque enim dubitabitur, quin per hunc factum sit, ut ille moreretur, qui filiam ad magistratum perduxit: qui præcepit ut mortem raptoris optaret. Nos ergo causam id esse mortis dicemus, Quod nullis extra accidentibus causis, mortem homini adferat, quod solum mortem homini intulerit. Deinde dicemus, si accedendum sit finitioni partis adversæ, frequenter etiam honestissima in hanc calumniam cadere posse. Subjungemus quæstionem, an possit quisquam accusari, quod causa mortis fuerit, in eo qui jure sit occisus. Sequitur quæstio, an hic jure sit occisus. Post hæc, licebit nobis dicere illa quæ sola dicuntur.*

## DECLAMATIO.

QUI CAUSA MORTIS FUERIT, CAPITE PUNIATUR. Satis ostendit ipsa pœna, eum demum teneri hac lege, qui idem commiserit, quod si occidisset. Neque enim gravius quicquam adversus eum, qui sua manu interfecerit, constituere potuit legumlator, quam

1 *Partes recti declamatoris relinquant.*] Hoc est, Qui tractantes hoc judicium, asperiore controversia usi sunt, dum in raptorem duntaxat inveherentur, nec id potissimum refellerent, in quo totius litis & ossa & nervi consistunt, an videlicet hic causa mortis fuerit: parum fortasse recte declamantis officio functi sunt. Nam ut carne, ossa & nervi, ita & æquitas jure & lege quodammodo vestienda est. Huc vero pertinet lex Ulpiani: Nihil interest occidat quis, an causam mortis præbeat. *Ærodius.*

2 *Vestienda sunt hæc, ut ex illis.*] Divinabam: *vestienda sunt hæc, ut ex illâ interiora vires habeant.* Ossa & nervi, inquit, (hæc enim sunt *interiora*) vestienda sunt carne, ut vires habeant. Neque enim sunt vires, nisi σάρκας τε καὶ ὀστέα ἵνες ἔχωσιν, ut Ulyssi dixit mater apud inferos. *Gronovius.*

quam adversus eum, qui causam præstitisset. Ergo & similitudine pœnæ, etiam crimen par exigere debetis. Hoc quo pertinet? ne existimetis veram illam esse finitionem, quam pars diversa complectitur: ut per quemcunque steterit, uti homo occidatur, is continuo causa mortis fuisse videatur. Alioqui ista ratione, & ille qui nocentem accusavit, causa mortis fuit: & ille qui testimonium in reum dixit, etiam si verum id fuit: causa tamen mortis haberi potest: & ille qui adulteros marito prodidit, causa mortis haberi potest: & ille qui sceleratum produxit in publicum. Cur igitur hi accusari ista lege non possunt, quoniam non per ipsos, tantum stetit: quoniam jure perierunt hi, quibus mors allata est. Sed hanc partem reservemus. Interim videamus quid sit Causa Mortis. Nos id dicimus causam esse mortis, quod homini mortem attulerit, quod solum nullis extra accidentibus causis noxium fuerit, quo homo periturus fuerit, etiam si nihil ipse fecisset. Id quod dicimus tale est. Intuendæ sunt res ipsæ, quæ in crimen deducuntur. Produxi filiam ad magistratum: quid hoc ad inferendam per se pertinet mortem? Præcepi ut mortem optaret. Detrahe quod ille raptor est: detrahe quod filia mortem raptoris optavit: ipsum quod ego feci, mortem homini afferre non potuit. Non possum ego videri causa mortis homini fuisse. Quid feci? quod innoxium erat, si nihil ille feciset. Fingite enim hæc accidere potuisse: produxi filiam: optare mortem jussi: ignoret sane quæ sit ad magistratus educta. Si potest dicere, Nihil tale admisi: nihil nocuerint ea quæ ego feci. Quid ergo illi causa mortis fuit? quod rapuit, quod lex mortem constituit, & hoc pene adversariorum confessione manifestum est. Non agunt cum ea quæ optavit. Neque ego sum tam durus ac demens, ut pro salute filiam meam periculo meo opponam: sed uti mihi hoc argumento licet, quoniam & illa tuta est. Eadem enim quæ dicuntur à me, ab illa dicerentur: optavi mortem: num tamen hoc nocuisset, si adversus

alium

alium feciſſem? quemlibet apprehendi ex turba circunſtantium credite: hujus mortem optavit: num occidetur? non, ut opinor. Non ergo ipſa optio in cauſa mortis eſt, ſed id propter quod optio valet. Tuta eſt hac defenſione filia mea, &, ut dixi, ſententia quoque accuſatorum, ſecura. Quid mihi accidit ſupra hæc? unum adhuc patrocinium. Non enim hoc tantum dico: ſi ille non rapuiſſet, cauſa mortis non fuiſſem. Hæc ſi non jure occiſus eſſet, ſi errore tantum periſſet dicerem. Nunc illud utique inter me & partem diverſam conveniat neceſſe eſt, non poſſe eum accuſari, qui unus vel attulerit mortem nocentis, ſi erit unus ex his de quibus paulo ante loquebamur: [1] vel accuſator, vel teſtis, vel judex, vel index. Videamus igitur an jure raptor ſit occiſus, & ſic agamus tanquam adhuc vivat, tanquam adhuc de eo quæratur, an occidi raptorem oporteat. Non educo alteram filiam ad magiſtratus: nihil ut optet, præcipio. Filia mea vitiata eſt, ob hoc periit: dico raptorem occidi oportere. Nec ſtatim nitor illa æquitate, ut dicam, quod juſtum ſit, eum qui intulerit injuriam, interfici, cum perierit illa quæ accepit: de jure ipſo loquor. Lege comprehenſum eſt, ut RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL NUPTIAS OPTET: ut opinor, una cauſa legis hujus fuit, ut de raptore ſecundum voluntatem raptæ conſtitue-

1 *Vel accuſator, vel teſtis.*] Certum eſt hic relata fuiſſe ſingula ſingulis, de quibus in initio declamationis. *Alioqui iſtatione & ille qui nocentem accuſavit, &c.* Sed illud *vel videam*, quod eò referri oporteret, *& ille qui adulteros maritis prodidit*, quid plane ſignificet ignoro. Meminit certe Quintilianus hujus loci lib. 7. cap. 4. Hæc finitio eſt accuſatoris: Per quem factum eſt, ut quis perierit, cauſa mortis eſt, Rei eſt: Qui fecit quid ſciens per quod homini perire neceſſe eſſet. Remota finitione, accuſatori ſat eſt dicere, Cauſa mortis fuiſtis: per vos enim factum eſt, ut homo periret: quia niſi vos illud feciſſetis, viveret. Contra, non ſtatim per quem factum eſt, ut quis periret, is damnari debet, ut accuſator, teſtis, judex rei capitalis. Nec undecunque cauſa fluxit, ibi culpa eſt: ut ſi cui quis profectionem ſuaſerit, ut ad amicum accedat trans mare, & is naufragio perierit: ad cœnam invitarit, & is cruditate illic contracta perierit, &c. Fieri vero poteſt, ut cum ita ſcriptum eſſet, *vel accuſator, vel teſtis, vel judex*, in margine aliquis adnotaſſet, *vide an index*, quod in textum irrepſerit. Aut ſane ita legamus, *vel judex, vel index.* Atque etiam illo loco. Quintiliani mallem *index rei capitalis*, quam *judex.* Ærodius.

ſtitueretur. Alioqui multa accidere poſſunt, propter quæ rapta non optet: fingamus vitiatam eſſe eam quæ loqui non poſſit: num impune injuriam fecit, quoniam miſeræ fecit? nutum nempe ejus aut vultum, aut aliquod ſignum animi intueri oporteret. At id non eſt optio, nec ſatis verba legis explebuntur: occideretur tamen raptor, ſi id velle raptam intelligeremus. Fingamus valetudinem conſequutam raptæ, ut ea educi ad magiſtratus non poſſet: deerit aliquid legi. vindicari tamen eam tanto magis oportet, quod credibile erit etiam ipſam valetudinem ex injuria natam. Quod ſi non utique (ut ex his manifeſtum eſt) vocem raptæ exigi oporteret, ſed ſolam voluntatem; videamus tamen, an quæ rapta eſt, mori raptorem voluerit. Pluſne vobis videretur, judices, ſi apud magiſtratum locuta eſſet, quam quod ad magiſtratum venire non auſa eſt? quod oculos ſuos oſtendere circumſtantibus, oſtendere luci non potuerit? ipſa ſua manu vitam miſera punivit. Da vires: occidet prius quæ propter hanc injuriam perit: dubium eſt: ſcilicet, quid factura fuerit, ſi vixiſſet? Raptorem ergo perire oportuit. Jam fortiter dico: quid intereſt quomodo perierit? cur ergo ſi hoc modo poterat occidi: falſo alteram filiam eduxi? [1] Dicerem, Luctus confundere (ſi liceret) dolor ſuadebat: ignoſceretis tamen: nunc mihi neceſſarium conſilium, præſens injuria dedit. Duas filias habueram, rapta erat altera: altera perierat: munienda domus fuit: & voce potiſſimum alterius virginis, ſoror vindicanda, ne quis dubitaret quid factura eſſet injuria ſua. Partis quidem adverſæ impudentiam mirari ſatis non poſſum. Cauſam mortis eſſe exiſtimant eum, propter quem perierit: cum eum cui cauſa mortis fuerit, occidi oportere conſtet. Et raptorem periiſſe indignantur, cum certum ſit filiam meam propter raptorem periiſſe. Hoc iſti cauſam mortis vocant: cur ergo occiſum

1 *Dicerem, Luctus confundere.*] Thaddæus *confuderat*. Ærodius *confundebat*. Lege meo periculo: *Si dicerem, Luctus confuderat; ſi dicerem, Dolor ſuadebat, ignoſceretis tamen.* Gronovius.

cisum vindicari oportet, quem certum esset, si viveret, occidi oportere? Et hæc omnia quæ pro causa mea dixi, quibus collegi me non esse obligatum huic legi, non temporis causa, nec præsentis periculi fingere me, vel ex eo manifestum est, quod raptorem aliter occidi. Nam si id esset causa mortis, quod isti videri volunt, hac lege me ulcisci potuissem. Jamdiu me, judices, circa jura morari scio, longeque recessisse à paternis affectibus: ergo ego in ultionem filiæ meæ nihil feci, nisi quod licuit. Adii magistratus: fortiorem puellæ vocem imperavi, [1] quia tutum erat. Ego vero totos in medium profero affectus: nec mihi in cogitatione tum lex fuit, nec jura respexi: sed quæ proxima vindicandæ infelicis filiæ via occurrit, hanc intendi, hanc sequutus sum: bene cessit, quod & licuit. Age, si non habuissem quam educerem ad magistratus, cujus vice me ulciscerer non in publico, non in foro his me senilibus manibus vindicassem? Tu fortuna facies quod occurrerit: jam non potes efficere ut pœniteat. Filiam perdidi: scio hoc minimum esse malorum meorum. Sunt qui gravius esse unum de filiis perdere quam unicum: sunt qui gravissimum existimant unicos perdere: & quotiens non habeant solatium, ad quod respiciant, calamitatis videtur sine medicina dolor: Hoc gravius est, judices, perdere alteram è geminis: quotidie mihi occurrit imago funeris mei: quo magis placet filiæ verecundia, quo magis probitas, hoc validius subeunt cogitationes: talem miser perdidi. Si tamen hoc vulnus intulisset fortuna, si casus, communi mortalitatis conditione solarer me. Nunc miser filiam quomodo perdidi? ante omnia nec virginem, nec nuptam. Quales ego infelix vultus, cæsos alioqui laceratosque, ac laqueo tumentes, pater vidi! qui me metus, qui intus æstus agitant? quæ fuit verecundia illa, quæ ultionem expectare non

1 *Quia tutum erat.*] Scribo: *Fortiorem puellæ vocem imperavi, quam tutum erat.* Quam confideres eam perferre posse. *Idem.*

non potuit? Horret animus recordari, refugiunt cogitationes. Misera quid passa est! Nec sane in causa raptus, amor fuit: non propositum matrimonii, non cupiditas nuptiarum. Nihil horum cogitavit, qui nescit quam rapuisset.

## CCLXXI.

## *Ter fortis contra tertium fortem.*

Pauper & Dives inimici erant. Pauperi unus filius: diviti tres fortiter pugnaverunt, Pauperis filius, & unus ex divitis filiis, è lege fortes armis contenderunt. Occisus est divitis filius. Iterum alter divitis filius, cum filio pauperis fortiter fecit: & de præmio dimicans, occisus est. Tertio bello quoque is qui residuus erat divitis filius, fortiter fecit: & idem ille pauperis filius. Dives prohibet filium pugnare: non parentem abdicat.

### Sermo.

*Prima illa communis omnibus fere ex abdicatione pendentibus controversiis quæstio, an utique necesse sit facere filio quicquid pater jusserit: in iis tamen controversiis quibus de præsenti agitur non de præterito.* [1] *Duo enim genera scitis esse abdicationum; aut objicitur quare fecerit filius aliquid: aut objicitur quare non faciat. Asperius est illud genus abdicationum,* [2] *in quo jam præteriit crimen, nec emendationem recipit. In hoc lenius versantur patres, & filii paulo liberius,* [2] *in quo est emendationis locus.*

### Declamatio.

ERgo non omnia necesse est facere liberis, quæcunque patres imperant: multa sunt quæ fieri non possunt: & ideo judicium constitutum est adversus abdicantes, quoniam recipiebat natura; ut etiam patres aliquando aut errarent, aut injuste imperarent.

### Sermo.

1 *Duo enim genera scitis esse abdicationum.*] Citavi anteà locum è Quintiliano, lib. 7. cap. 5. huic omnino similem: Abdicationum (inquit) formæ sunt duæ. Una criminis perfecti: altera imperfecti. Illa semper asperam abdicantis actionem habet: immutabile est enim quod factum est. Hæc, ex parte blandam & suadenti similem: mavult enim pater corrigere, quam abdicare. At pro filiis, in utroque genere summissam, & ad satisfaciendum compositam. *Ærodius.*

2 *In quo est emendationis locus.*] Potius, *emendationi.* Gronovius.

SERMO.

*Illis argumentis adjuvari solet hæc quæstio.*

DECLAMATIO.

[1] Si imperes filio ut sententiam dicat, contra quam existimat: si testimonium jubeas dici ejus rei quam ignorat: si sententiam in senatu: hæc magis civilia & in medio posita, si ex nostra libertate argumenta repetenda sunt: si Capitolium me incendere jubeas, arcem occupare: licet dicere, Hæc sunt quæ fieri non oporteat.

SERMO.

*Secundo loco quærimus, an abdicari posset, propter id quod facere vult è lege.*

DECLAMATIO.

Postea videbimus jus istud: utrum tale sit, ut permittat mihi pugnare: an tale, ut jubeat etiam interimere. Si utor mea potestate, non debeo tamen incidere in pœnam hujus offensionis.

SERMO.

*Tertio hoc loco quærimus illud, an pugnare viris fortibus etiam necesse sit. Hæc quoque quæstio in multis controversiis tractata est. Secundum nos erit scriptum legis.*

DECLAMATIO.

Si plures fortiter fecerint, de præmio armis contendant. Jubemur pugnare: cogimur etiam, si ego noluero. Hoc unum acturi sumus, ut me adversarius timere putet. At enim de præmio jubet contendere: & si præmium remittitur, non est necessaria pugna. At id ipsum lex complexa est, ne præmium remittatur, cum de præmio contendere armis jubet.

SERMO.

[1] *Si imperes.*] Et hæc sermonis esse videntur. *Pithœus.*

## Sermo.

*Post hæc dicemus, Domi etiam honestam esse hanc contentionem: adjuvabimus propositionem nostram, ipsius patris judicio.*

## Declamatio.

Primo filio pugnare permisisti. Iterum quanvis experimentum triste, [1] quod nunc maxime mihi oppones, jam haberes, pugnare tamen permisisti. Quid est cur de me pessime sentias? Omnis abdicationis causa ex timore tuo pendet. Et est quidem istud inconsultum, & sibi repugnans, abdicari filium indulgentia patris: & aliquem carere liberis, orbitatis metu. Verum hanc quoque detrahere tibi sollicitudinem volo. [2] Erat illud [3] quod à bono patre & à pio dici posset etiam si periculosum sit, tanti est mihi, non tam me ducit gloria militaris, nec fama victoriæ: vindicandi mihi fratres sunt. An ego, qui paulo ante arma (ignoscat patria, [4] ignoscant leges) minore sacramento tuli, & contra hostes sine respectu meo sanguinisque pugnavi: ubi mihi vindicandi sunt fratres, & duo fratres, non pugnabo: non vel discrimen vitæ subibo? ego accederem tuo consilio, si timerem. Sed multa sunt quæ me faciant fortiorem. Ante omnia adversarius jam fatigatus est: cogita quotiens pugnaverit: non dico [5] quid fecerint hostes: non inde ceciderunt fratres mei. Fortiorem me faciet melior conscientia: fortiorem me faciet & causa pugnæ. Ille pro præmio pugnaturus est, quod jam bis accepit: ego pugnatu-

1 *Quod nunc maxime mihi oppones.*] Scripsit opinor auctor: *quod cum maxime mihi opponis.* Gronovius.

2 *Erat illud.*] *Erat*, & *Fuit*, verba sunt quibus aliquem vita defunctum significabant. *Pithœus.*

3 *Quod à bono patre & à pio.*] Legendum: *Erat illud, quod bono patri & pio dici posset: Etiamsi periculosum sit, tanti est mihi.* Sunt enim verba filii ad patrem, non patris ad filium. *Tanti est mihi*, tamen operæ pretium est. Ne cum Ærodio facias: *Non tanti est præmium.* Gronovius.

4 *Ignoscant leges minores.*] Lego & distinguo, *ignoscant leges) minore sacramento tuli & contra hostes, &c.* Pithœus.

5 *Quid fecerint hostes,*] Fortasse: *Non dico, quid fecerim in hostes. non inde ceciderunt fratres mei.* Ut bene speres de meæ pugnæ eventu, non allegabo apud te, quæ adversus hostes dedi fortitudinis specimina: nam ab illis quoque fratres victores redierunt. *Gronovius.*

gnaturus ſum pro fratribus, pro pietate. Fortiorem me faciet & fortuna. Solet fatigari: ſolet, poſtea quam nimium indulſit, in fine deficere. Facit me fortiorem etiam uſus quidam: pugnantem illum ſæpius vidi. Scio quid maximum fratrem meum fefellerit: quomodo is qui ſecundo loco pugnabat, deceptus ſit. Illud autem pluſquam verecundum & erubeſcendum nobis eſt: pauper pugnare filium ſuum non vetat. Quantum tu adjicis illi animi, quod times? ſed forſitan & [1] incautiorem illum faciat hæc ipſa fiducia. Illud ſcio, favebit pugnanti mihi populus: ſcio futurum ut Dii immortales ſtent pro mea parte. Non ſolus mihi ſtare videbor: habebo in commilitio fratrum meorum animas. Si quid eſt in animo præſagii, ſi quid in mente ipſa ſpei, concipio victoriam: neque aliunde hæc pertinacia venit: non precibus tuis, non minis terreor. Alioqui quid agis abdicando me, niſi ut non pugnem incolumi rerum mearum ſtatu? cogitabo de victoria, cogitabo de vindicta. Si vero cum hac me infamia dimittis, jam nunc dico, arma dimittam.

## CCLXXII.

## *Orbata proditrix.*

[2] QUI CONSILIA PUBLICA NUNTIAVERIT, CAPITE PUNIATUR. Ad colligendum filii corpus nocte proceſſit mater. Comprehenſa ab hoſtibus, & torta, indicavit auxilia venire. Quibus oppreſſis, de vinculis effugit, & nuntiavit cuniculum agi. Oppreſſis hoſtibus, rea eſt quod conſilia publica nuntiaverit. C. D.

### SERMO.

*Potior in hac cauſa controverſia, quam lis eſt. Lis enim circa unum factum verſatur: in qua illæ ſunt quæſtiones, an hoc enuntiare ſit: an etiam ſi hoc eſt enunciare, quiſquis enuntiavit, puniendus ſit: an hæc punienda, quod enuntiaverit. Cæteræ vero controverſiæ, majorem cumulum habent: occiſum præſidium, & oppreſſus*

1 *Incautiorem illum.*] Vet. cod. *illudi.* Pithœus.

2 *Qui conſilia publica nuntiaverit.*] Lege & his & mox, *enuntiaverit.* Gron.

*oppressus hostis: & filius ille: & hac causa egressa portas. Hæc themata tractanda sunt omnia: sed curæ habendum, ut suo quidque loco tractetur.*

## Declamatio.

QUI PUBLICA CONSILIA ENUNTIAVERIT, CAPITE PUNIATUR. Possum mirari, judices, hac lege ream esse fœminam, [1] neque ideo dico, quoniam non etiam gravius punienda sit, si mentem prodendæ Reipublicæ, perdendæ civitatis in hoc sexu deprehenderimus: sed publica consilia quomodo in fœminam ceciderint, invenire non possum: quam quidem ego postea affectus necessitate merito defendam: interim defendere verbis legis volo. Nam ut confiterer sic enuntiari consilia, satis poterit tamen vindictæ in eam expensum videri per tormenta. Deinde nec consilia enuntiasse videtur, quæ nobis rursus quid hostis ageret, nuntiavit. Quid enim dicitur feciſſe? indicasse venire auxilia: hoc neque nostræ civitatis est consilium, [2] neque ullius alterius jam tantum consilium. Enuntiare vero aliud esse quam confiteri, nemo adeo ignarus est loquendi ut nesciat. Enuntiatio, voluntatem habet, & animum non coactum: confessio, expressam dolore multo necessitatem. Sed intelligo non eam esse personam de qua loquimur, ut satis sit eximere eam accusationi. Volo ire per singula, cum tamen illud prius interrogavero vos, judices, an eadem ira, eademque pœna dignos putetis eos, quos fortuna, quos vis, quos dolor coëgerit confiteri aliquid: & eos quos odium

1 *Neque ideo dico.*] Scripsit: *neque id ideo dico.* Idem.

2 *Neque ullius alterius jam tantum consilium fuit.*] Neque (inquit) hoc civitatis nostræ consilium fuit: externa enim erant auxilia, non domestica. Ergo publica consilia non enunciavit: cum sua cujusque populi civitatisque sint, publica consilia, civiliaque jura: nec sunt publica Romanorum, quæ sunt Latinorum aut aliorum sociorum publica consilia. At vero (ait) neque illius alterius civitatis, unde veniebant auxilia, jam tantum consilium fuit, sed ad actum pervenerat: veniebant socii, aderant, in ipsa erant expeditione. Profectionem igitur, non consilium profectionis enunciavit. Hoc crimen apud Græcos ὑπ' ἐπιβολίας appellatur. *Erodian.*

odium reipublicæ, spes prædæ, amor hostis in hanc egerit proditionem. Quod si nullo modo apud quenquam bonorum virorum [1] potest videri simile, jam & quemadmodum in hostes inciderit videbimus, & quanta necessitate confessa sit. Ac satis erat primum illud dicere, quæ filium in prælium misit, cujus partus & sanguis in prælio stetit: cujus filius, dum nihil charius habet patria, dum propulsare hostem, vel morte sua, vel sanguine, vel postremo corpore ipso morari studet, spiritum pro nobis in certamine amisit: ita profecto institutus, ita à matre dimissus: hanc accusari æquum est, [2] cui misereri satis non possumus? Nocte egressa est. Quis hunc in matre, quis miratur affectum, tanquam novum? Ego vero plura confitebor, & quæ forsitan plane [3] admiratione ejus digna sint. Noctem illam tenebrasque non timuit, horridam ipsius loci, in quo pugnatum erat, imaginem tulit. Hæc per sanguinem humanum, & per fracta tela, & per mixta virorum equorumque corpora quæsivit filium suum: & ne in totum nulla sua culpa incidisse in hostes videatur, planxit, & Deos invocavit. Neminem puto hactenus irasci calamitatibus. Cætera jam imputari ipsi non possunt. Hostibus confessa est: nondum dico torta: illud satis est dicere, fœmina. Si mehercule primæ tantum minæ, ac timor ille exercitus, qui modo fœliciter pugnaverat, confudisset fœminam, orbam, stupentem malis: erat tamen res digna venia. Confessa est cum torqueretur. Ubi tantum robur animi, ubi tam firmam solidamque mentem, quæ non dolore vincatur, non ignibus cedat, non verberibus ingemiscat? hanc vero satis fortiter, ac supra sexum suum feciſſe credo, quod nihil dixit antequam torqueretur. In his tamen necessitatibus, in his malis, num demonstravit aditus,

1 *Potest videri simile.*] Scribendum: *Quod si nullo modo apud quemquam bonorum virum possunt hæc videri similia.* Gronovius.

2 *Cui misereri satis non possumus.*] Immo *cujus.* Idem.

3 *Admiratione ejus digna sint.*] Corrige: *& quæ forsitan plane admiratione etiam digna sint.* Idem.

aditus, quibus in urbem venire possent? num proposita nostra? num occultam civitatis voluntatem patefecit? cum torqueretur, minata est. At oppressa sunt auxilia à sociis missa. Si damna bellorum deflere hic, judices, vacat: plura perdidimus, [1] & aciem illam quæ circa filium miseræ hujus jacet tot fortissimi cives nostri ceciderunt. Si vero lex ista belli est, si nulla unquam tam incruenta victoria contigit, quæ non haberet aliquam tristitiæ recordationem: pensavimus omnia ista victoria. Recuso ut possit videri secundis ominibus, & quadam providentia pro nobis Deorum immortalium factum, ut hæc caperetur. Intrassent civitatem hostes: nobis & somno sepultis, & securitate ab omni cogitatione bellorum, totus subito in visceribus ipsius urbis, [2] hostis apparuisset exercitus: nec prius desiisset, quam incenderet, opprimeret, diriperet. Hic, si placet, fœminæ animum, & in amore patriæ assumptas culpate vires. Discussit vincula illa, quæ (ut parcissime dicam) hostis imposuerat, fœmina, anus, torta rupit. Quæritis quo animo fecerit? Cogitate quid passura fuerit deprehensa: torta est antequam offenderet: iterum ingressa nocturnum iter, non confusa tenebris, non periculo, vicit cursu ætatem, sexum, infirmitatem: [3] secuti cives quicquid dixerat, quicquid fecerat mater. Salus ergo civitatis & victoria, qua nunc gaudemus, huic debentur. hoc est enuntiare?

CCLXXIII.

1 *Et aciem illam.*] Videtur legendum, *& acie illa*, & paulo post, *Nec recuso ut possit.* Pith.

2 *Hostis apparuisset exercitus.*] Lege, *hostilis.* Gronovius.

3 *Secuti cives quicquid dixerat.*] Eidem nuncianti habuere, agi cuniculum. Salus ergo, &c. *Ærodius.*

# CCLXXIII.

## *Debitor adulter.*

MARITUS DEPREHENSI ADULTERI BONA POSSIDEAT. ADVERSUS SPONSOREM SIT ACTIO QUAE ADVERSUS DEBITOREM. QUOD DEBITOR NON SOLVERIT, SPONSOR SOLVAT. Quidam debitorem suum in adulterio deprehendit, Bona omnia ex lege occupavit: petit debitum ab sponsore. Ille C. D.

### SERMO.

*Priusquam venimus ad causam, præparare debebimus animum judicis, pro ipsa persona sponsoris.*

### DECLAMATIO.

PEtitur à nobis pecunia, quam non accepimus, non consumpsimus, non in illum rerum nostrarum usum convertimus. Etiam cum istud periculum est sponsoris, miserabile est, [1] bonitate labitur, humanitate conturbat. Hoc quo pertinet? non ut extorqueam vobis, judices, religionem: sed ut intelligatis, quod profecto cognoscitis, non

1 *Bonitate labitur, humanitate conturbat.*] Cum pecunia credita ad sponsoris fidejussorisve periculum pertinet, hoc ipsum, inquit, miserabile est: qui quia nimium bonus, beneficus ac liberalis fuit, ideo facultatibus labitur, & conturbat, non ob suum debitum, sed alienum: & principalis debitoris vel perfidia, vel contumacia. Conturbare autem is dicitur, cujus fractæ sunt rationes, & qui seu aliena injuria seu vitio suo, ad egestatem redactus est. Hinc nata locutio, quod cum antiqui magnam diligentiam adhiberent tabulis & rationibus conficiendis (uti ex Asconio ipso videre est) in quibus nominum & obligationum, quin etiam actionum omnium quotidianarum, separata & dispositа erant capita: qui jam in iis nullum teneret modum, & cujus accepti quam expensi ita ampliores essent rationes, ut nulla spes unquam pariationis esset: factum est ut is rationes conturbasse diceretur, eo exemplo, quo signa testamenti conturbata & totum jus conturbatum appellamus. l. ad testium. §. si signa. ff. de testam. Pertinet potissimum hæc locutio ad servos, qui pecuniam præsentem à dominis acceptam, ut particulatim confecta ratione huc illucque impendant, dissipant tamen, & nulla mensura collocant. Ulpianus in l. cuicunque. §. item Labeo de instit. actio. Alphenus in l. quidam fundum, de in rem verso. Cicero lib. 2. epist. ad Q. fra. Iocum autem illius de sua egestate, ne sis aspernatus. ad quem ego rescripsi, nihil esse quod postea arcæ nostræ fiducia conturbaret. Cælius ad Ciceronis lib. 8. epist. penult. Si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet, eorum fortunas non debes velle conturbare. Græci συγχεῖν appellant. *Erodius.*

non esse exigendum à sponsore creditum, nisi jure summo. De quo priusquam loquor, etiamnum ea, quæ humanitatis & consuetudinis gratia dici solent, non omitto. Debitorem appellasti: cum ipso cui dederas pecuniam egisti. Non enim aliter salvo pudore ad sponsorem venit creditor, quam si recipere à debitore non possit. Inhumane exigis, injuste petis: pecuniam quam credideras, recepisti: nihil mea interest, qua via quicquid est istud quod à te ad debitorem tuum pervenit, penes te est. Sponsor porro in hoc accipitur, ne creditor in damno sit. Vis scire quam sponsorem appellare non possis? debitorem appellare non potes, & quoniam confitendum est eandem esse causam meam quam debitoris, nec tu aliud videri vis: volo sic agere, tanquam petas à debitore semota illa ratione, quod honestior persona sponsoris est: detracto eo quod debitor adulter est, quod deprehensus est, quod punitus est. Fingamus ergo petere te à debitore, cujus nos sponsores sumus: respondere pro debitore tuo volo. Recepisti: omnia quæcunque possedi, ad te transierunt: [1] in his quæ possedi, erat debitum tuum: totum habes, imo plus habes: adversum hæc quid respondes? Lege mihi bona debitoris tradita sunt, quoniam eum in adulterio deprehendi. Non facimus legi istam controversiam: quid tamen continet? ut ad te bona debitoris pertineant. Bona porro quæ sunt? ut opinor, ea quæ detractis alienis deprehensa sunt. Finge alium creditorem fuisse ejus, quem tu deprehendisti: num dubium est, quin, quamvis ad te bona pertinerent adulteri, recepturus tamen suum creditor fuerit? Ponamus enim nunc debitorem sine sponsore: [2] rationem, ut opinor, deponeres, detracto ære alieno omni, detractis oneri-

1 *In his, quæ possedi, erat debitum tuum.*] Scribe, *creditum tuum.* Gron.

2 *Rationem, ut opinor, deponeres.*] Hoc quid esse vellet, vellem explicuisset Pithœus, qui fecit, Thaddæus; *Ponamus enim debitorem sine sponsore rationem (ut opinor) detracto.* Unde Ærodius: *Ponamus cum debitore, sine sponsore, rationem: ut opinor detracto ære alieno.* Quo nihil potest fieri commodius. *Idem.*

oneribus bonorum, quod reſiduum ex patrimonio fuiſſet, id tibi lex concederet. [1] Quem igitur calculum cum alio poſuiſti, ponas neceſſe eſt tecum: nam patrimonii in alium tranſituri ea ratio eſt, ut primum credito ſatisfiat. Partem tanquam debitor ſolvit, partem tanquam creditor accipis. Etiam nunc fingamus alios creditores, & nihil in patrimonio quod ſuperſit: id ut manifeſtius atque apertius dicam, ſint poſſeſſiones huic deprehenſo, ſint mancipia, ſuppellex: ſit æs alienum, cui æri alieno non ſufficiant ea, quæ in patrimonio ſunt: occupabis mancipia, occupabis ſuppellectilem, creditores inanes excuties, atque dimittes? Non poteſt hoc æquum videri tibimetipſi fœneranti. Omnia igitur ea, quæ apparerent, in creditum & in æs alienum tranſiſſent: tu quamvis legem haberes, qua tibi adulteri bona deberentur, nihil tamen ex his adulteri bonis, qui nihil haberet, recepiſſes. Sic ergo tecum debitor tuus loquitur. Bona mea, id eſt, quod liberum in patrimonio meo eſt, & quod proprie meum, ad te tranſire debet, [2] lege prius ſolvo: & quid intereſt ego ſolvam, an tu auferas? non debet ergo tibi is, cui pecuniam credidiſti: multo minus ego qui profecto ſolutus ſum, ſi alter jam ſolvit. Quid enim alioquin facere me vis? integro ſtatu debitoris mei, ſi à me petere maluiſſes, ad debitorem reverterer: ſi debitor deceſſiſſet, & bona ejus ad hæredem pervenirent, ad hæredem rediſſem, id eſt, bona perſequerer patrimonii, pro quo ego ſpoſpondi. [3] Idem es reus à quo fui repeturus, ſi quid tanquam ſponſor ſolviſſem: nunc ad te tranſiit patrimonium: nunc cœpiſti vicem habere hæredis. Quid enim intereſt, jure teſtamenti à defuncto veniat ad te hæreditas, an lege à vivente? ſi patrimonium mihi perſequi licet,

1 *Quem igitur calculum cum alio poſuiſti.*] Scribe, *poſuiſſes.* Idem.

2 *Leve prius ſolvo.*] Ærodius, *ære prius ſoluto.* Quod placeret, ſi *æs* ſimpliciter dici poſſet pro ære alieno. Sed potius diſtingue: *& quod proprie meum, ad te tranſire debet lege. Prius ſolvo.* hoc eſt, detraho æs alienum. *Idem.*

3 *Idem es reus.*] Lege: *idem eſſes reus.* Idem.

licet, ad te redeam necesse est: ita istud quod accipere non potes, si posses accipere, solveres.

Sermo.

*Hæc de jure: illa jam de circumscriptione hujus sponsoris.*

Declamatio.

Ego fortiter spopondi sine periculo pro eo homine qui bona habebat: tu quousque avaritiam perduxisti? Parum est fœnerare civibus, sine aliqua tua fraude factum videbitur, ut qui aliena pecunia utebatur, incideret in hoc potissimum adulterium? Sed inciderit sane: neque enim mihi causa pro ullo hodie dicenda est. Quod protulisti habes: & plus quam protulisti habes, est quod in rationes tuas, tanquam creditor, referas: est quod in lucrum, tanquam maritus, referas.

## CCLXXIV.

## *Tyrannus fulminatus.*

Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur. Tyranni corpus extra fines abjiciatur. Tyrannus in foro fulminatus est: quæritur an eodem loco sepeliatur.

Sermo.

*In legum comparatione multa quæri possunt, sed varie in quaque controversia. Interim quæri solet, an privata altera, altera publica sit: & utrum militaris altera, altera pertinens ad civilia officia. Hic omnia fere cætera paria sunt: utra utilior & magis necessaria civitati sit, quærendum est.*

Declamatio.

Nondum rem comparo: interim utrum magis necessarium putatis esse, servari eam legem, quæ ad sepulturam alicujus pertineat, an eam, quæ ad pœnam tyranni? si in totum lex altera tollenda sit, [1] nec in præsens modo

1 *Hæc præsens.*] Malim, *nec in præsens modo tempus, sed in univers. sine utra and. fac. civ. stabit?* Pith.

modo tempus, sed in universum: sine utra tandem facilius civitas stabit. Icti fulmine ut eodem loco sepeliantur, quo sunt percussi, ad quam tandem civitatis pertinet utilitatem? At hercule ut insepultus abjiciatur tyrannus, ad vindictam, ad saturitatem pertinet. Non satis putaverunt majores, eas pœnas adversus tyrannum constituere, quas possit excipere in vita. Multos magis tangit sepultura: ad cogitationem post se futurorum, plerique gravius moventur. Vultis scire? propter hoc litigatur: est ergo utilior. Quid si de eo quærimus hodie, ad quem leges, nisi in pœnam ejus scriptæ, non pertinent? Exuit se tyrannus, & erigit: supra leges ponendo, extra illas se posuit. Hominem occidere non licet, Tyrannum licet: expugnare domum fas non est, arcem expugnabit optimus quisque. Insidiatus civi, etiam si non effecerit scelus, pœnas tamen legibus solvet: at qui hoc idem adversus tyrannum fecerit, etiamsi deprehensus fuerit, laudabitur. Lex præcipue ista ad eos pertinet, qui alioqui sepeliendi sunt: idque verbis legis ipsis manifestum est, Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eo sepeliatur: apparet non de sepultura quæri, sed de loco sepulturæ. Magis aliquanto esse contraria lex huic videretur, si ita scripta esset, ut fulmine icti sepelirentur: tum enim ipsa sepultura illis assignari videretur, nunc tantum locus. Num porro cui sepultura non dari debet, assignari locus debet? Sed tyrannus fulmine ictus est: non dico, quo loco, nec adhuc ad tractatum hujus invidiæ accedo: hoc illi proderit? Si nobis libertatem humanæ manus, & mortalia consilia attuliſſent, traheretur publicis manibus corpus extra fines, & unusquisque vexatione ludibrioque gauderet: nemo non suam manum esse quæ traheret, suas vires putaret: quoniam scelera ejus atque flagitia ab ipsis Diis immortalibus condemnata sunt, quoniam patientiam nostram ac servitutem numina non tulerunt, continget illi honor? hoc enim voluit ille qui fulmen vibravit? hoc cogitavit, cum illud noxium

caput ſacris flammis petivit? parum erat ſepeliri tyrannum, niſi in foro etiam ſepeliretur? Quonam fato ego noſtram civitatem, judices, laboraſſe in illo homine crediderim, [1] ſi præter eam quæ adverſus nos ſingulos univerſoſque fecit, partem ſpecioſiſſimam civitatis, & celeberrimam nobis ablaturus eſt. Si mehercule aliquis liberalis civis, immo ſi optime meritus in foro fulmine eſſet ictus: dicerem tamen excipienda quædam. Immo neque omnes caſus providere legumlatores potuerunt: [2] nec templa excepta ſunt. Forum quod mihi templum quoddam pacis videtur, in quo jura exercentur, propter quod leges valent, buſtis occupabimus, infauſtis cineribus polluemus? Totum hercule potius relinquamus tyranni ſepulchro: mutemus locum judiciorum.

## PARS ALTERA.

### Sermo.

*Ut ſepeliatur, ſuperſtitione ſola effici poteſt, ut in comparatione legum illud potentiſſime dicamus, eam legem magis eſſe ſervandem quæ Deorum gratia ſcripta ſit, quam quæ hominum. Adverſus tyranni ultionem, hominibus tantum eſſe ſcriptam, & ſcriptam leviſſimam partem ultionis: hoc vero quod conſtitutum eſt, ut quo quiſque loco fulmine ictus eſſet: eodem ſepeliretur, religionis eſſe.*

### Declamatio.

NEque hoc propter perſonam, neque in honorem alicujus ſcripſiſſe poteſt legumlator videri: ſed in reverenceptionem, quia templi loco eſt. Jam vero, inquit, ſi ibi ſepeliatur, amittemus locum & juris noſtri eſſe deſinet: nam ex publico communive loco, nunc nullius erit, quia fiet illatione mortui, religioſus. Cæterum totus hic locus ita legebatur: *tyranni ſepulchro mittemus locum: tu deorum.* Pars altera. *Ut ſepeliatur, &c.* Ærodius.

1 *Si præteream.*] Lego: *ſi præter ea quæ adv. nos ſing. univerſ. fecit, partem &c.* Idem.

2 *Nec templa excepta ſunt.*] Veriſimile eſt poſt *nec* particulam, aliquid deeſſe. videtur enim dicere, Lege qua agitur, templa quidem nominatim excepta fuiſſe, non forum aliave hujuſmodi loca publica. At in foro, pugnare legis ex-

verentiam Deorum. Fas non est inde summoveri ictum illum: quomodo federant flammæ, ita concremandum corpus universum putaverunt: existimatis locum illum corpori datum? fulmini datus est. At tyrannus fulmine percussus est: hoc magis omnia religiose, & cum cura Deorum facere debemus. Sed in foro sepelietur tyrannus? [1] quam magis mihi inter cætera etiam hoc quoque provisum esse fato à Diis immortalibus videtur, quod illi loco destinatus est! Nemo inire forum nostrum potest, quin videat illud sepulchrum: [2] protinus enim sequatur cogitatio necesse est, Tyrannus fuit ille, & fulmine ictus est, & ob hoc pœnas Diis immortalibus dedit. Quotiens noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis enim pœna, non tam [3] ad delictum pertinet, quam ad exemplum.

## CCLXXV.

## *Hæres ob adulterum fratrem.*

QUI OB ADULTERIUM PECUNIAM ACCEPERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Major frater minorem in adulterio deprehendit: pro eo rogante patre, & abdicationem ejus promittente, dimisit: abdicatus est adulter. Mortuo patre, inventus hæres qui deprehenderat, ignominiosus dicitur.

### DECLAMATIO.

QUI PECUNIAM OB ADULTERIUM ACCEPERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Hanc legem adversus eos primum constitutam esse dico qui pecuniam acceperunt, ut adulterium committeretur: ideoque ignominiam adjunctam, quod viderentur rem feciſſe lenonis. Verumetiam si hi quoque tenentur, qui in pœnam commissi adulterii pecuniam acceperint, is tenetur, qui pecuniam accepit. In mea causa utrum contendis? pecuniam

1 *Quam magis mihi.*] Fortasse: *Sed in foro sepelietur tyrannus? Ubi magis? Mihi inter cætera.* Gronovius.

2 *Protinus enim.*] Alii *eum.* Pith.

3 *Ad delictum.*] Alii, *ad dictum.* Idem.

niam me accepiſſe, cum dimitterem? Non probabis: alioqui ſi hoc putatis eſſe pecuniam accipere, abdicari fratrem, ſtatim detuliſſes. Poſtea videbo qua cauſa dimiſſus ſit, interim nego hoc eſſe pecuniam accipere. Sine dubio eſt tam manifeſtum, ut nulla interpretatione egeat, quid ſit accipere pecuniam. Ego tamen non ſum contentus hac defenſione, niſi illud probavero, ne ſpem quidem pecuniæ oblatam. Quid enim mihi pollicitus eſt pater? ſi dimiſiſſem, futurum ut abdicaret fratrem meum. Hæredem teſtamento etiam [1] eum quem abdicaſſet, [2] quis vetabat ſubſtitui in locum abdicati alium hæredem? non poſſum ergo videri propter pecuniam dimiſiſſe, etiam ſi propter hoc tantum dimiſiſſem. Nunc vero quam multa fuerunt, propter quæ dimitterem? ſi hoc tantum me movit, quod frater erat: erat tamen ſatis plena defenſio, & quod minor frater, & quod ſub patre frater: ut etiam ſi ipſi non parcerem, tamen & patris & mea cauſa non debuerim occidere. Nunc vero quis dubitet exorari me debuiſſe cum pater peteret? Putemus nihil patrem eſſe pollicitum, nullam mihi ultionem præſtitiſſe: quis non impium me, quis non ſceleratum putaret, ſi non impetraſſet? Nunc vero promiſit ultionem pleniorem, integris inviolatiſque manibus meis & ipſe pater ſeverus: neque enim eſt quod putetis defuiſſe ei gravitatem, defuiſſe ad vindictam animum: abdicavit: & non feciſſe hoc eum temporis cauſa, manifeſtum teſtamento fuit. Ergo nec pecuniam mihi pollicitus eſt pater, & ego alias cauſas dimittendi habui, quàm pecuniam: & ille abdicatus eſt, non ut ego lucrum facerem. Nec enim perſuaderi cuiquam poteſt, eum qui abdicatus ſit, hæc paſſum eſſe cauſa mea, quando plenior mihi vindicta contigit. Brevis enim pœna mortis eſt: nunc [3] diu eget, diu male audiet.

CCLXXVI.

1 *Eum quem abdicaſſet.*] Lego: *quum abdicaſſet.* Gronovius.

2 *Quis vetabat, ſubſtitui.*] Videtur legendum, *quis vetabat inſtitui, vel ſubſtitui, &c.* & paulo poſt: *manifeſtum teſtamento fecit.* Pith.

3 *Diu eget.*] Vid. leg. *diu egebit.* Id.

## CCLXXVI.

## *Bona raptoris qui se suspendit.*

RAPTA RAPTORIS MORTEM AUT BONA OPTET.
Raptor se suspendit: rapta optat bona.

### DECLAMATIO.

RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL BONA OPTET. Raptam hanc esse, pro qua loquor, constat, ab eo raptam esse, cujus bona optat, non negatur: lege datam esse potestatem utrum vellet, convenit inter nos. Quid est igitur quod obstet? Negant dandam esse optionem puellæ, quoniam perierat raptor. Id nulla lege exceptum, nullo scripto verbo cautum est. Interpretatione igitur optionis nituntur. Videamus hæc qualis sit. Lex (inquit) quæ optare vel mortem vel bona permittit, hoc satis significat, ex duobus optandum esse. Quoniam igitur jam alterum optari non potest, ne optioni quidem locus est: hanc legis vim esse contenderemus, si ex duobus esset optio eligenda puellæ: duo tamen hæc esse contenderem, natura & vi. Neque enim si raptor nobis subductus est, [1] mors ipsa nihil est. Sed quomodo non satis est unum supersesse, cum etiam si duo essent, non potuerit optari nisi unum? & hæc duo ita demum potenter à parte diversa proponerentur, si essent juncta: nunc vero discreta sunt, ipsa legis scriptura, MORTEM VEL NUPTIAS: ita duo simplicia, singula sunt tamen. Præterea lex ita scripta est, ut eligi juberet:

1 *Mors ipsa nihil est.*] Etsi mortuus sit raptor, ideoque mihi subductus, inquit, ne mortem ejus optare possim, neque etiam nunc bona, quia, ut cavillatur adversarius, ex duobus sit optio: natura tamen, τῇ τῇ δυνάμει, duo sunt, quæ optare possim. Nam cum morimur, non ita male nobiscum agitur, ut nostri nec post mortem nihil sit reliquum: & mors ipsa in rerum natura nihil sit. Quin animus, potior nostri particula, vivit & viget, cujus vel mors quædam (quod Christiano absit) optari potest. Præterea qui raptor semel in reatu hac vita functus est, ita adhuc vivere juris fictione intelligi potest, ut si rapta ad magistratum educta, mortem exposcat: retro non natura, sed vi & supplicio periisse videatur. Hæc fortasse subtiliora sint: verum in re tam obscura, quia corrupta & depravata, quid non experiri possumus? præsertim cum hæ argutiæ è libris philosophorum depromptæ, potissimum ad scholam pertineant. *Erod.*

juberet: posset opponi vel electioni, [1]Si ex pluribus non esset: nunc optio potest esse, etiam singulorum. Et illud (judices) ante omnia intueri vos oportet, si quid ex lege inclinandum sit, spectare ut quam minimum ex eadem pereat. Adversarius etiam queritur, aliquam verbi interpretationem perire: nos totam legem, totum jus. Tolerabilis enim esset mihi cum adversariis contentio, si quæreretur an hoc optare puella deberet: nunc id agunt, ut nihil optet: & nova quadam ac perversa actione nituntur, ut bona raptoris optare puella non debeat, quia optare nihil aliud potest, quàm bona. At non est æquum, & mortem raptoris contingere, & bona. Sed hoc eo pertinet, ut si mortem optavit, optare non debeat bona: ita demum enim & mortem ei contigisse raptoris dicemus, & bona: æquum est enim interpellari posse optionem etiam facto ipsius, alieno vero iniquissimum. Quare si per hanc stetisset, ut raptor periret: quanquam possem dicere, illud non optavit, & legi non est satisfactum: haberet tamen aliquam rationem, saltem falsa ejus calumnia: nunc quid fecit puella, ut raptor moreretur? Itaque huic non tantum in hoc labor est, ut bona raptoris accipiat: sed in illo major aliquanto, ut vobis approbet, quod optatura fuerit, si viveret. Duas enim sine dubio pœnas, adversus raptorem lex constituit: alteram tamen mitem: nec semper hac cogitata & publica crudeli ac sanguinaria tenetur. Hodieque alioquin nonne merito à vobis, merito à civitate reprehenderetur, si aliud non optando hoc ostenderet & feciſſe raptorem, quod ipsa esset optatura? Hinc transeunt ad

1 *Si ex pluribus non esset.*] Hæc verba excipientis, & raptam præscriptione submoventis esse, equidem existimavi. Electio est de pluribus, inquit: ergo licet eam à lege habueris, nunc raptoris morte consumpta est. Sed jure civili certum est, in alternativis tot legata, tot stipulationes esse, quot sunt res, quia discretæ & separatæ: aliter atque si conjunctæ sint, qualis est, familia, grex, quadrigæ, &c. l. scire debemus. ff. de verb. obligation. Et ideo re una extincta, manet altera in obligatione. Sic in hac optione legitima, licet raptor desierit esse, cujus mors optari possit: jus tamen optionis omnisque eligendi facultas, ad raptoris bona delapsa est, ut ea sola, ab initio, re integra, optari potuere. Hæc aliis obscura, Jureconsultis sunt pervia. *Idem.*

ad conjecturam & suspicari vos volunt ea, quæ probare non possunt. Non enim (inquiunt) est credibile periturum fuisse raptorem, nisi hoc optaturam sciisset puellam. Ante omnia, cum dicitur sciisse, illud ostenditur, posse probari quo modo scierit. Quæro enim à vobis ipsis adversariis, quo modo colligatis sciisse eum, cum non liqueat hoc vobis? Si quid est, afferte & ad judicem. Unum argumentum est, ipsum quod perierit. Hoc etiam si mortis fecit metu, potuit tamen naturaliter fuisse timidus: etiam nullo accepto signo, propter quod vitam desperaret, confusione tamen, & proprio animi sui periisse motu. Nunc vero credibile non est quenquam perire mortis metu, quid enim timuit ulterius? Quare etiam credibilius videtur mihi, idcirco periisse eum, quod optaturam puellam bona existimaret. Sint enim plerique, qui mortem potiorem quam egestatem putent: quibus delicate educatis (ex deliciis enim hæc licentia facta est) intolerabilis videatur nuda vita illa, omnibus, quibuscunque antea abundaverunt, destituta. Hoc igitur est credibilius, & hoc puella voluit, & in hoc perseverat. Et certe nulli tolerabile aut æquum videri potest, in gravissima injuria, qua virginitatem perdidit, qua florem ætatis amisit, qua prima illa gratia apud maritum futura prærepta est, [1] neque mortem optaverit, neque bona accipiat.

## CCLXXVII.

### *Prægnans adultera.*

SUPPLICIA [2] PRÆGNANTIUM IN DIEM PARTUS DIFFERENTUR. Prægnantem in adulterio deprehensam occidit maritus: reus est cædis. C. D.

#### DECLAMATIO.

CUm reus agar cædis, nihil fortius confiteor quam à me occisos homines: &, si quid numerus quoque adjicere

1 *Neque mortem optaverit.*] Deest particula *ut*, sive ante τὸ *neque* ponenda, sive post τὸ *videri potest*. Gronovius.

2 *Prægnantium.*] In vet. exempl. *prægnatium*, & *prægnas*, & *prægnatem*, constanter scriptum est, ut & in Pisanis Pandectis. *Pith.*

jicere invidiæ potest, duos. [1] Verum istud non potest videri sævitia, non crudelitas, quæ per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera. Ex alia parte nascitur origo hujus calumniæ. Prægnantem (inquit) occidisti: & supplicia prægnantium, lex differre in diem partus jubet. Ut confiterer hoc esse supplicium, atque eo nomine appellandum, fortiter tamen dicerem, leges omnes quæcunque de suppliciis scriptæ sunt, ad eos pertinere, qui damnati sunt, qui in judicio convicti, qui per ministeria publica, ac carnificum manus occiduntur. Nam & cæterorum supplicia ante judicium non solent esse, & non nisi per magistratus exiguntur, non nisi certa lege ordinationum hoc jus scriptum est: mariti dolori hoc jus ille conditor conscriptorque legis hujus, voluit esse privatum. Non magis ergo tempus aut diem præstituisset adulteræ, quam manum carnificis, quam sententiam judicis, quam imperium magistratus. Quid si ne differri quidem hoc supplicium potest? non enim dubium est, quin lex de his loquatur, qui quandoque sint in Reipublicæ potestate. Damnatus aliquis custodia publica continetur, carcere continetur: potest de hoc supplicium sumere magistratus cum voluerit. Adultera dimissa, non redit in manum mariti. Nec hoc tantum in lege est ut adulteræ supplicium differri non possit: sed illud etiam, ut non tantum adulteræ pereant. Nam lex cum occidere mihi adulterum cum adultera permittat, manifeste illud ostendit, non posse eos diversis temporibus occidi: ac si alteri remittatur supplicium, impunitatem etiam alteri dandam. Ergo non solum prægnantis supplicium, etiam ut sic loquamur, sed etiam adulteri non differendum tantum, sed tollendum omnino fuisset. Quod si hoc quidem supplicium appellari convenit (habent enim omnia hæc nomina suam proprietatem) non semper homo supplicio affectus dici potest: non ubicunque pœnam habent,

1 *Verum istud non potest.* ] Aut scribendum *ista*; aut mox, *quod per leges venit.* Gronovius.

bent, etiam supplicium est. Nomen hoc, est publicæ animadversionis nomen exactæ per magistratus pœnæ. Indignum fuit occidere etiam quæ prægnans facta est. Nondum dico quanto gravius peccaverit: interim cujus miseretur? infantis ex adulterio fortasse concepti? Et, judices, interrogo vos, cujus rei gratia legem caviſſe existimetis? illius, qui erat conceptus à nocente fœmina? non est credibile legem prospexisse ei, cui rerum natura datura fortasse non erat lucem: qui an nasci posset, dubium fuit: qui etiam odium ex ea, quæ conceperat, merebatur. Quare ergo scripta lex est? pro patribus, qui nihil fecerunt. Indignum enim visum est, etiam si mortem meruisset matri, auferri filium innocenti patri. Dixero, Lex pro me scripta erat: non potest videri contra me valere. In hac vero, ne illius quidem, quicunque futurus sit, movere vos miseratio potest, quis enim illum agnosceret? quis educeret? cum manifestum esset ex crimine, ex flagitiis, ex ea re, quæ morte punitur, esse conceptum. Ipsam vero adulteram adeo oportuit occidi, ut nulli unquam irasci magis leges debuerint. Ultra commune flagitium est, prægnans adultera: aliqua hoc tempore, quo salvo pudore à marito secubaret, cum adultero volutata est. Et cum animalibus mutis etiam, [1] quorum libido ratione non continetur, hæc tamen sit natura, ut posteaquam conceperint, omnem refugiant venerem: matrona ne pudore quidem partus (ut vos dicitis) jam instantis moveri potuit, ut pudicitiam, si non marito, at futuro certe filio præstaret. Illa igitur prior damnavit ventrem suum. Victurus autem fuit ille, si ego adulteram non occidissem. Non novimus hos mores turpissimarum fœminarum, ut oderint puerperia? ut filios, velut indices ætatis suæ, abominentur?

CCLXXVIII.

1 *Quorum libido ratione continetur.*] Sic vetus, legendum tamen videtur, *non tenetur*: nisi quis malit sic intelligere, frænari etiam ratione mutorum animalium libidinem, & hac in re muta quoque animalia juris & rationis peritia censeri, ut C. loquitur 12. *præstaret*? Pith.

## CCLXXVIII.

### *Expositor petens cum forti x. millia.*

Viri fortis pater decem millia accipiat. Is qui videbatur filium habere, decem millia, cum ille fortiter fecisset, accepit: postea juvenem pater naturalis agnovit: solutis alimentis recepit: petit decem millia.

#### Declamatio.

Decem millia à me petis? quo jure? qua causa? credidisti, an deposuisti? an ex alicujus rei venditione, pretium ad te pertinet? Nihil horum: nullus inter nos contractus fuit: nisi quod mihi nuper aliquid debuisti. Legem affers, qua patri viri fortis, decem millia dari oportet: cujus quidem summæ si non præstetur fides, petitio (ut opinor) à republica est. Nam ut jam constet, uter accipere debuerit, illud tamen respondeas mihi velim, quis dare debuerit: si patri debetur, debet respublica. Viderimus an ego à civitate recte acceperim. Tu non potes accipere, nisi à civitate. At ego accepi id quod tibi debebatur. Puta me in præsentia confiteri: repetet fortasse qui dedit. Interim tibi non alius debuit, quam qui mihi dedit. Sed volo nunc agere etiam reipub. causam: & sic respondere tibi, tanquam istud à magistratibus petas. Non est tempus hoc actionis istius: quando enim filius tuus fortiter fecit? multum jam transisse tempus ante hanc actionem confiteberis. Interrogabo ubi fueris: etiamsi te peregrinatio detinuit, etiamsi absentia in causa fuit, quo minus acciperes, dicam tamen pleraque jura tempore circumscribi. Si vero & in civitate fuisti, & præsens eras cum honoraretur filius, ut nunc res est, tuus: interrogo, cur non petieris? [1] nam ut non acceperis, sufficit hoc, quod non petisti. Non eras illo tempore pater, quia nesciebas te esse. Non debebatur igitur tibi eo tempore quo respublica debuit. Illud quoque interrogo, quomodo factum sit, ut ego acci-

1 *Nam ut non acceperis, sufficit.*] Lego, *acciperes*. Gronovius.

acciperem. Pater viri fortis eram: quorum utrunque breviter ostendere judici necessarium est, & me tum patrem fuisse: cum decem millia debebantur patri viri fortis: & te non fuisse: ideoque te non accepisse. Patres enim non tantum natura & illo initio continentur: satis est plerunque ad hoc jus videri. Non dubium est, quin si intestatus decessissem, antequam tu agnosceres, aditurus ille hæreditatem, quasi filius, fuerit? num dubium est, quin si honores peterem, profuturus mihi tanquam filius fuerit? num dubium est, quin si (quod longe ab ejus animo & moribus abest) pulsasset patrem, non injuriarum tantum lege teneretur? si occidisset, non cædis tantum lege pœnas daret? Quod si hæc omnia in confesso sunt: ne Magistratus quidem erraverunt eo tempore; quo decem millia dederunt mihi. Si intestatus tu decessisses: ad alios quoslibet tua pertineret hæreditas. Vis scire quam pater non fueris? recipere illum, nisi solutis alimentis non potuisti. Lex tibi dicit, Alienus est: & tibi, ut pater esse incipias, emendus. Jam illa profecto citra interrogationem sunt: cujus tulerit nomen: in cujus censum delatus sit. Nimium diu de re judicata. Reliquum est intueamur, uter nostrum hac pecunia dignior esse videatur. Et ut breviter dicam, tu exposuisti, ego sustuli. Scio te cœpturum altius, ut dicas, genui. Hoc est, quare tibi debeamus irasci: quantum ad te pertinet, non habet respublica virum fortem: aut illum feræ laceraverunt, aut aves diripuerunt, aut aliquis (quod multo sit indignius) sustulit leno, aut lanista [1] ex meis ille beneficiis natus est. Intuendum nobis etiam illud præcipue est, quæ causa constituendæ legis hujus fuerit: aut unde ortum sit, ut non contenta civitas fuerit præmium ipsi viro forti dedisse, sed etiam patrem hujus honorandum censuerit. Ideone honoratum putamus patrem, quod genuerit? an ideo magis præmio dignum civitas existimavit,

1 *Ex meis ille beneficiis natus est.*] Scribe, *renatus*. ut decl. 260. *Renati sunt nobis*

*vumque fatum quodammodo sortiti.* Δεύτερον γεγένημαι. *Idem.*

mavit, quod educaſſet, quod impenſas feciſſet? Vis ſcire quam hoc verum ſit? pecunia honoravit. Si quid pietatis eſt, quod imputare nos reipub. præter alimenta poſſumus, illud eſt, Sic educavi, talia præcepi, ſic formavi mores. Non eſt ſatis hoc indignum, quod talem tibi filium feci? Sed hæc utcunque videri poſſint tolerabilia: illo tempore quo pugnabat filius noſter (vindicabo enim mihi ſemper hoc nomen, neque à beneficiis meis appellatio iſta diſcedet) qualis uterque noſtrum fuit? non ego ſolicitus, de muris pependi? non ego omnes excepi ab acie redeuntes? non nuncios ſollicitus captavi? at tu ſecurus eras, tanquam id quod volueras, cum exponeres, contigiſſet. Age, redeuntis vulnera quis religavit? ſanguinem quis abluit? ad templa quis duxit? quis gratulatus eſt? Sciebaſne jam tum eſſe officium tuum, an confiteris ad te hæc non pertinuiſſe? Diſſimules licet, & videatur alioqui hoc contra cauſam meam, ſciebas, & illum eſſe apud me paſſus es. Hæc decem millia agnoviſti: non te moverunt tituli adoleſcentis, non illa gloria de eximia virtute, quam ego præceperam. Hac fiducia alimenta ſolviſti: computas mecum, ut ſolus omnium mortalium & expoſitum receperis, & lucrum feceris.

## CCLXXIX.

### *Dives ſpecioſi adulter.*

Adulterum aut occidere, aut accepta pecvnia dimittere licet. Dives pauperem ſpecioſi patrem, de ſtupro filii appellavit: ille tacuit, iterum adjecta pecunia appellavit: ille tacuit. Tertio appellatus, uxorem filio dedit. Puer divitem cum uxore ſua deprehenſum, accepta pecunia dimiſit: abdicatur à patre.

### Declamatio.

PRiuſquam venio ad æſtimationem criminis & propriam judiciihujuſce ſummam: neceſſe habeo id dicere, quod in oculos uniuſcujuſque veſtrum, judices, incurrit. Abdicatur puer: nolite illum æſtimare ex hoc quod maritus

tus est: in quo illud præcipue, judices, vereor, [1] ne apud animos vestros suspectus sit impudentiæ, ac videatur intra hos annos nimium cito virum egisse: uxorem pater impuberi dedit. Quid igitur hæc ætas committere potuit tanta animadversione dignum? [2] Lex abdicationis adversus ferociam juvenum constituta est. Hæc vero infirmitas adeo nocentis nomen non recipit, ut vix recipiat innocentis. Si tamen perseveras abdicare tanquam juvenem, superest, ut ego quoque tanquam juvenem defendam. Vultis igitur, judices, dicam illa omnibus fere abdicationum judiciis vulgata pro liberis! Non ego luxuriatus sum, non ego meretricem amavi, non paterna bona vitiis consumpsi? Sed si hoc proposuero, respondebitur, (potest enim) Adulteros, inquit, non occidisti. [3] Dicamus & tanquam pro marito: Non habes jus abdicandi, propter hoc quod lex huic permisit. Vereor ne risum mereatur hæc defensio mea, tanquam hic utrumlibet non potuerit. Sed potuerit sane. Marito vel occidere adulterum, vel accepta pecunia dimittere licet: non potest propter id irasci, quod jura huic

1 *Ne apud animos vestros suspectus sit impudentiæ.*] Scribe audacter, *impatientiæ*, id est, nimiæ libidinis. Vide 4. Observ. 25. *Idem.*

2 *Lex abdicationis adversus ferociam.*] Hic locus elucidat illum Declamationis 259. supra, Fulmen istud patrum, adversus ferociam adolescentiæ datum est, &c. *Ærodius.*

3 *Dicamus & tanquam pro marito.*] Patet ex Declam. 275. atque ex jure nostro, quicunque ob adulterium pecuniam acceperit, eum famosum esse quia id est lenocinium agere. Sed marito, sicut nec ea jura quæ tandem in Pandectas relata sunt, omnem omnino adulterum, nec ubicunque deprehenderit, permiserunt occidere: quia mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus, ut eleganter à Papiniano scriptum est, de adulteriis lib. 1. nec facile via concedenda, quo viri maxime confugerent, levibus & momentaneis suspicionibus offensi: potiusque hoc jus ad patres translatum est. Ita sive illo antiquo jure Romanorum, quo velut in magna paupertate pœnæ omnes erant fere pecuniariæ: sive legibus Athenienſium, ut ex oratione Lysiæ ὑπὲρ τῆς Ἐρατοσθένους φόνου colligi potest, marito non etiam alii citra fraudem infamiæ, pecunia accepta, & id pœnæ quidem non precii nomine adulterum dimittere licuit. Ergo justæ non sunt hic abdicationum causæ, nec hujusmodi ut à judicibus approbari debeant, sive hunc impuberem jam maritum appellare placet, quia quod licuit, fecit: sive jus mariti ætas impedit, quia virium excusationem habet, quod simul adulterum cum adultera in ipsa turpitudine μὴ ἐν ἔργῳ occidere non potuisset. *Idem.*

huic permiserunt. Loquatur maritus cum animo suo, loquatur cum affectu suo, cum propria animi sui natura. Si propter hoc licet abdicare: istud quod fecit maritus, non licet: alioqui enim tolerabilius & certe humanius erat, arbitrium vel occidendi adulteri, vel accepta pecunia dimittendi, transferri ad patres: quoniam certe levius est vetare aliqua, quam punire. Sic defenderetur, si jure tecum ageret: ipsius vero facti vel hoc modo rationem facile reddidissem: Non est istud turpe, quod lex permittit. [1] Accepta pecunia dimisisti: nisi oporteret, nec liceret. An vero parum sancti illi videntur fuisse majores, illi constitutores juris, qui civitates adhuc velut antiquo illo errore confusas, ad certam vivendi formam redegerunt? illis non est visum nefas, accipere pecuniam: sed etiam hac pœna animadverti putaverunt, sicut pleraque delicta puniuntur: nec enim semper usque ad mortem perveniunt. Credo autem illum, quisquis fuit legis hujusce constitutor, illa intra se cogitasse: Non omnium animos maritorum durare ad sanguinem: esse quosdam mitiores, qui ne conspicere quidem cruorem sufficerent: multi se à gladiatorum vulneribus avertunt: & quanquam nemo dubitet & illud spectaculum in parte esse pœnarum, tamen nequissimorum quoque hominum suprema pericula habent suam gratiam: de spectaculo loquor. Cogitaverunt quanto esset difficilius occidere: ac scierunt futurum, ut si unam hanc mortis pœnam contra adulteros constituissent, sæpius impune committeretur adulterium. Constituerunt ergo pœnam & secundam: prospexerunt infirmioribus, prospexerunt lenioribus. Forsitan cogitaverunt & illud, non omnibus futuras esse vires, ita temperaverunt severitatem, ut vindicaret se quomodo quisque posset. Dixi tanquam pro juvene, dixi tanquam pro marito: dicendum est tanquam pro impubere. Non me hercule satis constituere apud

1 *Accepta pecunia.*] Hoc exemplum est scholasticum sacramenti in causa criminis, ut & infra Declamat. 363. *Pith.*

apud animum meum possum, an huic adulteros licuerit occidere. Quo enim tandem modo defenderetur filius tuus, si quis extitisset, qui diceret, occidisti homines nondum maritus, nec enim vis ista nominis hujusce, appellatione prima consistit: nec satis est maritum tantum osculo putari. [1] Postea nudari filium, atque in conspectu judicum constitui coegisset: atque interrogaret, an ille maritus esset, qui fieri pater non posset. Ac si tantum illi, [2] tanquam adultero, irascereris, satis erat hoc dicere pro filio tuo: Puto nondum habebat mariti dolorem. Ad vulnera adulteri, & cædem, & tristissimum occidendi hominis ministerium, magno quodam impetu, & (ut sic dixerim) furore opus est. Nec miror eos concitari, qui veterem matrimonii consuetudinem, qui pudorem cubiculi, qui spem libero-

1 *Postea nudari filium.*] Fuit hoc tum incerti juris pubertas in masculis annis & ætate, an habitu corporis æstimanda esset. Fab. lib. IIII. c. II. *De re*, inquit, *constat, de jure quæritur, ut apud centumviros filius an frater debeat esse intestatæ hæres: pubertas annis an habitu corporis æstimetur.* Sic enim is locus emendandus est. Cassianorum sive Sabinianorum sententiam Isidorus in nuptiis sequutus videtur lib. 5. Etym. quod relatum est in cap. III. de sponsalibus impub. Proculianorum Justinianus noster tandem probavit. Priscus Jabolenus quamlibet in multis aliis juris articulis Cassianus fuerit, in hoc mediam quandam sententiam secutus est, ut & alii plerique. Servius ad illud Virgil. Eclog VIII. *Alter ab undecimo. Bene*, inquit, *cum annis jungit habitum corporis. Nam & jure pubertas ex utroque colligitur.* De fœminarum pubertate constitisse inter omnes videtur, inspectionem corporis sexus pudori non congruere. Itaque quod deest apud Ulpianum in libro singulari Regularum, titulo de Tutelis, sic etiam suppleri potest, *fœminæ autem tutela liberantur omnimodo, quæ XII. annos explerunt*, scilicet propter festinationem votorum, ut est apud Aur. Macrobium. Sed hæc sunt alterius loci. *Pith. Postea nudari filium.*] Adhuc enim in masculis id observabatur, ut non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis & aspectu pubertas æstimaretur. Ulpian. in frag. tit. de tutelis. Liberantur tutela masculi quidem, pubertate. Puberem vero Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est, qui generare potest. Proculei autem, eum qui quatuordecim annos explevit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit, & habitus corporis & numerus annorum. Virgilius, *Alter ab undecimo tum me jam cœperat annus.* ubi Servius, Bene cum annis jungit habitum corporis. nam jure pubertas ex utroque colligitur. Quod jus (si Diis placet) etiam à Pontificibus nostris conservatum est cap. puberes de despon. impube. sed decenter & pudice emendatum à Iustiniano, sententiam Proculi secutus l. ult. C. quan. tutor. vel curat. esse desi. & Instit. ubi etiam Theophilus. *Ærodius.*

2 *Tanquam, adultero irascereris.*] Scribe: *irascereris.* Gronovius.

liberorum expugnatam esse credunt: qui illos occultos atque inenarrabiles patiuntur æstus. Non potest uxorem suam sic odisse, qui adhuc amare non potuit. Verum illi quoque parti respondendum est, qua vindicandam priorem injuriam fuisse dicit, de qua hodie dum abdicat, multa vehementer graviterque dixit: cum fieret, tacebat. Non existimo adeo inimicum filio suo patrem, quamvis abdicet, ut aliquid turpiter suspicetur, præter id maledictum, quod ipse audivit, quod intra verba constitit maximo atque admirabili potius experimento, gravitatem hujus pueri, severitatemque, judices, diligetis: quia is, qui tantum nefas concupierat, ipsum puerum appellare non ausus est. Facilius illi fuit loqui cum hoc patre, hoc severo: & loqui non semel, & pecuniam polliceri, & adjicere pretium. Tum iste tamen non adiit magistratus: non vociferatione saltem invidiam facere apud populum conatus est: tanto facilius exigere magnum animum, quam præstare. Si hominem occidere facile est, tum feriri oportuit, cum de stupro filii tui loquebatur: cum tuarum id partium, tui animi, tuarum etiam virium fuit. Nam fingamus sane istud matrimonium fuisse, quis tamen omnium mortalium hoc exigat, ut fortius uxor, quam filius, vindicetur? Sic ego hunc defenderem, judices, si occidere noluisset, rursus mihi ad id redeundum est, ex quo defensionem hujus ingressus sum. Ecquid vos cogitatis ætatem, ecquid videtis annos, ecquid semoto illo nuptiarum mimo, atque inani tantummodo nomine, virum esse cogitatis: & dignum qui abdicetur, quod hominem non occideret? Itane tu pater bonus, qui charitate filii neglecta, imitatus es pueri infirmitatem adversus eum, qui de stupro filii tui te appellare ausus est, quem punire, etiam si tibi moriendum esset, debuisti? Tu huic irascaris, qui ex duobus adulteris nulli eorum par erat: 'qui certe præstitit tibi, quantum

1 *Qui certe præstita sibi de pecunia fide.*] Et hic mancus corruptusque locus sic restitui potest commodissime meo judicio, ut ad quintum caput legis Juliæ per-

quantum plurimum potuit: diu moratus est, detinuit, dum pecunia affertur, dum repetitur, dum numeratur: fuerat tuæ curæ, tuæ severitatis intervenire, & aliquid facere fortius. Ergo fortunæ agendas esse gratias puto, quod emissus dicitur, qui potuit erumpere.

## CCLXXX.

## *Raptor reversus.*

RAPTA RAPTORIS AUT MORTEM OPTET, AUT NUPTIAS. Quidam rapuit & profugit. Raptam pater alii collocavit. Rediit postea qui rapuerat: vult illum ad magistratus educere pater: patitur ille se educi: rapta tacet: maritus contradicit.

### SERMO.

[1] *Actionem oportet esse summissam & blandam, nam primum omnium dicendum est ei adversus socerum: deinde ita dicendum est, ut sciamus hoc agere eum ut socer sit. Præterea causa illius nihil habet firmius quam sit aliena. Etiam sollicitudo quodammodo temperanda est, ut neque desperare, neque securus esse videatur, sed modus & color declamationis sic ducendus est: quæstiones illæ erunt, an educi rapta nisi protinus possit: an etiam si tempore interposito potest, possit tamen post nuptias: an quia ante educi non potuit raptor, nunc educi debeat: quo animo pater educere ad magistratus velit: an patiente eo qui educendus est, contradicere liceat: an æquum sit, quo animo hic educat. Scio posse quæri, an illa quæstio quæ ad personam pertinet, & in prima parte ponenda est, quæ à me supra constituta est. Ego aliquid in hoc ordine etiam themate spectavi, quo loco ponitur illud,* [2] *quod tacente raptore hic loquatur,*

liæ pertineat. de quo Ulpianus in l. 25. ff. ad legem Juliam de adult. hoc modo, *qui ejus rei testandæ causa adulterum quantum plurimum potuit, retinuit.* & postea, *remissus*, non *emissus*, ut cum Ulpiano loquamur. *Ærodius.*

1 Quintilian. lib. 7. Instit. orator. cap. 9. Ratiocinativus status in has fere species venit, an quod semel jus est, idem & sæpius: an quod in uno, & in pluribus: an quod ante, & postea. ut, Raptor profugit, rapta nupsit: reverso illo petit optionem. *Ærodius.*

2 *Quod tacente raptore, hic loquatur.*] Nempe maritus qui contradicit. nam si quæ sunt contradicendi partes, hæ potius raptori (ut quidem videtur) quam marito conveniunt. Raptor enim præscriptione uti posset, *Si non intra tempus agis, nec alii in præsenti nupta es.* Sed maritum, est aliquid quod ab hac contradictione dimoveat, cui jam liquet se virginem non duxisse: ut nunc de retinenda uxore minus sollicitus esse debeat. Sed tamen

*tur, quid velit spectari & illud, quod affectibus, qui sequuturi sunt, magis hæc quæstio, quam ulla alia conjuncta est.*

## Declamatio.

SI contradiceret ipse qui rapuit, id est, si timeret, sic pro se ageret, Educere tibi ad magistratus raptorem non licet, nisi statim: quare? quoniam omnium vel pœnarum vel præmiorum tempus aut constitutum est, aut præsens: quotiens finitur dies expectandus: quotiens vero non differtur, præsens est. [1] Itaque sicut si dies finiatur, nihil ultra eum juris futurum est: ita die non præfinito, proximum esse manifestum est, nihil ultra proximum jus sit. Id porro quod in quolibet jure alio manifestum foret, in hac lege apertius est: quin enim dicit? Rapta raptoris mortem vel nuptias optet. Neutra res est, quam differri oporteat: sive is est raptor qui pœnam mereatur, non meretur advocationem: sive ignoscitur raptori, non debent habere moram nuptiæ inchoatæ. Si tantum non statim educeres, hæc fortiter dicerentur: nunc educere vis post nuptias. Utrum igitur jure prius, an æquitate consistes? jus ipsa legis positione manifestum est: nam cum raptam educi in hoc jubeat, ut mortem vel nuptias optet: manifesto ostendit eam educi oportere cui utrunque liberum sit. Præterea jam ne raptæ quidem nomen habere potest, quæ nupta est: sicuti nomen pupillorum legitimo tempore finitur: sicut orbam nemo post nuptias dixerit: sicuti virginis appellationem nox illa maritalis aufert: ita ne rapta quidem dici potest, quæ maritum habere cœpit. Licet igitur raptæ permissum sit quocunque tempore optare, nuptæ optare permissum non est. Hæc ex lege manefesta sunt, illa ex æquitate. Ante omnia non tam duram esse lex voluit conditionem, ut

semper

men hoc vel aliquanto magis ad maritum, quam ad raptorem pertinet, &c. quam lacunam ita replevimus ex sequentibus his, conjectura ducti. *Idem.*

1 *Itaque sicut, &c.*] *Itaque sicut si dies finiatur, nihil ultra illum juris futurum est.* Pith.

semper raptor puniretur: ideo & misericordiæ locum fecit. [1] Et idcirco jam non ad ipsum tantummodo, qui rapuit, sed etiam ad eum qui eduxit, pertinet, qui certe nihil peccavit, qui certe manere potuit. Hoc loco mihi illud opponitur, non potuisse ante educi eum. Quasi vero interfit causæ, qua ratione jus interierit. Profugerat, inquit, raptor: scio quid facillimum sit dicere: persecutus esses, inquisisses, si verus hic dolor, si vera indignatio erat, non omisisses. Non hoc illi profuit, quod profugit, sed illud quod redire permisisti. Fortasse enim contentus fueris hac ipsa pœna exilii: satis vindicatum te credideras. Ne illud quidem verendum, ne raptoribus exemplum profugiendi permittamus, si optari adversus eos amplius non potuerit. Satis enim magnum supplicium hoc est, & certum: nam is, qui permanserit, sperare & nuptias poterit, etiamsi mortem timebit: ei vero, qui profugerit, exilium sine dubitatione erit patiendum. Hæc diceret ipse, quæ nunc ego dico: quoniam ille non dicit, & obstare nihil hoc loco putat jus. Si non possem reddere rationem, judices, quantum mea interesset id, quod vindico, illud tamen responderem. Pro jure loqui nemini non licet. Conveniat inter vos fortasse: hoc est, quod sollicitissimum facit: Loquar tamen pro lege, loquar pro æquitate. Quid si vero hoc (ut paulo ante dixi) aliquanto magis ad me, quam ad raptorem pertinet? periclitor enim nuptiis, periclitor matrimonio non una nocte cognito: nec propter errorem fortasse, nec propter injuriam, sed delecto, sed probato, sed impetrato. Tentat me adversus hæc socer spe fallere, & non

1 *Et idcirco jam non ad ipsum tantummodo.*] Noluit lex ut semper raptor puniretur, perpetuaque esset adversus eum accusatio & electio. Ita fit cum rapta nullam amplius actionem habeat, quæ non præscriptione excludi possit, ut jam hoc judicium non tantummodo ad raptorem, sed ad maritum pertineat, atque adeo magis, quod ipse omnino nihil peccavit, nec ullam fugiendi causam habuit: ejus vero interest ne ei uxor abducatur. Ergo præcedentia sic dicta sunt quasi raptor contradiceret: sequentia sunt mariti ex se suo jure suoque nomine contradicentis. *Erodius.*

& non palam ostendit quid sit optaturus: [1] ita blanditur tamen actioni libenter: judicium credo, remansura est in meo matrimonio, misereor raptoris, neque ego primus cœpi. Misereor, erravit fortasse, ut scelus commiserit: homo, dum periclitatur, etiam imago pœnæ me confundit: hoc cum mihi accidat, quid accidere potest puellæ? Neque ego tamen illum defendo: fecit enim rem improbam, fecit rem inconsultam: sed exulavit, sed abfuit. Hæc si considerem: illud vero ad metus pertinet, & tamen non ego de uxore diffido, non de animo illius dubito, alioqui minus solicitus essem. Scio meruisse me ut amarer, scio obsequium, scio omnia maritalia officia plena indulgentia consequutum. Illud dubito qui possit, cum educta fuerit ad magistratus, cum ille periturus jacuerit ad pedes, cum produxerit propinquos, cum amicos, quare alius dicat uxori meæ, Amo; & ideo rapui: quare sit qui contra me dicat. Misere timeo favorem illum populi, misericordiam civitatis. Quid autem fieri iniquius potest, quam abduci mihi uxorem propter quam aliquando raptor ausus sit reverti? qui ipse satis judicavit non esse legi locum, quod reversus est? Confundit me maxime spes illius, cum timeret, profugit, ac nunc educi se patitur. Silentium quidem uxoris meæ ego vero neque suspectum habeo, neque timeo: decet hoc matronalem pudorem: & si educta ad magistratus fuerit, hoc illam maxime facturam arbitror ut taceat. Quare, socer. tu opta, si hoc quæsisti educendo raptorem ad magistratus, ut confunderes, ut terreres, ut te metu illius vindicares: intellectum artificium tuum est: non

1 *Ita blanditur tamen, &c.*] *Ita blanditur actione libenter, judices, credo, remansura est in eo matrimonio.* Sic lego. Sed minuta isthæc prosequi magis piget quam pudet, itaque ea tantum notabimus quæ majoris momenti videbuntur: cætera lectoris diligentiæ relinquemus. *Pith. Ita blanditur actioni libenter.*] Quis ferat hic fastidium præstantissimi viri? Hoccine minutum? At qui locus est corruptissimus, ac quod ille substituit, sine sensu. De verbis animum despondeo: sed sententia hujusmodi quid requirit: *ita blanditur tamen, ac si non pœniteat judicii eum.* Nempe in me genero legendo. *Credo, remansura est in meo matrimonio.* Gronovius.

non timet. Tuere nuptias quas junxisti, tuere matrimonium quod copulasti: istum raptorem puta abesse.

## CCLXXXI.

## *Abdicandus cum gladio.*

Qui abdicatur, contradicit: inter moras judicii, stricto gladio occurrit in solitudine patri: rogavit, ut sibi abdicationem remitteret, & cogit jurare: juravit ille, & accusat filium parricidii.

### SERMO.

*Narratione præparandum est, ut quoniam nulla certa causa est abdicationis, videatur pater parricidii suspicione fecisse, & has insidias prævidisse. Quæstiones illæ sunt, an ad legem parricidii satis sit probare, hoc in reo propositum fuisse: an hoc propositum huic fuerit.*

### DECLAMATIO.

PRimum hoc mihi responde, an occisuri habitu fueris: non enim tibi proderit dixisse, Non feci. Nunquam mens exitu æstimanda est. Nam & qui impetum in patrem stricto gladio fecisset, retentus, diceret, Non occidi: si venenum paratum deprehendissem, diceres, Non occidi: quin etiam si permittitur ista defensio: & ille potest dicere se non occidisse; qui percussorem summiserit. Satis ergo est probare animum parricidæ. Superest ut cogitetis, an hic animum habuerit. Si occultius esset conjectura ducenda, dicerem, turpem adolescentem: dicerem, abdicatus est: & si innocens magis poterit irasci. Sed quid causam infirmo dicendo? in aliqua vos positos specula putate illa quæ facta sunt videri. Abdicatus in solitudine est: locus opportunus insidiis, habet gladium, instrumentum parricidii: accedit ad patrem, manuque sublata, rogo, dicit, imo jubet. Non sunt enim preces, ubi negandi libertas non est. Utriusque intuemini animum, & si videtur, prius meum. Occisurum te non dubitavi: ideoque ille severus, negare non potui: reliqua à vestris animis interro-

terrogate: is qui armatus rogat, quid facturus sit, si non impetraverit? duo sunt, opinor, inter quæ quæstio interposita videatur, hic si non impetrasset, aut occisurus fuerat, aut moriturus, non dico utrum credibilius sit, utrum facilius. Exorare me volueras: quanto oportunius alibi rogasses? alio tempore? cum primum abdicatus es, adhibitis propinquis, & amicis. Quid facit ad preces solicitudo, ista instrumenta sunt parricidii, hæc occasio, hic locus, hoc tempus. Si abdicarem te, moriturus fuisti: reum parricidii ago. Quid supereſt igitur, nisi ut vindicaturus fueris eam, quam injuriam vocabas? Non (inquit) occidi. [1] Hoc quidem in genere nemo non defendi potest, cui voluntas parricidii objicitur. Non (inquit) occidi: [2] si dicerem, difficilius putasti. Scelera propius admota, plus habent horroris: si dicerem, obstitit tibi vis numinum, & tacita quædam illius solitudinis religio. Nunc vero manifestum est, cur non occideris: distulisti hunc animum, dum hæres fieres.

## CCLXXXII.

### *Tyrannicida veste muliebri.*

Tyrannicidae praemium. Tyrannus cum in arte duci jussisset cujusdam sororem, frater habitu sororis ascendit, & occidit tyrannum: eodem habitu magistratus illi, præmii nomine, statuam collocavit: injuriarum reus est.

### Declamatio.

Animus liber est, nec interest quo habitu statua ponatur: varia gentibus consuetudo est. Et hoc tibi [3] honestius erat: inter multos tyrannicidas notabilis eris, [4] in eadem re, in qua pro sorore venisti. Bella quoque insidias habent. Statua ergo tua non transibitur: habitus faciet, ut

1 *Hoc quidem in genere nemo non defendi potest.*] Dele præpositionem. *Idem.*

2 *Si dicerem, difficilius putasti.*] Immo *facilius.* Eventus, ait, non purgat animum tuum. Inveniſti enim difficile, cum agendum esset, quod, cum decerneres, facile credidisti. *Idem.*

3 *Honestius erat.*] Immo *erit.* Idem.

4 *In eadem re, in qua.*] Lege: *in eadem veste, in qua pro sorore venisti.* Idem.

ut interrogent transcurrentes. Jam illa tempora cogita, quibus senex aliquis narrabit fuisse te, qui inexpugnabilem arcem intrares pro sorore: puerum adhuc fecisse fortiter. Debes igitur mihi beneficium, quod tyrannicidium tuum semper monstrabitur.

## CCLXXXIII.

## *Cynicus diserti filius.*

Disertus Cynicum filium abdicat. C. D.

### DECLAMATIO.

IN quacunque parte, non parentem juste abdicarem. Ideo enim vos sustulimus, ut nobis obsequamini: [1] & certe nullus excusatus à patre non probabitur, [2] quam qui non probat patrem. Scilicet nos stulti, qui forum, Reipublicæ dignitatem tuemur. Discede ab incipiente, ab insano. Sed non necesse habeo, judices, diu commendare vobis officia civilia, in quibus jam diu satisfeci. Omnis mihi actio in dispicienda vita filii posita est: videte, ut alia taceam, habitum ipsum. Cæteros enim quos abdicant patres, sine narratione culpæ abdicare non possunt: in hoc filio satis est ad odium, habitum ostendere. Quis est iste filii habitus? quæ sordes? quid mihi hanc invidiam facis, ut cum habeas patrem, cibum ab aliis petas? Adversus fortunam te exerces. Quid enim accidere gravius potest? frigus, famem pateris, ne quando accidant? & ideo aliquid pateris, ne quando patiendum sit? Vos vero novo genere ambitus,

1 *Et certe nullus excusatus.*] Vet. exemplar. *excusatius*, recte. *Pith.*

2 *Quam qui non probat patrem.*] Fortes nascuntur fortibus. merito igitur hic abdicatur, quia Cynicus filius ad urbanum & facundum patrem pertinere non videtur. dissimilitudine morum non probat patrem. Et Varro quendam in testamento ita caviſſe retulit, Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύρας, exhæredes sunto. Quintil. lib. 4. cap. 2. Sed in scholasticis quoque nonnunquam evenit, ut pro narratione sit propositio. Nam quid exponet, quæ zelotypum malæ tractationis accusat? aut qui Cynicum apud Censores reum de moribus facit, cum totum crimen uno verbo, in qualibet actionis parte, satis indicetur? *Æpsd.*

ambitus, adorationem miseria captatis, inde illa impudentia, quod verecundiam inter crimina ponitis, [1] & appellationem quoque passim nuper dedistis. Omnis vero philosophiæ tractatus alienus moribus nostræ civitatis est, tamen utique placuerat: nonne aliæ sectæ justiores? attenderes Physicis: quæreres utrumne ignis esset initium rerum: an vero minutis editus & mirabilibus elementis: perpetuus hic mundus, an mortalis esset. Viderint alii: [2] ego in te hanc patientiam corporis ferre non possum: in alias te spes sustuli: de dignitate tua cogitabam. Quod si abdicationem ferre non potes, si carere hæreditate malum judicas: deprehensus es, damno pecuniæ moveris, & detrimento famæ: & homo qui has ipsas opes quotidie incusas, tamen concupiscis. Dignus es igitur. Verum fateamur ea quæ sentimus nec nos extra rerum ambitus ponat. Cujus enim est hominis, pugnare cum moribus, & damnare se?

## CCLXXXIV.

## *Adulter sacerdos.*

SACERDOS UNIUS SUPPLICIO LIBERANDI HABEAT POTESTATEM. ADULTEROS LICEAT OCCIDERE. Quidam Sacerdotem deprehendit in adulterio, & eam sibi ex lege impunitatem petentem, occidit. Reus est cædis.

### SERMO.

[3] *An sacerdos adhuc fuerit deprehensus, id est,* [4] *an eo momento quo*

1 *Et appellationem quoque passim.*] Ærodius inserto vocabulo: *& timiditatis appellationem quoque.* Nihil agnosco sanius. Forte: *quod verecundiam inter crimina ponitis & appellatione quoque dudum pessum dedistis.* Assumpto scilicet Cynicorum nomine ab canum inverecundia *Gronovius.*

2 *Ego in te hanc patientiam corporis.*] Vet. cod. *patiendam.* An *patienda* ut *fruenda* apud Ausonium? vix puto. *Pith.*

3 Meminit Quintilianus hujus controversiæ lib. 5. cap. 10. Hoc genus argumentorum sane dicamus ex circumstantia, quia αὐτοῖς ἐν dicere aliter non possumus: vel ex iis quæ cujusque causæ propria sunt, ut in illo adultero sacerdote, qui lege, qua unius servandi potestatem habebat, se ipse servare voluit: proprium est controversiæ dicere, Non unum nocentem servabis, quia te adultero dimisso, adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, qui prohibet adulteram sine adultero occidi. *Ærodius.*

4 *An eo momento.*] Scribe: *an non eo momento, quo deprehensus est, perdiderit jus sacerdotis.* Gronovius.

*quo deprehensus est, perdiderit jus sacerdotis: an si adhuc sacerdos erat, potuerit se postulare in hoc crimine,* [1] *an occidi usquam, nisi in publico possit.*

## DECLAMATIO.

QUod mihi sufficit, adulterum deprehendi: nec enim ulla excipitur persona, & turpius est adulterium in sacerdote. Legem (inquit) habuit, hoc tale est, quale si ignosci sibi velit [2] dux proditor, vitiator pupillæ tutor. Sed finge me ex suspicione egisse cum illo adulterii, nempe damnatus caruisset sacerdotio. Adjice quod lex potestatem servandi concedit alterius. Scriptum est, ut qui civem servaverit, [3] honoretur: nunquid potest præmium accipere, qui se servavit? aut injuriarum damnari, qui se pulsaverit? [4] Præterea lex adulterii prior est, quam sacerdotis. Sacerdos enim optat in publico: [5] quod si adulterum tetigerit, evasit. Quid quod ille pro duobus petebat? nam adultera sine adultero non poterat occidi: & tunc utique cædem commisissem.

CCLXXXV.

1 *An occidi usquam nisi in publico possit.*] *Optare usquam.* Ærodius.

2 *Dux proditor.*] Qui cum ex lege præmii petendi jus habeat, pro præmio abolitionem petat: & quod tutori pro salario debetur administratæ tutelæ nomine, id sibi stupro acceptum ferat. *Idem.*

3 *Honoretur.*] Alii, *coronetur.* Pith.

4 *Præterea lex adulterii prior est.*] Lex qua adulterum licet occidere, prior & potior est ea lege, qua sacerdos unius supplicio liberandi potestatem habet. Ideo quia adulterum in privato licet occidere: sacerdos usquam nisi in publico optare non potest. Et prius sit commissum adulterium necesse est, quàm sacerdos alio postulante jure suo utatur. hic ergo quia ipsemet adulter est, prius ex lege adulterii in privato occidi potuit, quam deductus in publicum, tùm demum impunitatem ex privilegio suo peteret. *Ærodius.*

5 *Quod si adulterum tetigerit.*] *Petierit.* Idem.

## CCLXXXV.

### *Imperator exulis filius.*

Præmium victor imperator accipiat. [1] Imperator cujus pater in exilio quinquennii erat, vicit: aliud præmium petit: reversus pater post quinquennium abdicat.

Sermo.

*Pater hic & honestus & miser est, ut qui exul filium Imperatorem habeat. Quæstio, an quinquennii illius, quo pater exulavit, filio sit ratio reddenda.*

Declamatio.

COlorate adfert quidem iste tale patrocinium, ut me neget exulem fuisse. Sed timuit ne si ego essem revocatus, transferretur imperium.

## CCLXXXVI.

### *Adulter fratris ex sponso.*

Addicare et recusare liceat. Rapta raptoris aut mortem optet, aut nuptias. Peregrinantis quidam fratris sponsam rapuit: puella deprecante patre, raptoris nuptias optavit. Juvenis, reversum fratrem ut in adulterio deprehensum, cum pro illo pater deprecaretur, occidit, abdicatur.

Sermo.

*An omnia, quæ adversus voluntatem patrum admissa sunt, debeant abdicatione puniri: an propter id debeat abdicari, quod lege fecerit.*

Declamatio.

FEliciores patres sic irasci solent, Nihil non facere debuisti secundum meam voluntatem: objicio tibi munus lucis: jactat se potestas illa patrum, etiam in magistratus, etiam in victores: non exigo tamen, ut facias, quod jubeo: peto,

1 Qui per imprudentiam hominem occiderant, quinquennium exulabant. ita ergo filius excusat factum, quia proprie exilium non est, quod temporale est. Igitur aliud ex lege viri fortis optare maluit, quam patris sui reditum, quia alioqui certus est. *Ærodius.*

peto, ut facias, quod rogaverim. Quod si certe non sufficeret ad abdicationem, multum proficeret ista defensio, non dicit, tanquam patri, oportuit facere, sed, Licuit mihi, tanquam alieno. Lex est quæ permittat adulterum cum adultera occidere. [1] Sic agam hoc, tanquam cædis causam: quod si facerem, ignosceretur mihi. Major sit eorum libertas, [2] qui matrimonia junxerunt, qui per vota venerunt: vos vero qui nuptias facitis in pœnam, ad quos uxores per lictorem deducuntur, id vindicare non potestis, quod sic impetratis. Sed ut omnia prætermittam, [3] nihil præter animum patris æstimare debuisti. Cæteris forsitan defendi legibus possis: ea, quæ ad patris te obligavit voluntatem, exui non potes. Abdico te vel quod unicum, vel quod alterum perdidi. Eligat ipse, qualem sortiri vellet patrem, mitem an fortem. Det mores, dum custodiat quos dederit, cum adulteros occideris, necesse habes severum patrem sortiri. Abdico raptorem, necdum dico, cujus: hoc certe dico, rapuisti virginem, pacis faciem turbasti, feciſti propter quod juste occidi posses. Adiisti me præterea, & propter te sollicitus fui: quod erat gravissimum, necesse habui rogare. Si rapuisti fratris tui sponsam, non sufficit severitas, non sum iracundus, non est hæc vulgaris libido, sed incestus. Tu expugnare absentem fratrem ausus es, & feciſti ut videretur puella parum

1 *Sic agam hic tanquam cædis causam.*] Hic mihi suspectissimus locus est. Agnoscit qui abdicatur, non tantum hoc scelus fuisse, ut graviori scelere, videlicet parricidio vindicandum esset. Dicit ergo pater, hic se tanquam cædis causam agere, & tanquam ob eædem filium abdicare, quem & si revera hujus delicti nomine accusaret, filii alterius obitum acerbe ferentis, merito ignoscendum esset. Patiuntur verba hanc interpretationem: sed sequentia tale quid desiderant, Lex est quæ permittat adulterum cum adultera occidere: non possum igitur in fratre cædis causa esse, quæ in alio perpetrata mihi non imputaretur. At major sit, &c. *Ærodius.*

2 *Qui matrimonia junxerunt.*] Fortasse: *qui patrimonia junxerunt.* Ut Decl. 247. *patrimonium jungendum.* Gronovius.

3 *Nihil præter animum præsens æstimare debuisti.*] Hoc est, cum ita rapueris, & nuptias ejus male impetraris, quæ alii & fratri pacta uxor esset, quamvis postea adulterum cum adultera deprehenderis, animum potius quam factum æstimare debuisti, se quasi suo jure & legitime amplexantium, non ut tibi injuriam facerent, thorum violarent. *Ærodius.*

parum pudice feciſſe. Quid reſpondes? quid dicis? ſolent iſta ſic defendi, Juvenis erravi, & amore lapſus ſum. Vis igitur ignoſcam? nihil eſt gravius, [1] impoſitam ſeveritatem perſonæ detrahi. Do vitiis veniam, habes patrem lenem, mitem, ſceleribus ignoſco. Redde rationem, cur nunc tu occideris fratrem, quod tantum ſcelus inveniri poteſt, quod parricidio vindicandum ſit? Ubi ſunt illa præcepta quibus monebam, [2] ut concordes eſſent fratres? parum eſt dicere, voluiſti occidere, potuiſti, non diriguit mens, non ſoluta dextera eſt? non obſtupuiſti propius ſcelere admoto? Sed qua cauſa occidiſti? violaverat matrimonium: adjice, frater, non contingeret tibi ſic agere quaſi marito. Tu enim profecto nocens qui ſponſam abduxiſti, ſic amantem, nunc intelligo quantam injuriam fecerim puellæ, quæ coacta eſt te habere maritum, cum altero carere non poſſet. Acrius incaleſcunt ignes legitimi, utique cum inciderunt in rudes animos. Deprehendiſti in adulterio, ſi ullus in te pudor eſt, maritus fuerat ſi per te licuiſſet.

## CCLXXXVII.

### *Fortis filius proditionis rei.*

Proditionis reus citatus eſt, qui duos filios habebat: ex quibus alter fortiter fecit, alter deſeruit. Petit pater à filio, ut abolitionem judicii peteret, ille fratris vitam petiit, & adfuit patri, abſolutus pater abdicat filium. ille C D.

### Sermo.

*An quicquid pater voluit, filio facere neceſſe ſit, an viro forti: an abdicari propter præmium poſſit.*

### Declamatio.

DUo hæc, ut opinor, objicis mihi pater, & quod deſertoris vitam optaverim, & quod abolitionem judicii non

1 *Impoſitam ſeveritatem perſonæ.*] Conjiciebam: *nihil eſt gravius, quam impoſitam ſeveritatis perſonam detrahere.* Gron.

2 *Ut concordes eſſent fratres.*] Videtur fuiſſe: *ut concordes eſſetis fratres.* Idem.

cii non optaverim. Optavi vitam, puta, nocentis, sed fratris, alieni quoque juvenis æqualis mei misertus fuissem: subiisset illa cogitatio infelicis hujus parentis. Non tam reprehensione dignus est desertor, quam laude vir fortis. Post hoc objicis mihi, quod de innocentia tua nihil timui; sciebam quomodo vixisses, quomodo tuam causam egissem. Ego enim domum nostram in acie defendi: accedit, quod qui semel delatus est reus, non potest absolvi, nisi accusetur: omnes dixissent, [1] causæ patris diffidisset vir fortis. Nihil aliud egissem quidem: & quid futurum erat? si impetrassem, damnareris. Adfui tibi: non imputo: neque enim tu ideo absolutus es? vicit causa, vicit innocentia. Ego nihil imputo, nisi quod bene speravi de causa tua. Ecquid igitur, pater, gratularis tibi? omnes salvi sumus: nam de fratre noli desperare? Sæpe rediere virtutes: jam domi habet exemplum. In periculo mortis fuit: scit, quale sit deserere, quale fortiter facere: denuntio tibi, frater, tollas ignominiam.

## CCLXXXVIII.

### *Tyrannicida filiorum duorum.*

Qui duos filios tyrannos occiderat, petit præmii nomine, ut tertius in exilium proficiscatur.

SERMO.

INDUBITATE *pater hic timet, ne & ille tyrannus fiat: sed non debet illum facere suspectum, alioqui reus erit: non mittetur autem in exilium suspectus.* TYRANNICIDA OPTET QUOD VOLET. *Prima illa communia nihil excepit: illud proprium, plus deberi huic tyrannicidæ, qui, senex duos, & filios occiderit: invidiosum itaque erat, si quid periisset pertinens ad gratulationem.*

DECLAMATIO.

TYrannos genui: nunc opto, ut filius exulet. Quod mihi & citra præmium licebat, hoc & pro præmio peto,

1 *Causæ patris diffidisset.*] Lege: *Omnes dixissent, Causæ patris diffidit vir fortis.* Nisi malis, *diffidit ecce.* Idem.

peto,& pro ipso juvene. Nihil dico de fato domus nostræ, non persequor rationem quoque metus mei: illud interim contentus sum, dicere, Supervacui sunt metus, nihil imminet: [1]sed & spectat ista plerumque sapientia gravior. Quid tu accidere credis illis, qui liberos habent? quid maritis? pater timeo. Sed rationem metus habent: sive ut maxime vereor fatum istud est domus nostræ. Ignoscis enim quod filios meos ultra mortem persequor: nihil de illo timui, qui primus tyrannus fuit: iisdem præceptis erat educatus, quibus tu: illo occiso timere non debui, ne quis ex vobis idem cogitaret: occupavit tamen arcem alter, non in totum sua culpa difficile fuit obstare illis, qui convenerant tyranno priore, & velut ad hæredem. Non potes tutus esse in ea civitate, in qua timeris. Nihil cogitasti: timeo, dum innocens es; vereor, ne si quis te occiderit, videatur tyrannicidium feciſſe.

## CCLXXXIX.

### *Amator filiæ.*

Qui causa mortis fuerit, capite puniatur. Speciosam quidam filiam de amore confessus, amico dedit servandam: & rogavit ne sibi redderetur petenti: post tempus petit: non accepit: suspendit se: accusatur amicus quod causa mortis fuerit.

#### Sermo.

Custodienda *est amici persona, ut quanquam de re nefaria, non tamen sine respectu amici loquatur, & actione tota misereatur illius. Illud vero, quod periit laudet, & magis desperatione eum feciſſe dicat, quam cogitatione turpissimi amoris.*

#### Declamatio.

Antequam dico, quo crimine reus sim, dicendum est, cui dicar fuisse causa mortis. Periit amicus meus, non esse hoc vulgare nomen, ipse monstravit. Hunc igitur occidisse

1 *Sed & spectat.*] Vet. Cod. *sed expectat.* Et paullo post, *illis quæ convenerant.* Pithœus.

cidisse dicor nulla lucri spe, nam filiam relinquebat: nulla offensa; nam & ille mihi credidit, & ego nihil feci extra præceptum. Quidquid est igitur, quod objicitur mihi, ex bona mente proficiscitur. Videamus tamen, an ubi animus accusari non debet, jus hæreat: quæritur quid sit CAUSA MORTIS. Accusator dicit, Per quem factum sit, ut aliquis moreretur: si quis, quod natura mortiferum sit, adversus aliquem fecerit. [1] Quæ si sequenda definitio est, [2] accusabitur & ille, qui alicui suaserit peregrinationem, deinde is aut naufragio perierit, aut latrocinio: ipsi convictus infamabuntur, ex quibus cruditas & interitus. Nihil igitur hic factum est, quod omnibus mortiferum: nam sicut telum omnibus mortiferum est, ita causa mortis est, quæ occidit omnes. Detrahe huic amorem, nihil erit propter quod moriatur. Volo tamen causam facere difficiliorem: non deposuerit apud me filiam, nihil præceperit? tanquam melior amicus defendere filiam, in qua pater furebat, volui: non enim amor erat, qui sic stimulabat. Abduxi, custodivi: nonne recipere non debuit, qui periit quod non recepit? non reddidi: duxisset in jus, per judicem peteret: hoc si fecisset, mea laus erat: sed libenter cedo: ipse ipse fecit rem admirabilem, fecit ut in laudem verteret hoc ipsum, quod turpiter amabat. Quem tum enim illi animum fuisse putatis, cum in illo furore tenuit tamen affectum patris? perduxit ad amicum, deposuit. [3] At enim petivit postea. Si animum illius metiri velimus, intelligemus non fuisse petiturum, nisi quod sciebat [4] me redditurum: sequutus est illum impetum animi sui. At enim petiit: adjice præterea sanitatem, & non acceperat: sed ne peteret,

1 *Quæ si sequenda.*] Fab. lib. VII. c. 4. *Idem.*

2 *Accusabitur & ille, qui alicui suaserit.*] Iisdem fere verbis lib. 7. Inst. c. 4. Nec undecunque causa fluxit, ibi culpa est: ut si cui quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat trans mare, & is naufragio perierit: ad cœnam invitarit, & is cruditate illic contracta decesserit. *Ærodius.*

3 *At enim petivit.*] Alii, *At enim deposuerit, petivit postea.* Pith.

4 *Me redditurum.*] *Non redditurum,* & paulo post, *utique periturum.* Idem.

peteret, depoſuerat. Hæc ſatis plena defenſio eſſet, ſi qua ego divinatione colligere potuiſſem, utique periturum ſi non reddidiſſem: decepit me quod ante fortius tulerat: neque enim hoc dico, redditurum me fuiſſe, ſi periturum patrem ſciſſem: optime partes amici cuſtodiſſem, ſi non reddidiſſem.

## CCXC.

## *Abdicans reductum ob furorem.*

Luxurioſus abdicatus, furere cœpit. Reductus à patre, ſanatus, abdicatur.

### Declamatio.

SI conſcius mihi, judices, ullius culpæ eſſem, propter quam iterum abdicarer: ſcitis mihi non defuiſſe tacendi verecundiam. Sed facile fuit prius ſilentium: primum, quod ſperabam fore exorabilem patrem: deinde, quod certum erat, propter quod abdicarer. Nunc intelligo in multas me mitti poſſe ſuſpiciones, cum expellar ab optimo patre: nec mihi ullo modo poterat ignoſci, ſi offendiſſem ſtatim. Tota igitur actione hoc mihi objiciendum eſt: nihil me feciſſe. Nec mihi, judices, in animo eſt excuſare vitam priorem, nec ut me dicam nunquam dignum fuiſſe abdicatione: [1] ſed ut me putem diu fuiſſe abdicatum, illa non narrabo, quam indulgens mihi ab ætate prima fuerit pater: quod fortaſſe etiam corruperit mores meos: [2] nec illud error adoleſcentiæ, nec ætatis natura. Luxurioſum putat fuiſſe: ego tamen inſanus eram, & defendendus quidem, ſi contradixiſſem: ſed perſeveraturum patrem negabant propinqui: ſic factum eſt, ut dolorem ſilentio premerem, qui cluſus atque intra cogitationes receptus, abſtulit mentem. Cæterum tamen (ſi verum velimus loqui) mutus fuit. Quas hic ego patri gratias agam? reduxit

1 *Sed ut me putem diu fuiſſe abdicatum.*] Forte: *ſed ut me probem tacuiſſe abdicatum.* Ut vobis fides fiat cauſas habuiſſe illud meum *prius ſilentium*, quod modo appellavit. *Gronovius.*

2 *Nec illud error adoleſcentiæ.*] Conjicio: *nec ille, errore adoleſcentiæ me, an ætatis natura, luxurioſum putarit fuiſſe. Ego tamen ſanus eram, & defendendus quoque, ſi contradixiſſem.* Idem.

duxit me non sentientem : adhibuit curam, laborem, miserum me! sanatus sum. Sacra majorum, Deos penates non sentiens tenui : nemo gratulatus est amicorum : nunc expellor resipiscens. Felices qui possunt omni vita sua parentibus dicere, quid feci? dicam tamen, quid postea feci? si luxuria intolerabile malum, ignovisti. Ego (inquit) te, quoniam demens eras, reduxi : ubi estis, qui me putabatis infelicem? Ego vero dementiæ gratias ago : non quidem sollicitudinem patris sensi, sed nec abdicationem. Quid mihi cum tam veloci remedio? pater optime, fallax ista velox medicina. Ego scio quos animi æstus intus feram. Crede, pater, jam aliquas similes rerum imagines video: redit igitur dementiæ prior causa : quare mihi si non ad præsens tempus, ad futurum tamen rogandus es. Succurre qui soles.

## CCXCI.

### *Adulter uxoris, qua cesserat fratri.*

Qui duos filios habebat, uni uxorem dedit : altero ægrotante, & dicentibus medicis animi esse languorem, intravit stricto gladio minatus se moriturum pater, nisi causam indicasset. Confesso amari à se fratris uxorem, frater petente patre cessit : ille in adulterio cum priore marito deprehensam occidit : abdicatur.

### DECLAMATIO.

INgressurus actionem, interrogo qualem patrem velis, gravem & severum, an facilem & ignoscentem? non dubito quin adolescens vindicato modo matrimonio malit me severe agere. Talis igitur pater objicit, tibi, Quod in amorem incideris cujusquam, non est istud nisi lascivientis animi. Jam si hæc quam adamasti, nupta est: tu alienam matronam aliter quam leges permittunt, aspexisti : adjiciamus huc fratris uxorem: Intelligo me, judices, fictæ huic personæ sufficere non posse, itaque tacebo : dic, te sequor, paulo ante dicebas, Corrumpere fratris uxorem ausus est, istud incestum est. Sed forsitan dicet, Amavi

adoleſcens eam, quæ domi erat, cujus converſatio continua etiam invitos ad ſe oculos poterat deflectere: ignoſcamus amori. Objicio igitur tibi occiſos à te homines ex eadem cauſa, qua tu amaſti. Nullus eſt tam vilis hominis ſanguis, ut non manus inquinet. Deinde hanc ego ſeveritatem aliis permiſerim, tu quod & ipſe amaſti, nonne tibi cum deprehendiſſes, imaginem cernere viſus es tui caſus? quid diutius differo dolorem? fratrem occidiſti. Scio, judices, quorundam ſcelerum eam eſſe magnitudinem, ut augeri verbis non poſſint. Fratrem tuum occidiſti, ſervatorem tuum, qui ut tu viveres, matrimonium ſolvit: &, quod gravius eſt, non longe erat: in eadem domo futurus tradidit tibi uxorem, qua carere non poterat. Et hoc adulterium vocas? ita eſt adulter ille, & tu maritus. Iſtud ego adulterium quondam manu mea junxi: ipſe auſpices adhibui: optavi longam concordiam. Majores habet vires ignis qui legitimis facibus accenditur, non eſt tam facile deſinere quam cedere. Nunc intelligo, juvenis, quantum mihi præſtiteris: amabas. Coibant ergo furtim; & flentes, ut ſatisfacerent invicem. Ita tu cum hoc videres, non erubuiſti, non deprehendi viſus es quaſi adulter? non mehercule ferrem te tantum quærentem, [1] vides enim liberorum cauſam, amabas, matrimonium cogitaveras. Adulteros tu dices jacentes in geniali toro? duri mehercule viderentur, ſi cito obliviſci conjugii potuiſſent. Occiſus eſt juvenis, dum rem facit boni mariti. Non erubeſcam, judices, poſt graviſſimum dolorem, deſcendere in hanc quoque cauſæ partem, ut objiciam quod uxorem occideris bene meritam, quam ſic amaſti. Sic de innocentia miſerorum ago, tanquam hic de capite quæratur, non ſufficit dolori meo quod mihi filium abſtuliſti, qui tibi adſedi, qui ad languentem cum gladio ſollicitus intravi. Ego eoſdem cibos,

1 *Vides enim liberorum cauſam.*] Forte; *Vides enim miſerorum cauſam.* Ut mox, *de innocentia miſerorum.* Idem.

bos, eadem mensa qua tu, capere non possum, nec illam manum videre, quæ fumare mihi adhuc filii mei sanguine videtur. Semper mihi armatus videris, nunquam solus occurris. It ante oculos laceratus filius: hunc juxta nurus optima, nurus obsequentissima, clamare videntur, Tu nos occidisti, tu qui nos injuria prius distraxisti. Quid necesse erat solvere matrimonium? obreptum est credulitati tuæ, non amabat, qui potuit occidere.

## CCXCII.

## *Laqueus Olynthii specioſi.*

Victis Olynthiis cum ab Athenienſibus publice dividerentur hoſpitia, ſpecioſo puero quidam obtulit hoſpitium, ille ſe poſtero die ſuſpendit, accuſatus hoſpes quod cauſa mortis fuerit.

### SERMO.

*Duplex quæſtio eſt, juris, & facti:* [1] *nam etiamſi vis illata eſt, quæritur, an cauſa mortis ſit, ſequens potior, an propter vim perierit. Circa jus illud eſt, ut finitione tractetur. Is enim cauſa mortis argui debet, qui mortem intulit. Cum vero quis ſua manu perierit, non debet hoc reus tantum feciſſe, ut quis mori velit, ſed ut neceſſe habeat.*

### DECLAMATIO.

VIM dicor attuliſſe: quis queritur? quæ proclamatio? impunitum reliquit eum propter quem moriebatur. Si erubuit indicare, multis tamen aliis generibus queri potuit. Propter hoſpitem morior: nec credibile eſt eum peperciſſe hoſpiti, qui ſibi non pepercit. Sed ſuſpicionibus

1 *Nam etiamſi vis illata eſt.*] Idem lib. 4. cap. 2. In cauſis in quibus non de culpa quæritur, ſed de actione, etiam ſi erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit, pecuniam de templo ſuſtulit, ſed privatam: non ideo ſacrilegus eſt. Virginem rapuit, non tamen optio patri dabitur. Ingenuum ſtupravit, & ſtupratus ſe ſuſpendit, non tamen ideo ſtuprator capite, ut mortis cauſa punietur: ſed decem millia, quæ pœna ſtupratori conſtituta eſt, dabit. Olynthiis à Philippo victis Athenienſes civitatem decreverunt, & hoſpitia publice aſſignarunt. Hic quia privatim & ſoli puero obtulit, ſtupri cauſa feciſſe accuſatur. Ex hoc themate illius quoque declamationis & controverſiæ ſumpta occaſio apud Senecam lib. 3. declam. 8. & lib. 6. contr. 34. *Ærodius.*

bus agitur: formoso (inquit) hospitium pollicitus es, viderint isti qui prodigis omnes oculis intuentur: mihi tempore illo nullus Olynthius formosus visus est, scilicet enim solicitabat lacrymis, squallore. Male sentitis de puero, si adversa fortiter tulit. Cur tamen obtulisti? Atheniensis sum. Assignentur fortasse invitis civibus, qui cum liberis, qui cum conjugibus veniunt, qui secum habent comitatum: miserabilior est puer solus, ac cur eadem nocte suspendit? utrum hoc re admirabile videtur, an persona, an tempore? miratur aliquis Olynthium potuisse hoc Athenis? Illud enim est tempus doloris. Sæpe ad retinendam vitam prosunt ipsa pericula: redit metus posteaquam desivit instare hostis: tunc cogitatio fortunæ, tunc vacat dicere, est jam qui sepeliat. Ipsa mehercule officia admonere illum potuerunt fortunæ prioris: patuit quidem domus; sed non sua: excepere servuli, sed alieni: forsitan & illa cogitaverit: Semper ergo alieno munere vivendum est, interim sive illud [1] Olynthii factum fuit, sive impatientia ipsius, nullius major injuria est, quam mea, perdidi beneficium, & adhuc suspectus sum: habiturum me putabam, qui veniret in locum liberorum.

## CCXCIII.

### *Tyrannus victæ civitatis.*

[2] Viro forti præmium. Quidam fortiter fecit: petit præmio tyrannidem victæ civitatis.

#### Declamatio.

Omnia danda esse viris fortibus dico: nec immerito danda, utique ex victis. Non ærarium inquieto, non sacer-

1 *Olynthii factum.*] Legendum videtur, *fatum*. Pith.

2 Et usitata in schola hæc quæstio fuit. vide Quintil. lib. 5. cap. de argumentis, ubi de eo loquitur quod Græci κατὰ ὑπόθεσιν appellant. & lib. 7. cap. 2. Seneca lib. 3. controv. 12. Latro eleganter dicebat, quasdam esse quæstiones, quæ deberent inter res judicatas referri, tanquam an quicquid optaverit vir fortis, aut tyrannicida accipere debeat, quasi jam pronuntiatum esset, non debere. *Ærodius.*

sacerdotium rapio: peto ut sint hostes in mea potestate. Ac primum omnium interrogo, quis est iste qui prohibet: juste peterem etiam eversionem hostium. Ac tum, nescio quis iste non stetit in acie, illi si vicissent, tyrannide se vindicarent. Sic agere volo tanquam futurus crudelis: meruerunt, vindicari potestis sine invidia, de me querantur, cui aliquid jam irascuntur tyrannidem imponere volo. Asperiora narrabo, plurimos ex illa civitate manu hac occidi. Sed nunquid vobis videor avarus, libidinosus? aliter crevi, eadem ergo ratione hoc peto, qua fortiter feci, sic præsidia imponemus: tamdiu tyrannus ero, quamdiu poterunt rebellare.

## CCXCIV.

## *Dives proditionis reus.*

[1] VIRO FORTI PRÆMIUM. Dives, proditionis accusatus, fortiter fecit, petit præmii nomine accusatoris mortem, ille non recusat, sed postulat, ut ante peragatur judicium.

### SERMO.

*Accusator sic agere debet, ut manifestum sit illum tantum reipub. causa postulare: non quia non sit illud verum, ut si damnaverit, vivat: sed quia difficilius impetraturus est si intellectus fuerit nullo jure adjuvari posse.*

### DECLAMATIO.

SI te proditorem postea dixissem, quam tu mortem meam optasses, viderer tamen & rem utilem postulare, & non contra legem tuam desiderare. Quid enim optasti? mortem accusatoris, de qua lis non est. Nihil est, quod ad præmium confugias: nihil est, quod utaris legis tuæ potestate. Non recuso, quo minus accipias, quicquid optasti, nihil petiisti præter mortem: si exigis, ut accusator statim occidatur, alterum præmium petis. At hæc voluntas

[1] VIRI FORTIS PRAEMIUM.] Sic Thaddæus. Ærodius forte rectius: *Viro forti præmium.* Nam Pithœi, *Vir fortis dives, p. a. fortiter fecit*, cui potest placere? *Gronovius.*

tas fuit tuæ petitionis. Nihil interest, si illam, qui dabant præmium, ignoraverunt: & ideo tibi nemo contradixit, quod videbatur purgasse contumeliam tuam: nihil tibi lex profuisset, si abolitionem petiisses. Nunc duo vindicas præmia: ut nec causam dicas, & hominem occidas. Ergo non utique comprehensum in præmio est, statim occidere: & quotiens nullum præfinitum est tempus, incipit esse in potestate dantis. Si abolitionem petis, alterum præmium est. Et cujus tandem judicii petis abolitionem? non privata disceptatio venit in quæstionem, non pecuniæ lis: quanquam tunc quoque leges commendarem, & morem judiciorum. Ne agaris reus, postulas: ad summam remp. pertinet, dico proditum populum, dico tempus constitutum, quantulum est ut neges? Si maxime festinas, apud hos ipsos agi jam potuit: ac eadem hac mora qua rejicimus, potuit pronuntiari. Nihil est quod timeas, si innocens es. Accessit tibi magna pars patrocinii: fortiter feci: super illam potentiam divitiarum, venit nova gratia: nec potuisti magis experiri, quantam tibi gratiam fecerit ista militia: mortem accusatoris accipere potuisti. Quid est istud, quod non putas eadem gratia impetrari posse tuam salutem?

## Sermo.

*In summum aperte pene irate dicit hic accusator: nam subinde interponit.*

## Declamatio.

Si vultis, si vestra interest, quid ad me qui periturus sum? Vos, suadeo, caveatis: & suadeo permittatis: dum volo: merueratis enim, ne vellem. Caputne meum tam cito donastis? tam facile innocens occisus est in ea civitate, in qua sibi putat aliquis, tam facile posse contingere, ne reus fiat? Quid est ergo? nondum omnes exuimus affectus: faciam vobis hanc invidiam, ut sciatis à vobis occidi bonum

num civem. Neque enim quisquam expectet, ut hoc judicio dicam quomodo prodiderit, quo precio, quo tempore, quo loco. Si vultis hæc audire, date diem: sine hoc quidem impetro, non meruistis Et hoc me mea causa non facere cui non possit esse manifestum? expediebat alioqui mihi vivere, expediebat suspenso ac sollicito transigere hæc tempora. Fortius est quod differo mortem, quam quod mori non recuso.

## CCXCV.

## *Demens ex vinculis fortis.*

[1] Dementiæ damnatus à filio, & alligatus, ruptis vinculis fortiter fecit. Præmio petit restitutionem: quam cum filio contradicente accepisset, abdicat filium.

### SERMO.

*Filius optabit, ut pater sanus sit: dicet id genus furoris fuisse, ut intermissionem haberet.*

### DECLAMATIO.

Cœperam gratulari: ecce, iterum sollicitor: jam irascitur pater. Quod ad me pertinet, non alia ratione contra-

1 Frequens hoc, aut aliud tale est argumentum, apud declamatores, ut videre est ex hoc nostro Quintiliano hic, & in Instit. passim, sed præcipue lib. 7. cap. 5. & ex Seneca libris tum declamationum, tum controversiarum, atque ex iis etiam declamationibus, quæ sub nomine Quintiliani circunferuntur. Filio vero certum est, nullam actionem fuisse adversus patrem, nisi dementiæ. Declam. 346. infra. Quod item in filiis emancipatis observabatur: quia non tam jure potestatis vetuit Prætor, parentem in jus vocari absque permissu suo, quam ob reverentiam debitam jure & natura. Ait enim Quintil. lib. 11. c. 1. cum de decoro tractat: Quod de matre dixi (inquit) de utroque parente accipiendum est. Nam inter patres etiam filiosque, cum interveniisset emancipatio, litigatum scio. quasi raro id admitti soleret. A Græcis petita est hæc actio quæ Platoni lib. 11. de leg. ὀκ τ῀ ὠφροσύνας appellatur. cujus verba, quia omnem hanc formulam explicant, operæ pretium erit huc transferre. ἐὰν δέ τις λυσᾷ νόσος, ἢ γῆρας, ἢ τις τραύματος χαλεπότης, ἢ τις ξύμπαντα πεῦτε ἐκφέρνα ἀπεργάζηται ἀμφεφόντως τ῀ πολλῶν, τις λανθάνη τοὺς ἄλλους πολλοὺ τ῀ σωφρονεστέρων, οἰκοφθορῇ ἂν ὡς ὢν τ῀ αὐτ῀ κύριος. ὁ δ᾽ υἱὸς ἀπορῇ τις ὀκνῇ τὴν τ῀ ὠφροσύνας γραφὴν δικῶν, νόμος αὐτῷ κείσθω. πρῶτον μὲν τοὺς τε πρεσβυτέρους τ῀ νομοφυλάκων ἐλθόντα, διηγήσασθαι τοῖς τε παισὶν ξύμφορον. οἱ δὲ καλοῦντες ἱκανῶς ξυμβαλόντων ἐάν τε

contradico, quam ne pater domi sine custode sit. Non aliter itaque hanc causam agam, quam proxime egi, etiam si in illa nocuit antea ratio. Diu ego tuli valetudinem patris, donec tam manifesta esset, ut damnarem etiam invitus. Tradita est curatio mihi: quam diligenter hoc egerim, æstimate: videtur hoc esse sanatus. Nec illud argumentum sanitatis est, quod rupit vincula: sæpe faciebat hoc ipsum. Quod in hostes impetum fecit, quod præmium petit, ago gratias fortunæ: visus est sanus. Quid objicis? Egisti (inquit) mecum dementiæ. Si non tenuissem, tamen licuerat: datum est hoc jus contra patrem. Legum lator prospexit senectuti: ideo medicinam filius imperavit: cum vero sanaverim, poteram videri impius, nisi detulissem. Non est indulgentia permittere sibi furorem. Sed alligavi: hoc si iniquum esset, non liceret. Deinde objicies, quod non custodivi. Testor Deos, non recessi à custodia, donec me bellum avocavit. At contradixi præmio tuo. Hoc simile est ei, quod defendis: & non dicam. Recentia tua fecerunt merita, ut obtineres: an debuerim, apparebit. Non desinam optare, [1]ut hanc causę meæ partem malam faciam. Ducet ista animi tui quies: scias quibus irascaris, scias quos ames.

## CCXCVI.

ἐὰν τε δεῖ γραφεῖς ἢ ἐὰν μὴ, τῷ γραφῷ. ἐὰν δὲ ξυμβαλοῦσι, γιγνέσθωσαν τῷ γραφομένῳ μάρτυρες ἅμα ἢ ξυνοίδηται. ὁ δὲ ὄφλων, ἢ λοιπὸς χρόνος ἄκυρος ἔστω τὰ αὐτὰ καὶ τὸ σμικρόν. καθάπερ παῖς δὲ οἰκείτω τὸν ἐπίλοιπον βίον. At quæ in foro, petendi curatoris patri furioso vel prodigo: hæc in schola, dementiæ ratio est. Quæ dementiæ judicia (ut Fabius ait Quint.) aut propter id quod factum est, aut propter id quod adhuc fieri, vel non fieri potest, instituuntur: & actor in eo quod factum est, liberum habet impetum, sic tamen ut factum accuset, ipsius patris tanquam valetudine lapsi misereatur, & noviſſime dementiam rationi queratur obstare, non mores, quos quanto magis in præteritum laudarit, tanto facilius, probabit morbo esse mutatos. Eo colore, querela inofficiosi testamenti movebatur: unde & hæ formulæ, materiæ officiorum dicebantur. Maximum enim officium est, ut patri mente capto & prodigo, filius curatorem petat, quod Sophocli accidit: ut etiam jure, cura patris ipsi filio concedatur, & id Divus Pius rescripsit. *Erod.*

1 *Ut hanc causæ meæ partem malam faciam.*] Immo *facias*. Pium est votum. Ut magis indies ostendas te dementem non esse. *Gronovius.*

# CCXCVI.

## *Exul tace.*

EXULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. Imprudentis cædis damnatus ex lege [1] in exilium quinquennium missus est. Intra fines a fratre ad cœnam vocatus, cum parasito fratris litem, fratre jam dormiente, conseruit: & à parasito clamante, Exul tace, ex lege interfectus est: quo comperto parasitum abjecit adolescens: à patre abdicatur.

### DECLAMATIO.

OBjicimus adolescenti ante omnia, [2] quod parasitum habuerit. Abdicationi hoc satis erat, ut si quid pater nollet, nunquam emendet. Quare nihil est quod dicas mihi, Nunquam istud objecisti. Quid enim hoc colligis aliud, quam ut te abdicet indulgens pater? quid enim est parasitus, nisi comes vitiorum? turpissimi cujusque facti laudator? Unum tamen videbatur esse solatium, quod ejusmodi vita, ad homicidium usque non perveniret. Objicio tibi, quod fratrem intra fines invitasti: fuerit quantalibet causa convivii, melius ea certe ipse ad fratrem isses. Manet hoc ipsum inter causas abdicationis: objici tibi potest, quod tam impius es: quod fratrem post illam miseram fortunam non videris, nisi ad te descendentem. Nam

1 *In exilium quinquennium missus est.*] Sic veteres loquebantur, *Usus auctoritas fundi biennium esto*, ut non sit meo judicio, cur nonnulli hoc genus dicendi, tam insolens atque etiam ineptum existiment. Nam certum est pleraque hujusmodi scripta fuisse in 12. tabulis, quæ jam Ciceronis temporibus non capiebantur: atque item alia, quæ in aliam dicendi rationem abierant, quibus tamen tum utimur, quasi legum vocibus utentes majestatis & vetustatis cujusdam gratia, cum in legum mentionem incidimus. Magis igitur hoc priscum, quam ineptum dici oportuit. quanquam nec congruitatis ratione caret: regit enim auctoritas duos gignendi casus, quorum alter ab altero regitur. Boëtius, Ita nanque ait, ut quoniam usus auctoritas fundi biennium est: sit etiam ædium. Hic ædium usus auctoritatem dixit eo modo, quo fundi usus auctoritatem. Quin etiam existimo, veteres conjuncto verbo pronuntiasse, *usus auctoritas*: sicut usucapio, pignoris capio, capitisminutio hujus exilii meminit Ulpian. l. 4. ff. de sicariis. *Ærod.*

2 *Quod parasitum habuerit.*] Plutarch. περὶ παιδῶν ἀγωγῆς. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν κόλακας καὶ παράσιτους ἀναλαμβάνουσιν ἀνθρώπους ἀσήμους καὶ καταφεύτας, καὶ τὴν νεότητα ἀπολαύσεως καὶ λυμεῶνας. *Ærod.*

Nam illi ignoſci poteſt, vel [1] cum periculo venienti: nihil tibi vero quis ignoſcat, qui cum ſine periculo ad illum ire poſſes, in id diſcrimen adduxeris fratrem tuum, ut eum etiam paraſitus poſſet occidere. Objicio tibi, quod adhibueris cœnæ tertium. Si hoc factum pietatis eſt, opus eſt ſecreto: objicio quod paraſitum potiſſimum adhibueris: hoc enim vacabat miſero, hoc exuli: [2] cœnabat cum paraſito. Cætera jam intelligo non pertinere ad abdicationem: altiora ſunt crimina & ſuis legibus digna, non tamen debent ideo lucri fieri, quod in patrem inciderunt. Objiciunt tibi occidendi fratris conſilium. Si accuſator eſſem, ſi te in culleum peterem, illa dixiſſem: Perſona crimini idonea eſt: habes paraſitum, & cauſa occidendi manifeſta eſt, cohæres es fratris, occaſio adjuvit conſilium, intra fines occidi poteſt. miniſter non defuit, paraſitus in tua poteſtate eſt. Cætera vero cui non etiam manifeſta ſint? paraſitus ſine tua voluntate convitiari fratri tuo auderet? homo in adulationem natus, homo cujus famem tantum tu propitius differebas, non feciſſet utique quo te putaret offendi. Dormis: hoc tibi in præſentia credatur? Non putabat tibi poſſe nuntiari? & tamen incredibile eſt te dormiſſe hoc tempore, hoc loco convivium erat, & quale convivium? frater invitatus, ita ille convitiari auſus fuiſſet, ſi te amantem fratris vidiſſet? Credo paraſitum etiam inſultaſſe fortunæ filii mei. Tace, dixit, exul paraſitus: homo, puto, qui contumeliam non ferebat, Tace, exul. Parum enim eum graviter torquebat [3] ſola fortuna, parum enim graviter iraſcebatur errori, niſi etiam paraſitus objeciſſet: non feciſſet hoc ergo te invito. Puta tamen cadere hanc

1 *Cum periculo venienti: nihil tibi vero quis ignoſcit.*] Sic Pithœus. Thaddæus, *mihi tibi vero.* Ærodius, *nunc tibi vero.* Quin tu omnes illas nugas exſtirpa, & mecum lege: *Nam illi ignoſci poteſt vel cum periculo venienti: tibi vero quis ignoſcat, &c.* cum interrogationis nota. *Gronovius.*

2 *Cœnabat cum paraſito.*] Scribe: *Hoc enim vacabat miſero, hoc exſuli, cœnare cum paraſito.* Vel, *ut cœnaret cum paraſito,* ut & Ærodius. *Gronovius.*

3 *Sola fortuna.*] Quia imprudens fecerat homicidium, ἡ μὴ ἐκ προνοίας. quod etiam poſtea, errorem appellat. *Ærodius.*

re hanc in animum parasiti indignationem: illud certe in casum non cadit, quod gladius in triclinio fuerit. Multa quæ singula accidere possunt, [1] universa extra causam sunt, ut conviciari incipiat, cujus occidendi jus habuerit, adjice his, ut tu dormias, cum fratrem invitaveris: Ut visurus fratrem post longum tempus, nihil sit locutus, præsertim nondum exacta nocte, cum adhuc vigilaret ille miser exul, & fortasse occidere somnus hic potuerit, inter plures tres estis, & omnis sermo in angusto est. Incredibilius hoc faciet ortum inter fratrem tuum parasitumque jurgium: ad latus tuum jacet ille qui clamat, Exul tace. Quomodo fieri potest, ut ne ipsius quidem cædis tumultu excitatus sis? fieri non potest ut gladium pater tuus non viderit? non te excitaverit cum periclitaretur? His omnibus manifestum est, [2] hoc tantum quæsitum patrocinium esse, quod parasitum in præsentia dimisisti. Glorieris enim licet, quod non tecum interfectorem fratris habeas, itane hoc tandem satis fuit dimittere impunitum, dimittere inviolatum? Magni affectus jura non spectant. Sed ne dimisisti quidem bona fide. Nam & sustineri absens potest: nec dubito quin exspectetur mors mea. Ut ergo non solum justæ, sed etiam miserabiles causæ abdicationis sint, filium perdidi eo tempore, quo miser erat: non licuit saltem in patria, non in domo sua, extremum illi spiritum effundere: sed quod est contumeliosissimum, manibus parasiti, & impune occisus est, quem indignum erat impune saltem male audisse.

## CCXCVII.

1 *Universa extra causam sunt.*] Thaddæus, *universa extracta subsunt.* Unde acute, quod ad sententiam, doctissimus Ærodius: *universa si exstent, suspecta sunt.* Sed levi conjectura juvanda Pitheani codicis lectio: *Multa, quæ singula accidere possunt, universa extra casum sunt.* id est, ut universa congruant & concurrant in idem tempus, non casus, sed consilii videtur. *Gronovius.*

2 *Hoc tantum quæsitum patrocinium esse.*] Lege: *patrocinio. Quæsitum* est comparatum, de industria factum. Vide ad superiorum declamationum duodecimam. *Idem.*

## CCXCVII.

### *Meretrix ab amatore forti cæcata.*

Qui excæcaverit aliquem, aut talionem præbeat, aut excæcati dux sit. Meretricis amator fortiter fecit: occurrentem sibi meretricem excæcavit: petit illa ut eodem duce utatur. Recusat ille, & offert talionem.

### Declamatio.

Si quis, judices, lege adversus eos, qui excæcaverunt, sita composita, ut aut talionem patiantur, aut aliquatenus solatium injuriæ præstent, litem esse audiat, altera parte similem fortunam exigente, altera mitiorem partem legis amplectente, profecto existimet hanc mulierem id postulare, ut excæcetur is, qui sibi oculos eruit: illum autem virum fortem fiducia meritorum erga rempublicam sperare, posse fieri, ut contra voluntatem quoque ejus, quæ vindicatur, oculos defendat. Nam & hic dolor, gravissima passæ conveniset: & illud naturale est, ut bona oculorum intelligant etiam, qui eruerunt. Id omne diversum est: hæc quæ excætata est, cui erepta lux est, cui omnis vita in tormentis agenda est, miseretur quondam amatoris sui: ille qui excæcavit, vult istam nimium vindicari: idque si faceret pœnitentia, utcunque consolandus nobis esset: nam & poteramus suspicari, hanc istius postulationis esse rationem, cum excæcaverit meretricem, quam amavit, nunc oculos offerat, [1]causam ambitus fieri. Negat fas esse, ut vir fortis manum meretrici præstet, ut iter demonstret. Apparet illam esse cæcatam: atque id tamen prætenditur modo, Judices: cæterum causa postulationis istius manifesta est. Videt miseram fœminam durare in hoc non posse, ut excæcet: neque id agit, ut graviorem patia-

1 *Causam ambitus fieri.*] Lege: *hanc istius postulationis esse rationem, quod, cum excæcaverit meretricem, quam amabat meos offerat oculos, causa amoris fieri.* Ærodius quoque viderat τὸ *quod* interponendum. *Gronovius.*

patiatur pœnam, sed ut neutram: [1] oculos haberet quos hæc eruere noluit: ducis opera fungatur, [2] quod jam recusat. Nos tamen necesse habemus his respondere, quæ proponuntur, & [3] adversus aliquem sic agere, tanquam excæcari noluerit: illa etiam quæ ab ipso jactata sunt, nos quoque referemus, fuisse istum virum fortem, pugnasse pro republica, plurimum nobis profuisse manus ejus atque oculos. His enim omnibus profecto hoc efficitur, ut illum excæcari non necesse sit: [4] neque ei nocuit illa honestissima militia: propugnator fuit civitatis, quoniam partem aliquam voluptatis in hanc impenderat: sed fecit illum arrogantiorem ipsa virtus. Neque tamen nobis adhuc persuaderi potest, ut vir fortis, qui amaverit aperte, qui non erat læsus illa meretricis injuria, oculos volens erueret: [5] fortunam illud putamus feciisse, ut si lex permitteret neutram ultionem, forsitan totum jus remitteremus? Nunc oculos ejus servamus qua possumus. Lex ita scripta est, UT IS QUI excæcaverit, aut talionem patiatur, aut ducis opera fungatur. Inter has duas res, quæstio est. Antequam comparo, illud interrogare volo, cujus causa scriptam legem esse putas? Dubitari non potest quin scripta sit ei, quæ vindicanda est: nec illud quidem in dubium veniet, ultionem quidem harum duarum (ut ita appellem) pœnarum esse in potestate exigentis. Quid enim aliud cogitasse legumlatorem putamus? Illum utique, qui excæcasset, credidit esse puniendum, adeo ut ne illi quidem ipsi,

1 *Oculos haberet, quos hæc.*] Ærodius *habere*, & *opera ne fungatur*. Malim: *sed ut neutram; oculos habeat, quos hæc eruere noluit, nec ducis opera fungatur, quod jam recusat*. Post τὸ *neutram* intelliges, quasi additum esset: *id est, ut*. Idem.

2 *Quod jam.*] Vet. cod. *quum*. Pith.

3 *Adversus aliquem sic agere, tanquam excæcari noluerit.*] Legendum: *adversus callidum sic agere, tanquam excæcari voluerit*. tanquam hoc sentiat. & serio agat, quod simulat. *Gronovius*.

4 *Neque ei nocuit illa honestissima militia.*] Ærodius refert aliorum, *illi honestissimæ militiæ*. Sensus flagitat: *His enim omnibus profecto hoc efficitur, ut illum excæcari non necesse sit; non, ut huic noceat illius honestissima militia. Huic*, meretrici: cui nocebit; si propter eam impune habebit excæcasse. *Idem*.

5 *Fortunam illud putamus feciisse.*] Forsan, *Fortuna elatum putamus feciisse*. Idem.

ipsi, qui vindicabatur, permiserit totam legem remittere. Illa igitur fuit cogitatio. Meruit quidem, qui eruit oculos, ut & ipse perdat: si tamen habuerit misericordem, si inciderit in eum, [1] qui aliquatenus reddere iræ suæ rationem posset, gratiam referat. Hæc postea. Eligi ergo ab ea pœna debet, quæ gravissimam injuriam passa est. Puta istud esse asperius, quod recusas: fortasse propter hoc ipsum pati debeas. oculos eruisti mulierculæ sine dubio, & adjice si vis meretrici: tamen quos eruere non licebat, non es dignus qui patiaris quod vis. Hæc dicerem si tecum asperius contenderem. Nunc ante omnia reipublicæ causam tecum ago. Æquum est salvos esse hos oculos & incolumes, multa afferunt casus, frequens bellum est. Detegemus tibi etiam hujus misericordiæ affectus, quo magis te rem tam gravem feciisse pœniteat. Hæc excæcare te non potuit: meminit temporum superiorum, meminit illarum quas aliquando communes habuit, voluptatum: meminit amoris tui. Digna est, cui manum commodes: nam id quoque lex justissime constituit, præstet oculos, qui eruerit. & in vicem erutorum luminum ipse succedat. At enim forti viro turpe est hoc officium subire. Scilicet illa honestiora, debilitatem pati, & [2] ferre infestos numinibus oculos. Non erit talis ista debilitas, qualis esset, si illam in acie passus esses. Tu, qui recusas dux esse meretricis, non cogitas futurum, ut tibi oculi propter meretricem eruantur? Verum meretur hic ipse pudor tuus, propter quem parcamus oculis tuis.

CCXCVIII.

1 *Qui aliquatenus reddere iræ suæ rationem.*] Hoc ad misericordiam non sufficit. nam hoc casu & immisericors iræ suæ rationem reddere potest. Lege potius: *qui aliquatenus temperare iræ suæ ratione posset.* Vel *coërcere iram suam ratione.* Idem.

2 *Ferre infestos numinibus oculos.*] Lege, *ominibus.* quibus qui occurrat malam scævam sibi objectam putet. Sic superiorum primæ *ominosam calamitatem corporis* restituimus. *Idem.*

## CCXCVIII.

## *Rusticus parasitus.*

1 Rusticus parasitum filium abdicat. C. D.

### DECLAMATIO.

NOn ignoro, judices, quanquam non à forensi contentione solum, sed ab universa civitatis conversatione, longe remotus, hoc præcipue fieri miserabiles eos, qui paternæ animadversionis notam deprecantur, quod periclitari de præterita dignitate videantur, de qua certe solicitum esse filium meum incredibile est. Quantulum est enim quod abdicatus erit, qui jam parasitus est? Quem ego judices, tam obstinate non præceptis solum meis, sed etiam precibus resistentem, utinam possim dicere contumacem: nunc hanc licentiam concepit animo servitutis. Multum enim illi (ut res est) fiduciæ facit gratia adolescentis locupletis & prodigi, qui non aliter, quam si de proprio mancipio ageretur, in hoc vires suas ostendit. Infelix & ille: tam turpem enim filium habeo, ut etiam ipsi objiciatur. Nec me præterit, unde hæc frequentia? concurrerunt ad spectandos duos rusticos, [2] & hi forsitan hæc ipso indicante. Merito si iste ridetur, cujus nomen equidem nec intelligo, [3] nec interpretari possum, quod vocatur, unum nescio quid esse turpius, quam luxuriam puto. Qua magis autem hac ejus vita erubescam, [4] fecit memoria nostri. Mihi rus paternum erga labores gratissimum, non frugalitate tantum suffecturum, sed & delectatione, si cole-

1 Nulla alia, ut videre est, mendosior & magis depravata fuit declamatio. in cujus emendatione, ut alias plerunque si audacius aliquanto ab ipsis verborum notis quæ apparent videbor recedere: subeat identidem hæc cogitatio, nos nullo prorsus vetere exemplari adjutos, sed sola ingenii nostri (quod sentio quam sit exiguum) conjectura & divinatione. *Ærodius.*

2 *Et hi forsitan hæc ipso indicante.*] Scribe, *hoc ipso.* Gronov.

3 *Nec interpretari possum, quod vocatur.*] Adjicit Ærodius *parasitus.* Nimirum non percepit genus loquendi, de quo diximus ad Senecæ Epist. 93. *Idem.*

4 *Fecit memoria nostri.*] Ærodius *memoriam.* Lege: *Quo magis autem hac ejus vita erubescam, fecit memoria nostræ.* Nempe vitæ. *Idem.*

si coleretur à dominis duobus. Hoc cum diu eveniſſet, ne hæc quidem ducendæ uxoris, & educandorum liberorum onera recuſavi, ut relictum à parentibus meis relinquerem filio meo: de quo ipſe non queſtus ſum: nam videbatur laborioſus: miſi in civitatem, delicatior venit, & redire properavit. Et primo quidem deformavit tantum diligentior cultus: dehinc procedente tempore, ſæpe flagrantem mero vidi, redolentem unguenta, [1] etiam plura perditæ vitæ ſigna. Cum interrogarem, reſpondebat, eſſe locupletem amicum. [2] Deſpiciebam etiam amicitiam, dicebamque: quam diu iſte locuples erit? donec res redit, ut etiam de ſalute ejus timerem. [3] Ad domum divitis veni (non enim nomen inter non agnoſcentes requiſivi) paraſitus inventus eſt. [4] Et placet ruſtico patri? erubui, nondum te inveniſſem. Ad comparationem voco utriuſque vitæ: in præſentia hoc uno contentus ſum, ſuſcipere laboris tui partem, [5] ſatis in te laboravimus, jam deficit ætas, jam quietem poſcit ſenectus: & ego delicatus ſum. Abdicant me licet boni mores, tamen clamo. Ego te mihi genui: non ergo cogitabis quid mihi debeas? illæ terræ gratiam referunt: [6] nec quicquam inveniri poteſt in rerum natura, in quo labor pereat. De abdicatione tu quereris? prior patrem reliquiſti. Quando enim videre te mihi licet: quantum abſum ab orbitate? Impono, judices, affectibus meis, qui nihil adhuc inter querelas habeo, niſi deſiderium. Jam iraſci neceſſe eſt: nondum tamen ad ultimam tui contumeliam venio.

1 *Etiam plura perditæ vitæ ſigna.*] Divide vocem: *redolentem unguenta, & jam plura perditæ vitæ ſigna.* Idem.

2 *Deſpiciebam etiam amicitiam.*] Scripſit: *Deſpiciebam eam amicitiam.* nempe locupletis, quam meruerat filius. *Idem*

3 *Ad domum divitis veni.*] Cicero ſcripſiſſet: *Domum ad divitem veni.* Idem.

4 *Et placet ruſtico patri? erubui, nondum.*] Forte: *Et placeat ruſtico patri? Erubui. mallem, nondum inveniſſem. Te ad comparationem.* Ærodius, *utinam nondum te.* Idem.

5 *Satis in te laboravimus.*] Ærodius: *ſatis in juventute laboravimus.* Lego: *ſatis in rem laboravimus.* id eſt, rei familiaris cauſa. Vide ad Senecam de tranquil. an. cap. 1. *Idem.*

6 *Nec quicquam inveniri poteſt.*] Ἀνύσιμον προῖξιμον τελεσιουργὸν ἐπιμέλειαν οὐ πόνος ἐστιν, inquit Plutarchus. *Ærodius.*

venio. Objicio tibi luxuriam. Si hoc tantum diceremus: vivis inter meretrices & lenones, dignus es abdicatione; etiam, si parasitum habes. inter aliena servitia numeraris, & tibi luxuria objicitur, etiam non tua. Omitto interim ex quo genere vitæ in istud transieris, sub quo institutus patre. Dissimulata & remota persona mea, parasitum abdico: num me irasci putas? misereor ubi hæserunt tibi vitia civitatis. Videtur habere hoc primum odium rusticitas. Si bona paterna consumpsisses, jure abdicareris. Libertatem & ingenuum pudorem consumpsisti. Qui melior ille, cui servis? pudet dicere, quo precio hæreditatem emancipaveris. Gulæ servis, &, sicut muta animalia, objectis cibis in istam cecidisti servitutem. Juvat autem cibus post opus. Multa quidem video diversa genera vitæ, nec probabilia omnia: cæterum tamen hoc novum est & inauditum, contumelias in quæstu habere, & injuria pasci. Juvat illa te residua potio, & ex locupletis cœna, nescio quid intactum. [1] Cadentis manus osculatis, & ferrum portas, fame periturus, si ille nihil malefecerit. Alios enim fortasse parasitos ars aliqua commendet: tu quid potes, miser, nisi vapulare? Habent hoc quoque deliciæ [2] divitum: malunt quærere omnia contra naturam. Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorti corporis placet: alter emitur, quia coloris alieni est. Hæc (ut res est) accessit nova elegantia inter perversas delicias, habere rusticum. Ridiculum hoc, quod durus, quod inhabilis, quod filius meus. Qualia Dii deæque damna! Intelligo cum quo mihi filio res est: non commendabo illi laborem honestum, & bonam quotidie conscientiam, & operam, etiam civitatibus servientem. Agam causam per vices anni, non numerabo

1 *Cadentis manus osculatis.*] Idem περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, de parasitis loquens, ὥσπερ ὃ τοὺς πλουσίων ζῶντες, τῇ τύχῃ μὲν ἐλεύθεροι, τῇ προαιρέσει δὲ, δοῦλοι. ὅταν δὲ μὴ ὑθελίζον), ὅτε ὑθελίζειν δοκοῦσιν, ὅτι μὴ μόνον περιφρέφον) *Idem.*

2 *Divitum malunt quærere.*] Vet. cod. *divitum malum.* Pith.

merabo fructus: luxurioſum filium ad delicias voco paratas. Ingentis pecuniæ concupiſcis feras? Demus. ipſe venare. Avibus onerari fercula gaudes? fructus noſtros, niſi ſuccurris, infeſtant. Quicquid illic lautum eſt, nos miſimus: & fructus curvatis ramis ad manum paratos habemus. Compara ſi videbitur [1] veſtros nivibus meis fontes: compara incluſis intra parietes aquis perennes fluminum lapſus. Quæ tanta vobis nemora? Quid eſt iſtic admirabile, niſi ruris imitatio? Ad has te delicias pater voco. Ipſe durum deſidia ſolum ſulcis etiam, & aratro ſenex incumbam. Tu tantum impera. Non miſereris paterni avitique fundi, obſiti ſentibus? circa beati fructus. [2] Nos deſidia maleaudivimus, quam jam perdidimus annos. Tu vivis aliena liberalitate. [3] At ſi te ulla horum miſeratio tenet, ignoſcas mihi: ducimus quendam adverſus ipſas terras conſuetudine affectum: non vendes tu agellum meum: non paternos avitoſque cineres, & oſſa, alicui, precio cœnæ unius addices? Quatenus infeliciter filium ſuſtuli, quæram aliquem qui colat.

## CCXCVIIII.

## *Oſſa eruta parricidæ.*

PARRICIDÆ INSEPULTI ABJICIANTUR. SEPULCHRI VIOLATI SIT ACTIO. Decedens pater mandavit filiæ ultionem, dicens ſe duorum filiorum veneno perire. Puella reos poſtulavit, inter moras, unus ſe occidit, & ſepultus eſt in monumentis majorum. Alterum cum damnaſſet, & inſepultum projeciſſet, ejus quoque qui ſepultus fuerat, oſſa eruit, & abjecit. Accuſatur violati ſepulchri.

### SERMO.

*An utcunque ſepultum eruere non liceat: an ei non licuerit quæ potuit*

1 *Veſtros nivibus meis fontes.*] Ærodius *rivulis meis*. Lege: *compara, ſi videbitur, veſtris nivibus meos fontes*. Nam divitum ſunt nives adſervatæ ad potiones refrigerandas. Seneca 4. nat. quæſt. *Invenimus, quomodo ſtiparemus nivem, ut ea æſtatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur*. Et rurſum: *Quid illi, ſi vidiſſent reponendæ nivis officinas*. Tum, *non ſorbere ſolum nivem, ſed etiam eſſe, & fruſta ejus in ſcyphos ſuos dejicere inter ipſam bibendi moram*. Gronovius.

2 *Nos deſidia male audivimus quam jam.*] Thad. & Ær. *audimus quod jam*. Scribe: *Nos deſidia male audimus. Quot jam perdidimus annos?* Idem.

3 *At ſi te ulla horum.*] Immo *nulla*. Idem.

*potuit prohibere: an etiam non jure fuerit sepultus. Hinc speciales quæstiones, utrum lex damnatum tantum parricidii, an revera parricidam prohibeat sepeliri: an ille parricida fuerit.* [1] *In hoc probativæ duæ, altera παθητικὴ, altera πραγματικὴ, id est, affectus & juris quæstiones. An damnatus sit sua sententia, qui sibi manus attulit. An & de illo judicatum sit cum frater ejus convictus sit: an non possit quisquam mortuus damnari, etiam ut alias nemo possit, an is utique potuerit, qui in reatu periit.* [2] *Ultima peragitur qualitas, in qua totius controversiæ vires sunt: Quale hujus factum, utrum venia dignum, an damnatione sit, in qua tractatione παθητικῶς pro republica indignandum.*

## DECLAMATIO.

SEpulti ergo essent & æterna quiete conditi jacuissent parricidæ. Manes juxta patris latus, ut quod diis hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant: in cujus cruciatus, cum omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna quam scelus: cujus statim ora, oculosque à judicio lex jussit obduci, ne hunc jucundum cœli aspectum polluerent tetri oculi: cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulcrum negat? quem in pœna sua jubet vivere, huic tumulum & exequias persolvi fas fuit? Adeone omnia perierunt, ut ex duobus meliore loco habendus sit manifestior parricida? Tu vero puella tam

1 *In hoc probationes duæ.*] Quintilian. lib. 5. cap. 12. de usu argumentorum. His quidam probationes, inquit, adjiciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus. πραγματικὸν autem genus causæ lib. 3. cap. 6. ex Apollodoro diffinit, quod in rebus extra positis, consistit: περὶ ἐννοίας, quod in opinionibus nostris. Cicero libris de Oratore negotialem statum appellat, in quo quid juris ex civili more & æquitate sit, consideratur: cui diligentiæ, inquit, præesse apud nos Jurisconsulti existimantur. apud Græcos pragmatici dicuntur qui oratoribus ministri & adjutores dabantur. Hinc Quintilian. hic noster, facete lib. 12. cap. 3. eos ad arculas sedere ait, & tela agentibus subministrare. *Ærodius.*

2 *Ultima peragitur qualitas.*] Vet. cod. *ultimæ pelagi qualitas.* Pith. *Ultima peragitur qualitas.*] Thaddæus & Ærodius: *Ultima pelagi qualitas.* Pithœanus codex, *Ultimæ pelagi.* Scribe: *Ultima è specialibus qualitas.* Dixerat, *Hinc speciales quæstiones.* Gronovius.

tam honesti affectus, quicquid tacita pietate suggeris, vel his audientibus refer. Mihi crede, modo approbasti, nihil te de fratribus tuis solere mentiri. Dies, inquit, noctesque miseranda patris umbra circumvolat, qualis erat cum mandatum daret, modo minax atque effera, repente summissa, his me vocibus (ut sciatis) appellat, Tu quidem filia parricidam postulasti, eodem crimine, iisdem argumentis communibus utrique legibus judiciisque qui supererat, damnatus est. Nunc unus supersest dolor, quod parricida sepultus est: quod æterna quiete compositus sepulchro meo parricida patrem premit. Aude nunc aliquid puella fortius, & ab hoc utique me vindica, [1] quem ego occidi, expulsus sedibus meis contactum illius fugio. Quid agis infelix puella? ecquid agnoscis alterum patris mandatum? itaque ut primum accessi ad tumulum, sponte resoluta lapidum compage, impios cineres in editum terra suggessit: onerosa etiam inferis monstra, in lucem redundare visa sunt. Dii boni, post hæc quisquam queretur, cur ex duobus parricidis neuter jacet tanquam pater, uterque tanquam frater?

## CCC.

## *Adultera apud filium judicem rea.*

Apud communem filium judicem, ream adulterii fecit maritus uxorem: matrem absolvit adolescens. Pater eandem detulit in judicium publicum, & damnavit. Abdicat filium.

### Sermo.

*De anteactis temporibus non tantum est quod adolescenti nihil objicitur, sed etiam quod proxime judex placuit patri. Quorum ratio cum constet, poterat non improbi, vel non manifesti erroris peti venia: sed prius jure defendendus est.*

### Declamatio.

OBjicis sententiam: non dico, qualem. judex pronuntiavit. Dispiciendum tibi fortasse fuerit, ad quem venires:

1 *Quem ego occidi.*] Ideo dicit se filium occidisse, quod conscientia scelelris filius ipse sibi manus attulerit. *Erodius.*

venires: diligentius excutiendi mores. Nulla judici libertas est, nisi pronuntiare licet, utrum voluerit. Fortasse erraverim in dispiciendis causis, minus prudentiæ habuerim juvenis: ego nihil aliud debeo quam fidem. An tu ea conditione litigabas, ut pronuntiare pro te necesse esset? Hoc dicerem, si in quocunque judicio sententiam tulissem. Aliquanto fortius est, Cum judex à te sim electus, hanc[1] quam nunc eripis claritatem, in judicio dedisti. Quid tamen pronunciavi, & in qua causa ream absolvi? Non dico, quam ream, nec cujus criminis: hoc dico, Male audire plerunque judicum nimia severitas solet: nec unquam in convicium nisi asperæ sententiæ veniunt. Ideo absolutos publica illa acclamatio prosequitur: à damnato tristes recedunt, & victricis quoque partis silentium est. Absolvi. Si hoc invidiosum, si hoc criminosum est, quomodo me putem potuisse defendi, si damnassem? Absolvi matrem meam. Hoc non eo pertinet fortasse, ut debuerim crimen remittere: multa ignorantes patimur. Mihi mater innocens visa est: objiciebas adulterium. Nihil necesse est tractare de causa, præsertim cum nihil sit ablatum defensionis: mihi tamen omnia quæcunque in matrem meam dicebantur, incredibilia sunt visa. Respuebat illa, magis apud me agebat causam mater mea dicens, Scis quomodo te amaverim, quomodo educaverim, nihil objectum est in ætate prima, nulla fabula ante partum secuta est: ream facit anum, & juvenis matrem. Tu me judicem faciebas, illa testem. Accedebat his illud etiam, quod non existimabam tam asperam illam dissensionem, nec veram esse litem, quæ ad filium ducebatur. Videbamini mihi quærere interceſſorem. Aliud fortasse fuerit, quod te postea concitarit illo tempore nihil facere melioris mariti, nihil indulgentioris potuisti. Ad eum judicem perduxeras uxorem,

1 *Quam nunc eripis claritatem.*] Forte: *caritatem.* Nam qui abdicat filium, se carum illi negat. *Gronovius.*

rem, qui damnare non posset. At enim postea hoc crimen probavi. Non jam respondeo ista quæ dixi, [1] aliis muneribus acciperet judex extraneorum naturam: qua fortasse iratior existi. Non semper erroris odium penes cognoscentes est: aliquando causa profertur, negligentius interim defenditur. Si matrem meam nunc audias: dicit se ad illos judices venisse securam, & obstitisse sibi fiduciam prioris sententiæ: [2] utitur in defensione claris ac nobilibus exemplis, damnatos mihi Camillos, & Rutilios narrat. Verum quicunque iste exitus fuit, habuerit suum finem: si crimina in me explet (neque vereor) plura confitebor quam objicis: & cum damnata esset mater mea, flevi, & graviter tuli.

## CCCI.

### *Rapta à divite pro ancilla.*

Pauper divitem invitavit ad cœnam: erat in ministerio puella pauperis. Interrogatus pauper à divite, quænam esset, dixit ancillam. Discedens à cœna dives, eam rapuit: educta ad magistratus puella ex lege raptarum nuptias optavit. [3] Dives accusat pauperem circunscriptionis.

### Sermo.

*Etiam si reus est hic pauper, non tamen mihi videtur aspere & concitate contra divitem acturus. Non tantum accusator dives*

1 *Aliis muneribus acciperet.*] Restitui jubet Ærodius: *alienis mulieribus accidere. vides extr.* Vel, *alienis m. a. judices, &c.* Cogitabam: *aliis auribus accepit judex extraneus: utrique fortasse iratior existi.* Extraneus judex non tam propitiis auribus accepit matris defensionem quam ego domesticus acceperam. Et fortasse & mihi & illi iratior, eoque vehementior in causam, prodiisti in forum. *Idem.*

2 *Utitur in defensione claris ac nobilibus exemplis.*] Melius forte, *in defensionem.* Idem.

3 *Dives accusat pauperem circumscriptionis.*] Sic Abimelech Abraam & Isaac accusavit, qui Saram & Rebeccam uxores suas, sorores esse dixerant, Quare imposuisti nobis, &c. Circunscribere, & lædere & fallere est, ut ex edicto Prætoris minores circunscripti, si postulant, restituuntur. & circunscriptio adolescentum lege Lectoria vindicata. Hic vero circunscriptio, pro ea deceptione & fraude sumitur, quæ sub specie legis involvitur. ut ex hac & 343. declam. infra, & ex his verbis Senecæ manifestum est: Objici (inquit lib. 6. declam. 3.) non potest, quod lege factum, imo non nisi quod ex lege factum est. Circumscriptio semper crimen sub specie legis involvit. Quod apparet in illa, manifestum

*ves illi sed gener est, & nos non sumus iracundi. Rapta nuptias optavit.*

## NARRATIO.

SI alio accusante dicerem causam, sciebam & expertus proxime eram, esse nobis æquam, etiam adversus divites, libertatem. Sed me, quanquam indignissime petar, non tam lex, quam ratio prohibet à convitiis. Ego hunc amicum semper optavi etiam, antequam essem socer, & colui, & aliquid etiam supra vires facultatum mearum, in excipiendo eo, ausus sum. Atque id me feciſſe ante omnia confiteor, [1] ut potiorem haberet filia mea. Nunc vero eum mihi fortuna ipsa generum dedit, quem maxime diligebam. Totâ itaque hæc, quæ pro innocentia mea adhibetur, non tam defensio erit, quam satisfactio. Fortasse detrectet: sed tamen audebo, ne nos fastidiat. Non sum quidem locuples, sed quotus quisque: inops censu, sed integer, sine crimine, sine fabula: non indignus aliquando huic diviti visus, qui amicus vocarer: ad cujus mensæ quoque societatem abundans & locuples accederet, & existimaret fore hoc quoque inter causas amicitiæ, si cœnulam diviti pauper feciſſet, non illam beatam, nec qualem hic potest, non instructam ministeriis: unde enim nobis omnia proferenda sunt in medium, cum præsertim iste nos propius cognoverit: quicquid illud fuit, ne dedignaretur dives, maxima parte curavi, ipse composui, & [2] post securita-

festum est: quod latet, insidiosum. Semper circumscriptio per jus ad injuriam venit. Nos fraudem legi fieri dicimus. l. contra legem. l. fraus. ff. de Legibus. Ad hanc legem circumscriptionis, inquit Fabius infra, nunquam recurritur, nisi cum rectum jus nequitia excluſum est, idque adeo, non ipsa legum pugna inter se & commissura (ut ita loquar) sed facto & cavillatione ejus qui accusatur, dum salvis verbis legis κὼ τῷ ῥητῷ, μὴ δὲ διανοίᾳ fallit, decipit. Non recte igitur hic pauper circumscriptionis accusabatur: ideoque ait. *Ærodius.*

1 *Ut potiorem haberet filia mea.*] Ærodius, *ut potiorem me haberet*: ad alios refert: *ut potentia ejus maritum potiorem haberet.* Vide an non sit tutius: *ut patronum haberet filia mea.* Gronovius.

2 *Post securitatem modo conviva serus.*] Ærodius, *modo conviva charus, acceſsit*: alios ait legere: *& post hanc curam tantummodo conviva charus acceſsi.* Quomodo ausus movere illud tam liquido probum.

ritatem, modo conviva ſerus acceſſi, ſed opus erat miniſterio. Hoc paraveram mihi non pecunia, non emptione: ſed uxorem ducendo, educando hanc puellam. Admiratum credidi, quod hic ſexus miniſtraret: eoque magis pudore mihi fuit, confiteri eſſe filiam meam. Nam neque erat is cultus, & notitia nobis adhuc nova: & tamen, ſi me quoque interrogaſſet, reſpondiſſem, Servuli tui ſumus. Non perſuadeo tamen mihi, ut crediderit. Neque enim irritare tam delicatas ejus cupiditates potuiſſet ancilla: nec fecit quod adverſus hanc conditionem fieri fortaſſe potuiſſet. Rapuit tanquam ingenuam: ideoque cum educeretur ad magiſtratus, nihil recuſavit, nihil juri noſtro oppoſuit: niſi forte hoc quoque in cauſa erat: [1] quod ducebatur ſecurus. Unde enim nobis adverſus iſtum tantus animus, ut vindicaremur? Quomodo hanc invidiam potuiſſet ferre paupertas, ſi occidere filia mea voluiſſet juvenem inter principes civitatis? Non tamen uſque in hoc, judices, valet, ut non dederim beneficium. Ubi ergo circunſcriptio eſt? [2] Quam quidem legem arbitror propter eos maxime latam, qui circa forenſes inſidias aliquem ſcripto callidiore cepiſſent. Cæterum ut longius interpretatio veniat: non tamen erit dubium circunſcriptionem eſſe inevitabilem fraudem, id eſt, in qua factum ejus demum æſtimetur, qui accuſatur. Singula ergo æſtimemus. Invitavi ad cœnam, quæ hic circunſcriptio eſt? pauper divitem: veniſti: ago gratias: habuiſti honorem, & illud humile limen intraſti: & adiſti menſam, ad quam cum venire cœpimus, Deos invocamus.

bum, ſerus? *dolus & ſecuritatem* haud dubie ſcribendum *ſedulitatem*. Pro *modo* potes *demum*, vel *tunc*. Niſi mavis: *& poſt ſedulitatem dominus convivæ ſerus acceſſi*. Nam *dominus*, qui excipit, *conviva*, qui excipitur. *Idem.*

1 *Quod ducebatur ſecurus.*] Sciens non mortem, ſed nuptias propter amicitiam optatum iri. *Ærod.*

2 *Quam quidem legem arbitror propter eos maxime latam, qui circa forenſes inſidias, &c. Et poſt ſecuritatem.*] Id eſt, poſteaquam ita mecum actum exiſtimavi, ut ſecure poſſem divitem ad cœnam vocare, ſic ut eam omnino non faſtidiret, nec dedignaretur, modo conviva charus acceſſi, &c. *Idem.*

vocamus. [1] Alioqui jus in me humanitatis [2] est nostra frugalitas, quæ vobis utique velut refectionem quandam & quietem præbet. Inter vestras quoque epulas non semper, illa ponuntur peregrinis petita litoribus & sylvis: aliquando hæc vilia quæ rure mittuntur, adhibetis, quæ emere nos pauperes possumus: cœnasti tamen hilaris, & ut vis videri etiam liberalius bibisti. Quare tamen invitavi? quoniam promerenda nobis est vestra potentia. Si qui me detulisset reum, defenderes: si quam injuriam timerem, rogarem te per jus mensæ communis. Non est igitur in hoc circunscriptio, quod ad cœnam invitavi: cætera utique ad crimen legemque non pertinent. Sequitur ergo ut sit proximum crimen, quod in ministerio fuerit filia mea. Iterum accusabitur paupertas. Quid ergo nos facere jubes? emere non possumus etiam si quid ex quotidianis supererat laboribus; educatio exhausit. Mutuemur ergo & alienis ministeriis lautitias vestras imitemur, quantum potest quis. Apud vos illi greges ministrorum, apud vos aurum & argentum: ministerium ergo fuit ex meo. Non istud deforme pauperibus: nam & si in aliud diei tempus incidisses, tum quoque tibi videretur ancilla: vidisses pensa facientem. Filia igitur ministravit, sicut mihi solet. Nisi veritus essem, ne tibi invidiam fieri putares, nisi me frequenti humanitate in honore posuisses, ego ministrassem. Hinc quoque remove quod tu fecisti: non est circumscriptio, quod interrogatus verecunde respondi: & cum mihi tecum cœpisset novus usus, erubui videri sine ancilla. Hoc mali habet ambitus. Peccasse me fateor: dicendum fuit verum. Sed hac pœna potes esse contentus: non impune feci. Et quæ à me facta sunt, hæc sunt, hic me circumscriptionis accusa,

1 *Alioqui jus in me.*] Thaddæus: *jus me.* Ærodius *jus meæ*, & mirificum addit aliorum, *deus meæ.* At tu lege: *Adeoque justæ humanitatis est nostra frugalitas, ut vobis utique velut refectionem quandam & quietem præbeat. Justæ*, id est, sufficientis, qua justum accipit natura. *Gronovius.*

2 *Est nostra frugalitas.*] Vet. cod. *fragilitas.* Et paulo post, *rogassem te prius mensæ communis.* corrupte. *Pith.*

accusa, nihil ipse feceris. Num enim si tu nihil concupisses, non rapuisses, poterat mihi objici circumscriptio? hoc ergo exigis, ut ego nocens sim, non ex meo facto, sed ex tuo. Age, res quidem ipsa crimine caret, sed animus suspectus est. Quid est igitur? me credibile est circunscribendi mente fecisse? invitavi ut raperes? Neque enim poterat dubitari, quin quæreres quæ ministraret. Et cum interrogasses, certum erat fore, ut protinus cupiditas aliqua in animum tuum descenderet, & cum concupisses, ut raperes. Quæ si nulla ratione, nulla divinatione prævideri potuerunt: apparet non propter id factum quod sperari non potuit. Quid enim in causa fuit, cur raperes? cultus videlicet te illexit: hic enim adjici solet ad speciem, talis ministrabat, ut necesse esset ancillam esse mentiri? Tu porro (permitte etiam aliquid mihi libertatis) [1] rapiebas, vel ancillam tu raperes, ancillam ejus apud quem paulo ante cœnaveras? Sed non credidisti ancillam esse. Possis tu fortasse huc usque descendere, ut non fastidias pauperes: nunquam cupiditas tua usque ad mancipia descendet. Ac si [2] forte oculos tuos petisses, quid opus erat vi? non munusculo sollicitasti? non, si contumacior esset, pro tua illa comitate à domino petisti? Potuisti ergo scire, etiam antequam rapere inciperes: in ipso vero raptu non apparuit tibi ancillam non esse? non tanquam libera repugnavit? non proclamavit patrem? nullam vocem meam audisti? Fieri non potest, ut non eruperit ingenuitas, quæ aditura erat magistratus. Aut ego fallor, aut de hac tota causa judicatum est, nam si quid feceram fraudis, apud magistratum agere debuisti,

1 *Rapiebas, vel ancillam tu raperes.*] Hæc partim male interpunguntur, partim leviter corrupta sunt. Scribe: *Tu porro, &c. rapiebas velut ancillam.* Per occupationem proponit colorem adversarii: & ei jam respondet. *Tu raperes ancillam ejus, apud quem paullo ante cœnaveras?* Gronovius.

2 *Forte oculos tuos petisses.*] Thaddæus & Ærodius: *Ac si forte cepisset oculos petisses.* Pithœus delevit *cepisset.* Ego malim inducere alterum. Ut sit: *Ac si forte cepisset oculos tuos, quid opus erat vi? non munusculo sollicitasses? non, si contumacior fuisset, pro tua illa comitate à domino petisses?* Hæc, inquit, potius fecisses, si ancillam credidisses. *Idem.*

debuisti. Circunscriptus sum, ancillam putavi, necessitatem raptoris agnovisti. Non puto te objicere, quod nuptias optavit, sed nec ago, imputo: sicut ne gratulor quidem hoc matrimonio. Mihi magis conveniisset gener cum quo mihi par convictus, apud quem si forte cœnarem, uxor ministraret. Tu tamen quid circumscriptione ista perdidisti? uxorem non habes locupletem, nihil enim magis, quam pecuniam desideras. O te dignum qui duceres parem! Tunc scires quæ discordiæ, quæ contentiones, quam frequens mentio dotis, quam erecta ex æquo cervix. Utique in his tuis deliciis, in his cupiditatibus tibi liceret amare aliquam ancillam, deperire aliquam ministrarum. At nunc habes uxorem non ambitiosam, non exacturam comitatus, sed quæ tota ex tuo vultu pendeat. Laborare consuevit, habebis ancillam. Tu tantum, etiam si quid ego offendi, mihi irascere. Nihil illa fecit, nihil peccavit, jussa fuit: in ministerio patri paruit, ad illam hoc tantum pertinet, quod optavit.

## CCCII.

## *Auctoratus ob sepeliendum patrem.*

GLADIATOR IN QUATUORDECIM GRADIBUS NE SEDEAT. Quidam ut patrem sepeliret, auctoravit se: die muneris productus [1] sub titulo causæ, rudem, postulante populo, accepit: postea [2] patrimonium statutum per leges Equitibus acquisivit, prohibetur gradibus.

### DECLAMATIO.

POstea dicam qua causa pene gladiator factus sit, postea hoc quod objicitur in laudem vertam, interim incipere libet

1 *Sub titulo causæ.*] Patris sepeliendi ergo: non quæstus causa, sed virtutis & humanitatis. *Ærodius.*

2 *Patrimonium statutum per leges.*] Quod erat sestertiûm quadringentorum millium. Hic ordo Equestris jus habuit Romæ in quatuordecim ordinibus spectandi, lege Roscia theatrali: Senatores in Orchestra, cum ante S. Ælium Petum, & C. Cornelium Cethegum Censores, omnes in cavea promiscue sederent spectarentque. Sicut autem aucto patrimonio, hæc prærogativa sedendi in quatuordecim acquirebatur, ita si qui decoquerent aut inter infames haberentur, quales sunt ii qui artis ludicræ

libet ab ipsa lege. Jus certe sedendi implet ingenuitas & census. Quærendum est ergo an hic, gladiator sit, aut fuerit. Non sumus magni legis interpretes: non ludum, nec arenam, nec [1] armorum scientiam complexa est, sed gladium. Cui dubium est id exigendum esse in eo, ex quo nomen gladiatoris ductum est? Gladiator igitur est, qui in arena populo spectante pugnavit. Nam neque orator est, qui nunquam egit causam: neque accusator, qui reum in judicium non deduxit: neque reus, qui causam non dixit. Videamus & ipsius periculi causam. Quæro an si creditor [2] post datam pecuniam, operas remisisset, diceres eum gladiatorem fuisse? In ludo fuit. Fuerunt doctores, & medici, & ministri: [3] neque tamen in illo nomine tenentur. Productus est, & alii multi, spectaculi gratia. Sed affuit pugnæ. Sed animum teneris: cum præsertim hic ordo ex laude militiæ hoc nomen acceperit. Non ergo pugna per se turpis est, [4] sed inhonesta pugna. Dedit enim & familiis nomina: hinc Corvini, [5] hinc Torquati, hinc Opimi. Illum ergo majores prohibuerunt theatro, qui utilitate, qui gula se auctorasset. Mutuatus est pecuniam, ut patrem sepeliret: mutuatus unde potuit: & quo turpius putas esse sic mutuari, hoc honestius fecit. Vidit enim quid sibi accidere possit auctorato: sed illud crudelius putavit, si pater insepultus jaceret. Gladiatores sepeliuntur. Isti accusatores,

pronuntiandive causa in scenam prodissent, jus id amittebant. Seneca lib. 2. declam. 1. Senatorium gradum, gradus ascendere facit. Census Romanum quidem à plebe discernit: census in castris ordinem promovet: censu in foro judex legitur, &c. *Idem.*

1 *Armorum inscientiam.*] Alii, *scientiam.* Pith.

2 *Post datam pecuniam operas remisisset.*] Quas ut debitor in Arena pugnaret, locaverat. Cajus l. 3. de iis qui not. infam. Qui operas suas locavit, ut prodiret artis ludicræ causa, neque prodiit, non notatur, quia non est res adeo turpis, ut etiam consilium puniri debeat: nisi si cum bestiis esset pugnaturus. l. 1. §. bestias. ff. de postuland. *Ærodius.*

3 *Neque tamen in illo nomine tenentur.*] Tolle præpositionem. *Gronovius.*

4 *Sed affuit pugnæ.*] Vet.cod. *pugna.* Pith.

5 *Hinc Torquati, hinc Opimi.*] *Opimios* novimus, sed pugnam aliquam spoliorum opimorum iis hoc nomen dedisse legimus nusquam. Forte: *hinc Coriolani, hinc Torquati, hinc Corvini.* Gronov.

res, [1] & Cimoni illi, [2] qui patris corpus vicario corpore redemit, crimen darent. Sed indicavit populo, quare veniſſet in ludum non pugnaturus. Tunc ut notius fieret exemplum, tum te, populе, judicii tui pœniteret. Quomodo poſtea vixit? quam frugaliter acquiſivit? quam parce? quam laborioſe? Auſim dicere neminem ſic ex hoc ordine, nec ex alio.

## CCCIII.

## *Proditionis rei fortes.*

PRODITIONIS REI CAUSAM DE VINCULIS DICANT. Qui rei facti erant, ruptis vinculis fortiter fecerunt. Præmio petunt, ut ſoluti cauſam dicant.

### SERMO.

*An reis dandum præmium, an proditionis reis, an his quos non civitas armavit, an contra legem dandum ſit, & hanc legem, & hoc tempore, an tollatur ſumma legis, etiam ſi vis extenuetur qua mente petant, quid utilius.*

## CCCIV.

## *Tria præmia divitis ſacerdotis.*

SACERDOS TRIA PRÆMIA ACCIPIAT. VIRO FORTI PRÆMIUM. Dives ſacerdos inimici pauperis filium ſacrilegum, uno præmio liberavit. Eundem in adulterio damnatum, ſecundo præmio abſolvit. Bello patriæ, pauper fortiter fecit, filius ille deſeruit. Vult eundem tertio præmio ſacerdos liberare, petit præmio vir fortis pater, ut occidatur.

### DECLAMATIO.

UTra lex antiquior? belli utique prior. Sacerdotium, pacis res eſt. Tua ad unum pertinet, hæc ad omnes. Mihi

1 *Et Cimoni illi.*] Cimon filius fuit Miltiadis, cujus damnati peculatus, & in vinculis mortui, cadaver obligatum pro multa vicario corpore redemit ut ſepeliret. Hunc Cimonem Callias poſtea redemit, & ei filiam ſuam collocavit, quam cum Cimon in adulterio deprehenſam occidiſſet, ingrati eum Callias accuſavit. Seneca lib. 9. declam. 1. & lib. 5. controv. 25. Sed hæc paullo aliter narrantur à Plutarcho in vita Cimonis. De ſepultura Seneca alio loco, l. 8. declam. 4. Quid eſt miſerius in vita, quam velle mori? quid in morte, quam ſepeliri non poſſe? Omnibus natura ſepulturam dedit: naufragorum, idem fluctus qui expulit: ſuffixorum corpora crucibus in ſepulturam ſuam defluunt: eos qui vivi uruntur, pœna uruntur, pœna funerat, &c. *Ærodius.*

2 *Qui patris corpus vicario corpore redemit.*] Lege: *Iſti accuſatores & Cimoni illi,*

Mihi lex debet, tu legi, utrius legis hoc tempus? ego dignior sum præmio, quam tu. Me viro forte contigit victoria, te sacerdote admissum sacrilegium. Hactenus de personis: transeamus ad opinionem. Ego hodie primum opto, tu bis optasti, & ego melius opto desertoris mortem, quam tu vitam sacrilegi. Sacerdos, castra vindico: disce tu vindicare templa. Quid si contra legem petis? unius vitam jam ter optasti. [1]Comparavi publicas personas: num comparem? Tu optas? nunquam nisi de alieno: ego te meo. Quanquam quid mihi cum lege? dum ne veniat adulter ille, ille sacrilegus, ille desertor in penates meos? Sciet quanto meliore patre natus sit quam inimico. Armiger da gladium: vindicabo ergo illum maritum, vindicabo templum. Legem habeo & viri fortis & patris. Innocentem filium habui, ante hujus sacerdotium: sub isto primum expilata templa. Furorem hoc juvenis mei putabam: fiducia erat. Multum est, dices, colere templa: [2]plus * tamen sustinere, incendere hostium templa. Cur enim si quicquam tua vota proficiunt: cliens tuus deseruit? Mihi debetur præmium quod petiero: possum & tuam mortem, possum tibi auferre sacerdotium.

CCCV.

*illi, quod patris corpus vicario corpore redemerit, crimini darent.* Sic Livius: *Crimini maxime dabant, in Numitoris agros ab his impetum fieri.* Quod ex eo imitatus Trogus Pompejus. *Gronovius.*

1 *Comparavi publicas personas: num comparem.*] Ærodius, *nunc privatos comparem.* Scribe potius: *nunc comparabo rem.* quam scilicet uterque præmio petit. Declamat. 274. *Nondum rem comparo.* Idem.

2 *Plus tamen sustinere, incendere.*] Ærodius: *sustinere impetum hostium.* Tamen male cohæret, quod sequitur. Forte: *plus tamen sustinere ne incendant hostes templa.* Idem.

# CCCV.

## *Exsules à divite pugnare inter se coacti.*

EXSULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. Duos pauperes, dives, inimicos suos [1] imprudentis cædis quinquennii exsilio damnatos intra fines deprehensos, dimicare inter se, datis gladiis, coegit: commortui sunt, accusatur injusti supplicii.

### DECLAMATIO.

[2] NIsi præcipua, judices, impotentiæ voluptas divitibus videretur, ut sceleribus suis etiam glorientur: fuerat tanti miserrimorum civium perire vindictam, si possit tacere qui fecit: Hæc enim est exacti injusti supplicii manifesta injuria, quod excogitavit quomodo ab inimicis mors exigeretur, & ipsis imputaretur. [3] Homines innocentes cum damnarentur quoque confestim inter se concurrere coegit: quos etiam in calamitate fortuna conjunxerat, jussit ut invicem se occiderent (quod gravissimum illis fuit) scientes. Æstimate, judices, quid timuerint qui hoc fecerunt. Quamvis autem, judices, adjicere invidiam sceleribus numerus soleat, nos tamen confitebimur, inter solatia doloris nostri esse numerandum, quod ambo perierunt.

1 *Imprudentis cædis.*] Lib. 7. cap. 5. In conjecturam quoque eadem species cadit, cum perpetuo, an quinquennali sit exilio multandus, in controversiam venerit: num prudens cædem commiserit, quæritur. Omnino copiose de his legibus, qui exulem intra fines deprehensum possint occidere, quem, & quando, Plato lib. 9. de legibus. *Ærodius.*

2 *Nisi præcipua, judices, impotentiæ.*] Non hic tantum parum intellecta est illa ratio loquendi, *est tanti*, quemadmodum alibi diximus. Sed si eam bene ceperis, facile intelliges non posse stare, quæ à fronte est, particulam. Quin scripsit auctor: *Cum præcipua, judices, impotentiæ voluptas divitibus videatur, ut sceleribus suis etiam glorientur; fuerat tanti, &c.* Gron.

3 *Homines innocentes, cum damnarentur, quoque.*] Ærodius: *cum damnasset, utrosque confestim.* Alios ait velle: *cum damnarentur, eos quoque*: alios, *innocentes condemnatos, utrosque.* Ego in his non hæreo. Intelligo enim *innocentes quoque, cum damnarentur*, qui cædis imprudentis sunt damnati. Quatenus enim voluntas abfuit, erant innocentes. Sed me offendit τὸ *confestim.* Hoc enim acerbe postea exprobratur, quod quicquid factum est, non est factum confestim. Infra: *Quod vultum tuum diutius vident.* Et, *non licet tibi gladium supra cervices diu tenere.* Forsan: *Homines innocentes, cum damnarentur, quoque, infestos inter se concurrere coëgit.* Idem.

runt. Sic miseros commisit, ut si unus vicisset, post quinquennium redire non posset. Sive igitur constare vobis, judices, debet ultio: nulla unquam res sic contra leges excogitata est, ut intra fines [1] deprehensum exsul exsulem occideret: sive crudelitatis exigere debeat pœnam vestra justitia, non satis habuit, quod adversus miseros lex irata conscripserat. Quanto enim gravius tulerint supplicium, quam meruerant, vel sic æstimate. Hoc inimicus elegit, & inimicus pauperibus iratus: hæc enim odia altissime sedent, cum aliquis iis, quos contempsit, irascitur. Innocentiæ fiducia contra opes istius steterant: non tamen futuri pares, nisi duo fuissent. Contra gratiam [2] armaverunt misericordiam sui, donec ambo in periculum capitis adducti. Testes enim non defuerunt: [3] quantum enim valuit innocentia, constitit inter omnes non potuisse illud nisi ab imprudentibus fieri: incredibile est, judices, quanto difficilius finibus careant, qui exsilium non meruerunt. Amplectebantur miseri pio furto extremum patriæ solum, non mehercule scio, an alicujus insidiis perducti, an aliqua humanitatis facie impulsi: nihil probare possum: ambo perierunt. Si tamen intueri naturam volueritis, apparebit profecto non casu eos in eum locum potissimum venisse, in quo ab inimico deprehenderentur: deprehendit enim tanquam expectasset. Minus quidem miserrimos cives confuderat istius aspectus: [4] jugulum contumaciter parabant. Jampridem mortem contempsimus, nec inimicitias adversus te suscepimus, nisi lucis vilitate. Occide: nunquid plus potes? Risit animos: &, Adhuc nescitis (inquit) quantum opes virium habeant: efficiam vos inimicos. Tradi utrique gladium jubet, & custodiri in primo impetu manus

1 *Deprehensum exsul occideret.* ] *Deprehensum exsulem exsul occideret.* Ærodius.

2 *Armaverunt misericordiam sui.*] *Se misericordia sui.* Idem.

3 *Quantum enim valuit,* ] Ærodius: *Quantum autem.* Ego malim: *Quantum tamen valuit.* Gronovius.

4 *Jugulum contumaciter parabant.*] Ovid. 6. Metam. *Iugulum Philomela parabat, Spemque suæ mortis viso conceperat ense.* Idem.

nus circa flagella & ignes, & omnes tyrannicæ crudelitatis apparatus. Quantos enim fuisse creditis metus, qui effecerunt, ut concurrere illis expediret? O misera conditio! magna necessitate victa libertas est. [1] Tunc rogaverunt: donec iste crudelis lanista, Concurrite (inquit) & istas innocentes manus [2] committite prudentes, non continget innocentibus mori: quæ miserorum inter binos metus cunctationes? occidere coacti sunt eos, quorum miserebantur. Quid ego faciem tristissimi illius temporis narrem? quid vulnera? quid sanguinem? quid gemitus? Tu saltem fortuna melius uno uterque fato jacet. Te tamen, dives, interrogo: quid de illo facturus fueris qui superfuisset? Hoc est, puras manus habere? hoc nobis pro innocentia imputas? nocentem fecisti ipsam infelicitatem: & tanquam parum esset exigere pœnas, supplicia infamasti, id denique coëgisti quod defendere non potuissent, nisi coacti. Injusti supplicii ago. Non est mihi lex interpretanda. Omne injustum supplicium est, quod non est exactum secundum legem. Da igitur jus mihi, quo perire debuerint. EXSULEM INTRA FINES LICEAT OCCIDERE. Quod satis est, non occidisti. Quicquid aliud factum est, contra legem est. Sit aliquid mitius, sit aliquid clementius, non licet, nec tibi licebit ignoscere. Exsulem intra fines liceat occidere. Neminem, judices, eorum qui jura condiderunt, tam asperum & trucem existimo fuisse, [3] ut tantum scelus

1 *Tunc rogaverunt.*] Quintil. lib. 4. ex Cicerone in Verrem. Summum virum ostendit, qui cum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogaverit: sed tantum civem se Romanum esse, cum invidia cædentis & fiducia juris clamaverit. *Ærodius. Tunc rogaverunt.*] Lege: *Diu rogaverunt.* Gronovius.

2 *Committite prudentes, ne contingat innocentibus mori.*] Hæc ut nos restituimus, irridentis sunt divitis, & in aliena miseria lascivientis: quasi dicat, Innocentes manus hæ fuere: quia imprudens homicidium fuit. At nunc prudentes in vos mittite & conserite manus. hujusmodi sunt ea quæ sequuntur: & ideo cum interrogatione legimus. *Ærodius.*

3 *Ut tamen scelus crederet posse fieri.*] Multa enim in legibus aliquando apponuntur, non tam revera puniendi, quam absterrendi gratia, ut illa ex 12. *Ternis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto.* Acerbitas enim plerunque ulciscendi maleficii, bene atque caute vivendi disciplina est: & tam atroci pœna constituta, ne in eam inci-

scelus crederet posse fieri. [1] Metu sine dubio fines nostros clusit exulibus: magnam tamen illis qui deprehendissent, imposuit difficultatem. Exulem intra fines deprehendisti? occide si potes: sed occide tua manu, sume carnificis animum. Sequetur quandoque te ista conscientia: & quanquam impunitus sanguis, manabit tamen usque ad animum. Quæ sunt istæ deliciæ, ut tu velis inimicos tuos imprudentibus manibus occidere? Exulem intra fines liceat occidere. Si deprehensos detinuisses, injustum supplicium esset: nemo inter pœnas exulis constituit mortis expectationem. Istud quod nutum tuum diutius vident, quod arrogantiam ferunt, injustum supplicium est. Non licet tibi gladium supra cervices diu tenere: non licet jugulo necem admovere lente. Tu eos detineas intra fines, quibus venire non licuit? Occide, vel statim: vel, si differre potes, miserere: Nondum dico, [2] Concurrere præstantis alterius cervicem ferire coëgisti: injustum supplicium est. Mori debent, qua lege? in qua scriptum est. [3] Cito occidat. Putate, judices, hujus furoris ad vos causam referri. Ex duobus exulibus intra fines deprehensis, ab altero occisus est alter, statim

dant mali vel tracti, vel inviti, reformidant. Sed dum lex permittit exulem intra fines deprehensum occidere, cum tamen neminem speret hac nimia licentia abusurum: nonne tamen idipsum est homines ad facinora liberius invitare, dixerit aliquis, & licet iniquum & inhumanum, at tamen legitimum quoddam quod privato liceat, homicidium invenire? Sane non omne quod licet, honestum est: qua tamen utile est, jus est. Sed propius intuenti apparebit, tum cum permittit lex gravius quod delictum puniri, quam par sit, ut vel exulem intra fines occidere, vel debitorem discerpere, nectere; sit vero major alia lex à natura orta, quæ recta ratio appellatur, prohibens tantam hanc hominum inter homines sævitiam & inhumanitatem: non illam ferri, ut contra hanc committatur: sed ne exul iis se committere & commiscere audeat, quorum læsit conjunctionem atque societatem. Ergo legis quædam quasi tergiversatio est. *Idem.*

1 *Metus sine dubio fines.*] *Metu.* Idem.

2 *Concurrere præstantis alterius cervicem.*] Ærodius *præstantes*, & alios ait legere *alternis*. Ego malo: *Nondum dico, concurrere; præstantis alterius cervicem alterum ferire coëgisti.* Hoc est, Nondum dico, quod plus est, concurrere illos coëgisti, sit aliquid minus, dico aliquid minus; nimirum cum præstaret alter cervicem, alterum ferire coëgisti. Ne hoc quidem defendere potes, *injustum supplicium est.* quanto injustius illud, quod concurrere coëgisti. *Gronovius.*

3 *Cito occidat,*] Hoc non video scriptum esse in lege. Forsan: *Liceat occidere.* Idem.

statim cum hoc agere injusti supplicii volo. Quis tibi gladium dedit? Quomodo potest fieri ut is debeat occidere, cui necesse est mori? Nemo, ut opinor, absolvet. Fieri non potest, ut si damnanda fuerit audacia, non sit vindicanda necessitas. Cum illorum crimen foret, si voluissent: tuum sit necesse est, quia coëgisti. Si concurrissent, & viverent, injusti tamen supplicii agerem: facile est vitæ damnum. Abstùlisti miseris innocentiæ opinionem, & ut pessimum gladiatorum genus perire jussisti. Non potueras absolvi, si infelicibus missionem dedisses. Quos composuisti? homines ejusdem civitatis, ejusdem fortunæ, ejusdem inimicos. Plurimum tamen adhuc ad dolorem pertinet, quod te spectante pugnaverunt: ille gravissimus dolor, [1] quod ad inimici voluptatem satisfacerent. Misera conditio necessitatis. [2] Gloria infelicibus erat, [3] facere quod velles: quam contumaciam vicisti. Proponite ignes, & constituite ante oculos illud crudele spectaculum: sedentem hunc altius, armatos circa servos. Neque enim profecto sine præsidio magno, sine certa securitate ferrum commisit inimicis. Qui dolor miserorum, quod quenquam vulnerarent isto præsente? Certum habeo & hortatus est, & laudavit illum qui prior percussit: omnia licet feceris, neuter tamen amicum suum occidisset, nisi sciisset expedire, ut uterque moreretur. Si bene miserorum innocentiam novi: non tantum tibi quantum optaveras, contigit.

Concur-

1 *Quod ad inimici voluptatem satisfacerent.*] Proprium verbum in gladiatoribus. Vide 2. Observ. 2. *Idem.*

2 *Gloria infelicibus erat facere quod velles.*] Non loquitur de statu infelicium, in quo tunc erant: sed in quo fuerant ante exsilium, quum fortiter & contumaciter adversus divitem simultates exercerent. Igitur scribendum: *quod nollès.* Tum enim omnibus divitis voluntatibus adversabantur, atque eum oppugnare sibi gloriæ ducebant. Hanc contumaciam eorum vicit dives, subactorum ut tandem aliquid vellent, quod ipse quoque voluit: nempe ut alter alterum occiderent. Itaque cum nota admirationis accipiendum illud: *quam contumaciam vicisti?* Idem.

3 *Facere quod velles: quam contumaciam vicisti.*] Nam volebat eos mori: quod cum contumaciter non recusarent, vicit eorum contumaciam: dum huc eos adegit, ut essent ipsimet interfectores sui. *Erodius.*

Concurrerunt lateribus nudis. [1] Omnia tu licet crudeliter excogitaveris, fecerunt tamen bonum exemplum.

## CCCVI.

### *Expositus, negatæ matris nuptias petens.*

Maritus peregre proficiscens, præcepit uxori ut partum exponeret. Expositus est puer. Maritus peregre, uxore hærede, decessit. Post tempus quidam adolescens, cujus ætas cum expositionis tempore congruebat, cœpit dicere se filium, & bona sibi vindicare. Inter moras judicii, bello idem adolescens fortiter fecit. Petit præmio nuptias ejus, quam matrem dicebat, manente priore judicio. C. D.

### Declamatio.

NOn ita me prima frons causæ, callidissima optionis simulatione decipit, ut mulier ista matrimonio credat, quod hodie nemo peteret, [2] si non recusaretur: illud magis vereor, ne juvenis, qui ejus quam matrem esse dicebat, nuptias optat, videatur velle ad verum pervenire: ac vos latentium natalium credatis experimentem, quod mulier quæ post amissum maritum per tot annos, qui facere poterant ab infantia virum fortem, sic complexa est viduitatem, tanquam genus pudicitiæ; hunc jungere sibi venere sera, & polluere complexibus non vult filii sui, si vixisset, ætatem. Intelligo itaque non tam multa mihi contra præmium dicenda, quam contra argumentum. Sic componenda actio est, [3] tanquam nos audiant judices illi: non tamen juvenem pari captione ludemus. Feciſſet, feciſſet hoc astuta mulier, anus inverecunda, ut juveni curioso offerret hanc fatigati corporis partem. Erat dignus, qui dum

1 *Eam licet crudeliter excogitaveris.*] *Eam*, sup. innocentiam, existimans te puras manus habere, si tuis manibus non occideres. *Idem.*

2 *Si non recusaretur.*] Nam si qui fortiter fecit, speraret optionem mulieri placere, neque fore ut ne per ætatem quidem à nuptiis abhorreret: certe matrimonium non peteret. Ergo cavillatio quæritur, & in illam vel illam partem, causæ præjudicium. *Idem.*

3 *Tanquam nos audiant judices alii.*] Ait enim postea, *Audite igitur tanquam alii judices.* nempe ut causa hæreditatis acta & transacta, nunc apud eosdem, uti causa diversa, & prorsus à prima sejuncta aliaque, ita apud alios judices agi agitarique videatur. *Idem.*

dum alterius patrimonium petit, perderet etiam præmium ſuum. Sed mulier ſimpliciſſima, ſi quid mentiri poſſet, [1] ſi non expoſuiſſet, palam ſe nolle profiteretur. Hoc pudori ſatis eſt: [2] ſi quid juſſeris, culpa cogentium eſt. Quid interim proficit adoleſcens ille? nam ſi præjudicium eſt, quod hæc recuſat: & illud ſit argumentum, quod hic optat. Cujus quidem pudori, propter recentia merita cupio conſultum. Magna tamen cupiditatis invidia inquinat laudem, ſi cum alienum patrimonium petat, non putat ſua referre utrum hæreditatem illud faciat, an dotem. Hæc quidem minus ſollicita fuit priore judicio: tunc enim pudor ſalvus: nunc totos neceſſe eſt proferre gemitus. Semel (inquit) infeliciter nupſi: peregrinabatur maritus: illuc ierat unde non eſt reverſus: tamen miſera concepi: & quantum uterus creſcebat, tantum accedebant exequiæ. Convenerunt ad parientem conſolantes propinqui. Hæc paſſa ſum ſuaſore marito, qui me fecit hæredem. Quis poteſt illum diem referre ſine lacrymis? vivum funus gremio tuli: quam pene expiravit in manibus meis? Deinde periit ille, qui juſſerat: quam pene potui non exponere? Quid mihi cum hac hæreditate? efficit ut filium magis deſiderarem. Falſas putate voces, ſi poſtea nupſit. Ille deſiderabatur infans. Sic puto effectum eſt, ut aliquis ſe filium diceret. Hæc quidem fabula allata eſt tanquam temere credituræ: ſed poſtquam [3] ſe perſpici ſenſit juvenis, differre cœpit. (Nihil

1 *Si non expoſuiſſet.*] Ærodius refert aliorum *etſi mentiri poſſet, ſe non expoſuiſſe.* At tu lege: *Sed mulier ſimpliciſſima (ſi quid mentiri poſſet, non expoſuiſſet) palam ſe nolle profitetur.* Dixerat mulierem ſimpliciſſimam & fraudis aſtuſque expertem. Id obiter confirmat, ſi poſſit ullo modo fallere, non expoſuiſſet infantem: ſed inveniſſet, ob quod ad id faciendum juſſu mariti & ſuo promiſſo non teneri videretur. Et ſane *profitetur* etiam Thaddæus & Ærodius. *Gronov.*

2 *Si quid juſſeris, culpa cogentium eſt.*] Ærodius: *ſi quid viceritis*: alios ait velle, *vixeritis.* Scribe: *nam ſi quid juſſus feceris, culpa cogentium eſt.* Excuſat expoſitionem, cujus modo meminerat. *Idem.*

3 *Se perſpici ſenſit, differre.*] Ærodius, *ſi perſpiciens hic juvenis, quis ſit invenit, differre cœpit.* Scribe: *poſtquam ſe perſpici ſenſit, deferre cœpit.* Hoc eſt, poſtquam vidit non temere mulierem credere, & intelligere, quis eſſet ipſe, nempe planus & impoſtor, in jus vocavit mulierem. Idem vitium Decl. 275. *Alioqui ſi hoc*

([1]Nihil judicium magis trahit, quam diffidentia petitoris.) [2] Ante consummabimus bellum. Non fraudabo te, juvenis, gloria tua. Tu fugasti hostes: felices, si qui tibi sunt parentes. Utinam credibilia finxisses: effeceras [3] ut te cuperent agnoscere. Hic libet alloqui juvenem. Tu quidem fortiter feciſti: Sed minor corporis virtus: plus est in animi moderatione, ne quid improbe petas ne videaris isto animo litigasse. Licet (inquit) mihi optare quod velim. Nullum manifestius improbæ optionis argumentum est, quam vim legi adhibere. Quis enim dicit, Necesse est? Qui dicere potest, Oportet. Non tamen hoc natura recipit, ut tam gravi servitute juris obstrinxerit rempublicam, qui legem dicebat. Sibi sane tulerit jura simplicius ætas vetus: minorque fuerit verborum custodia, [4] cum intellecturi non timebantur. Has enim primas rudibus illis, ac militaribus viris existimo placuisse leges, quibus inter continua bella præmium non avaris virtutibus dabatur. Neque ego crediderim optionem tunc illam respexisse ad onera reipublicæ. Liberalis erat populus ex præda. Testis carminum antiquitas, ubi illi primi heroës canebantur. Bellator huic currus, huic ducum exuviæ, nonnullis captivæ forma præstantior, ultima sors habebatur,

*si hoc putares esse pecuniam accipere, abdicari fratrem, statim detulisses.* Sic olim correxi, cum vulgo *putatis* vel *putaris*, & *distulisses*. Jam video & Ærodium dedisse, *detulisses*. Idem.

1 *Nihil judicium magis trahit quam diffidentia.*] Ex narratione sententiam fecerunt. Scribe: *deferre cœpit. Nihil magis judicium traxit quam diffidentia petitoris. Ante consummavimus bellum.* Hoc quoque, *consummavimus*, ab Ærodio potuit admisisse Pithœus. Cœpit mulierem vexare lite lenta. Has moras invenit ipse, ut fatigaret: nam in ipsa causa nihil habebat spei. Sic factum, ut intervenerit bellum judicio, & prius finitum sit quam judicium. *Idem.*

2 *Ante consummavimus bellum.*] Sup. quam prius judicium de hæreditate perageretur. *Ærod.*

3 *Ut te cuperent agnoscere.*] Non accipio de veris quibusvis parentibus, sed de hac ipsa matrona quicum constitit: & lego: *Utinam credibilia finxisses! effeceras, ut te cuperet agnoscere.* Gronovius.

4 *Cum intellectu hi non timebantur.*] Ut sub specie legis, & verbis illius salvis, iniquum optare liceat. Alias *intellecturi*: & sensus est, nam cum verba captantur, nec à syllaba licet absque fraude recedere, tum harum formularum, & literæ syllabæque tendicularum peritiores, ut Appius ille ante Flavii Ædilitatem, sane caventur, timenturque. *Ærodius.*

tur, quamlibet nobilis peteret. Legistine circa decennis belli exuvias contendisse clarissimos reges? Hæc sacra sunt merita, hæc conjurata virtus. Hoc erat illud, quod volo. Si vero [1] isto verbo immodico abuteris; respondebit tibi respublica, Quid prodest vicisse, si adhuc aliquid negare non possum? Sic mecum loqueretur victor hostis. Quid si templorum incendia petas? [2] legum obliviones? hoc modo & nuptias matris optares. Quanto justius tibi mulier privata respondet. [3] Non pro me tamen militasti: appella rempub. appella magistratus. [4] Non potest à privato dari, quod ab omnibus debetur. Hæc dicerem, si aliquid ex rebus meis concupisses: nunc matrimonium petis, quod tibi contingere non potest sine invidia captivitatis. Si tamen urbe capta invocaret manes mariti, [5] non auferret hostis, & misereretur ejus quæ amare defunctum videretur. Tibi cum hac quomodo potest convenire cujus matrimonium non peteres, nisi cum ea litigasses? Vis scire quid sint nuptiæ? [6] Aspice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo. Non potest quisquam dare, quod constat duorum voluntate. Utcunque tolerabile esset, si virginem peteres, quæ nullo suspirat affectu, quæ adhuc reipublicæ matrimonium debet. Est præcipuum jus senectutis: [7] quoniam non una subit omnis ætas: non perpetuo Senatorem citat Consul: est sua legationibus requies: cum hos habueris annos, jam non militabis. Cogis nos agere fortius. Non omnibus præmium debe-

1 *Isto verbo immodico abuteris.*] Ærodius: *Sis vero istud verbum in modico habiturus.* Ego: *Si vero isto verbo immodice abuteris.* Gronovius.

2 *Legum obliviones.*] Fortasse melius, *abolitiones.* Pithœus.

3 *Non pro me tamen militasti.*] Scribo *tantum.* hoc est, solummodo, nec enim negabat se partem civitatis, pro qua militaverat. *Gronovius.*

4 *Non potest à privato dari.*] Cur non, *privata?* Idem.

5 *Non auferret hostis.*] Quod pignus habet hujus clementiæ ac misericordiæ hostium? Lege: *Si tamen urbe capta invocaret manes mariti, forsan ferret hostis.* Idem.

6 *Aspice illam virginem.*] Hoc pertinet ad l. 7. C. de Repud. l. 9. & l. 22. C. de nupt. 30. q. 5. Tertull. l. 11. ad uxorem. *Pith.*

7 *Quoniam non omnia subit omnis ætas.*] Qui locus à Seneca alicubi tractatur. *Idem.*

debetur: [1] non petet servus, non petet peregrinus. Tu hanc asserendo matrem, incertis te parentibus esse confessus es. Ut optare possis, [2] primum te necesse est filium probes. Perseveras? sic agam tanquam velit. Nuptiis tibi opus non est hoc tempore: militare debes, excubare, vigilare. Ab hac te voluntate non debebat nec mater abducere. Ac tu si quietem mavis, duc uxorem parem. Bene dictum. Compositis ætatibus coacta matrimonia, tamen facile fastidiunt: sive non habet omne quod licet, voluptatem: seu continuis vicina satietas: sive durum est, quod necesse est. Quid si affert impares annos? in hac ætate ne olim quidem juncti, se amant. Operies flammeo canos? ut inducta in cubiculum, quomodo blandiatur? quomodo appellet? nam tu matrem vocabis. Inter pares quoque annos, citius fœmina senescit: neque amatur anus uxor, nisi memoria. Tu fortasse nunc velis. [3] Illum annum expecta qui veniet. Non eundem gradum ultima ætas facit: nec decedit suprema vita, sed corruit. Non ipsam petis. Sed tua nihil interest, uxor sit an mater. Satis diu fictis respondimus: nunc ars aperienda est. Non conscientiam nostram tentat, sed verecundiam, ut huic expediat mentiri. Audite igitur tanquam alii judices. Jam primum omnium

1 *Non petet servus, non petet peregrinus.*] Nullum enim servis erat connubium, quin eis nec militare licuit. Rursus, peregrini, jus connubii cum civibus Romanis non habuere. Non ergo omnibus præmium, nec quodcunque postulantibus præmium debetur. *Ærodius.*

2 *Primum te necesse est filium probes.*] Haudquaquam etenim si probasset, nec poterat optare, nec vellet, certiore via ad bona inventa. Sensus omnis jubet: *Ut optare possis, primum te necesse est non esse filium probes.* Gronovius.

3 *Illum annum expecta qui veniet.*] Quo nempe sum moritura. Nam certum est te, non me decrepitam (ut à plerisque fit) sed divitias meas optare. Brevi autem me morituram argumento est, quia mori seni naturale est. Ac quamvis etiam juvenes morimur, imo vero licet omnes in dies horasque deficimus, dum nostri particulæ minimæ commutantur, ut scripsit Alphenus traductum à Philosophis: gradus tamen ille, ac perpetua moriendi successio, numerosior est, & in adolescente viroque passibus dimensa certior, quam in sene: in quo jam nullus est modus, nulla certa declinandi via, nec hactenus procliva, sed præceps: ut in pendentibus fructibus etiam immaturi, ruinam minantur: at ipsi jam ruunt maturi. In hanc sententiam Cicero de senect. Vitam adolescentibus vis aufert: senibus maturitas. *Ærodius.*

omnium apparet, nullam esse generis, quod affectat, probationem: alioqui præmio opus non esset. [1] Non anus ulla, non index hinc est illud. Nubat, nisi mater est. Una calumniæ origo est quod hanc exposuisse constat. Rarum igitur est, ut expositi vivant. Caducum circa initia animal, homines sumus. Nam setarum pecudumque fœtibus est statim ingressus, & ad ubera impetus: nobis tollendus infans, & adversus frigora nutriendus, sic quoque inter parentum manus, gremiumque nutricis, sæpius labitur. Unde nobis tantam felicitatem, ut ad infantem mors accersita non veniat? Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum: cui mori domi expediret, inde nudum corpus, sub cœlo? inter feras & volucres. Video moveri, mulier, lacrymas tuas. Nemo tibi mortalium posset ignoscere, nisi jussa feciſſes, alia tamen conditio est eorum, quibus obvium patrem quærit exponentium paupertas. Ille relinquitur loco celebri: tunc & libet custodire longe, & spectare fortunam. [2] Aliter abdicatur, quem jussit exponi, qui relinquere poterat hæredem. Sis porro sublatus, ille qui te educat, scit parentes: periisse patrem audit, cur tibi non petit patrimonium? cur istud tot annos tacet? an expectat donec probare non possit? Age, quid futurum erat, si periisset & mater? & age, nollet filium mater agnoscere? Nam huic quidem quanta fuerit materni nominis cupiditas, non illis tantum argumentis probabo, quod concepit, quod sustulit: sed quod maritus nunquam mandat exponendum, nisi educaturæ. Date huic quem vultis affectum. Si voluit habere, facile agnosceret: si noluit, sic exposuisset ne educaretur: [3] & tamen fuerit fortis: adversus infantem plura

1 *Non anus ulla, non index hic est.*] Nullus est qui γνωρίσματά τε καὶ πίστεως σύμβολα afferat, proferat, unde filius agnosci possit. Illud vero unicum argumentum est, Nubat nisi mater est. *Idem.*

2 *Aliter abdicatur, quem jussit exponi.*] Qui exponit ob paupertatem, ideo exponit, ut quondam sive ipse ditior, sive provectiorem filium agnoscat. qui vero dives exponi jubet, abdicat. quod exhæredatione majus est. ergo vel agnitus non posset contra tabulas bonorum possessionem petere. *Idem.*

3 *Et tamen fuerit fortis: adversus infantem*

plura blandimenta robuſtior ætas habet. O quantos hæc ex alienis liberis cruciatus tulit! Blanditur aliquis puer? talis eſſet meus. Laudatur aliquis vultu ſpecioſus? talis fuit ille quem perdidi. Creſcit quotidie dolor: jam in foro conſpiceretur, jam militaret, jam illi uxorem quærerem. Nunc vero propiores admovet ſtimulos vir fortis, hæc ſuum negaret? te parentes liberis ſuis monſtrant. Scilicet timet ne ad illam matronæ conveniant. Si ſe matrem fateretur, aliquid fortaſſe in honorem ipſius optaſſes. Ego miror, quod tuo errore non utitur: & uteretur, ſi errare te crederet. Cur ergo non nubit? ætatem ſuam intelligit: quam impares ſitis, videt. Eſt quædam etiam nubendi impudicitia. A viro jam ſuo ſecubaret utique, ſi ætatis hujus filius interveniret. Hæc ſi nubere in iſtis annis poteſt, [1] quomodocunque dicam, mater inceſta eſt, & neceſſe eſt, umbra ſaltem ſceleris laboret. Cur in fabulas eat? cur habeant materiam maligni? Vix abſolvi nuptiæ poſſent, ſi jam contra judices illi pronuntiaſſent. Quid futurum eſt ſi hæc parata fuerit nubere, & illi matrem pronuntiaverint? Quid autem tu juvenis, ſi tibi nuptiæ adjudicatæ fuerint, ducturus es? Si non duxeris, non fiet ſic generis experimentum: ſi ducturus es, factum eſt. Me miſerum! anum ducis juvenis. Video quid concupieris. Mater eſt: non vult. Ergo mater, an uxor ſit nihil intereſt. [2] Cætera juveni

*fantem plura.*] Sic orationem ſuſpendit Ærodius, & acquievit Pithœus. nam Thaddæus continuat omnia uno ſpiritu hæc & ſine diſtinctione. Voluit autem auctor. *Et tamen fuerit fortis adverſus infantem:* (hoc eſt, duraverit, non miſerta infantis fuerit, non eo efficitur adultum quoque, ſi ſuum ſciret, repudiaturam. Cur? quia) *plura blandimenta robuſtior ætas habet.* Plus eſt & efficacius quod placet in bona indole adulta. *Gronov.*

1 *Quomodocunque dicam mater inceſta eſt, &.*] Sic Pithœus: nam Thaddæus & Ærodius *incerta.* Scribe: *Hæc ſi nubere in iſtis annis poteſt, cuicunque, dicam, mater incerta eſt, neceſſe eſt, umbra ſaltem ſceleris laboret.* Hoc eſt, non dico tibi, ſed cuivis alii matris incertæ, non poteſt ſine ſuſpicione inceſti eſſe. *Idem.*

2 *Cætera juveni audaci in promptu.*] Thaddæus & Ærodius *audacia.* Addit alter velle quoſdam *juvenili.* Dein Thaddæus, *miraretur.* Ærodius, *mortem quiſquam mihi minaretur.* Mihi ſuccurrebat, *Cæterum juveni audacia in promptu; nec in hac ætate temeritatem quiſquam miratus.* Idem.

ni audaci in promptu: nec in hac ætate mortem quisquam minaretur. Per finem, juvenis, bona potius opta. [1] Consuevit frugalitati: sine marito diu vixit. Inter gravissimas vitæ calamitates, non sine solatio tamen, meruit maritum. Et jam in fine vita est. Nec de hæreditate sollicita est, non habet filium.

## CCCVII.

### *Conscius veneno proditoris.*

CONSCIENTIÆ SIT ACTIO. PRODITOR TORQUEATUR DONEC CONSCIOS INDICET. Proditor bis tortus, pernegavit, cum futurum esset, ut tertio torqueretur, amicus ei venenum dedit. Reus est conscientiæ.

### SERMO.

*Duo nobis efficienda sunt, ut conscium habuerit, ut hunc habuerit.*

### DECLAMATIO.

SCio vos, judices, posse mirari, cur ex hoc in judicio quæratur. Prospexerat enim lex, ut conscius per tormenta potius quæreretur, sed quatenus nequitia obviatum est legi, reliquum est ut hic reus sit. Ac primum omnium nego fieri potuisse, ut proditor conscios non haberet. Intuemini naturam, intuemini magnitudinem sceleris. Prodere populum, civitatem, exercitum, non est unius. In hoc mihi non est laborandum. Nam lex quæ torqueri jubet, donec conscios indicet: non dubitat conscios esse. Vidit enim quanta esset inter se quodammodo sceleratorum fides quam diu tacerent. Itaque non sic scriptum est, PRODITOR TORQUEATUR: sed, TORQUEATUR DONEC CONSCIOS INDICET: adeo ille qui nondum indicavit, adhuc non est pro torto. Ergo ut majoribus

[1] *Consuevit frugalitati.*] Ærodius: *Consuevit frugaliter vivere.* Thaddæus: *Consuevit frugalitate.* Quod fortasse mutandum non fuit. Columella 8,15. *nam si modo captas aves, quæ consuevere libero victu, custodiæ tradere velis, parere conclamitant in servitute.* Idem.

joribus noſtris viſum eſt, ſi conſcios habuit, videamus quos habuerit. Nullum factum deprehendi, nullum conſcientiæ ſignum, putemus mortuum eſſe antequam torqueretur: quæramus quos conſcios habuerit, nonne illud genus quæſtionis præcipiendum eſt, quem habuerit amicum? Non temere debet indicaſſe tantæ rei conſcientiam. Longa conſuetudo, vetus amicitia facit, ut veniat quis in ſceleris ſocietatem. Amicum igitur proditoris te fuiſſe negas. Jam ſi te interrogavero, quare dederis venenum: reſpondebis, Tormenta tertio videre non poteram: meos artus, mea lacerari viſcera putabam. Jungit enim amicitias ſimilitudo morum: neſcio quomodo inter ſeſe [1] animorum numina vident & agnoſcunt: ne quiſquam amare in altero poteſt, niſi quod tacitus probat. Nec hæc in nobis tantum comparatio. Muta animalia ſi in unum conferantur, genera tamen coibunt. Amicus illius fuiſti: cum illo tibi ſeria ac joci: non potes videri non probaſſe, quem non ignoraſti. Amicus proditoris fuiſti. Plus eſt hoc, quam ſi dixeris conſcium te fuiſſe. At bis tortus pernegavit. Redde nobis rationem, quare illi amicus tantopere fueris. Dignum mehercule exemplum quod fieret in re honeſtiore: tu, ne ille amplius torqueretur, periculum capitis ſubiſti: ille, ne te nominaret, bis tortus eſt. Qui non indicat, confitetur amicum fuiſſe. Bis tortus negavit. Nihil dicam de varietate tormentorum. Nondum erat tortus, qui torqueri poterat. Illa illa quæſtio fuiſſet quam timuiſti. Difficile eſt contra dolorem ægris durare corporibus: & facile eſt integro ſenſu perferre, quam ſemel indueris, perſuaſionem. Ideo ars inventa eſt, illæ torquent nocturnæ cogitationes, illa recordatio præteritorum, illa expectatio futurorum. Illa eſt quæſtio gravis, cum vulnera cæduntur: cum perſuaſum eſt animo, nullum eſſe finem tormentorum.

1 *Animorum numina.*] Scio quid philoſophentur veteres. Sed hic ſcribendum judico: *neſcio quomodo inter ſeſe animorum ingenia vident & cognoſcunt.* Idem.

rum. Non igitur peracta quæstio fuit. Ducit me indignitas rei. Venenum proditori dedisti. Nisi aliud crimen occupassem, veneficii accusarem. Venenum paravit, habuit, dedit. Et primum hoc invadere libet. Unde tibi venenum? ad quos casus parasti? sic illud habuisti, tanquam possis ipse torqueri. Age, nondum invado tanquam proditorem: interim ago tecum magristratus nomine. Cur in custodiam irrupisti: quibus suppliciis hoc venenum luere poteras? Proditor bene periit. Sed redeamus ad crimen. Venenum dedisti, cum scires futurum ut suspicaremur, quam valde confessionem timuisti, qui subire maluisti hoc argumentum. Amicus (inquit) eram. Quid agis? amicus etiamnum patri bono jam filius non videretur. Antea tibi poterat ignosci, cum ignorabas: etiamnum probas proditorem. Amicus ille. Hoc de proditore, non est misericordia. Qui misereri proditoris potest, crudelis est. Non ergo istud amicitiæ tuæ miseratione fecisti: jam tibi nuntiabatur suprema vox. Vis scire quam hoc non amicitia feceris? Ne torqueretur non dedisti. Passus es ut torqueretur: jam anne tertio torqueretur, minime ad ipsum pertinebat? Bene quod magna scelera his ipsis quibus occultari videntur, aperiuntur. Dum hoc agis ne amicus tuus fateatur, ipse confessus es.

# M. Fab. Quintiliani
# FINIUNT TRACTATÆ, INCIPIUNT COLORATÆ.

## CCCVIII.
## *Duo testamenta.*

Testamenta ultima rata sint. intestatorum sine liberis mortuorum bona proximi teneant. Quidam primo testamento instituit hæredem amicum: secundo facto, alterum. Decessit: posterius testamentum damnatum est. Ambigunt de bonis, priore testamento hæres scriptus, & propinqui.

### Declamatio.

ET in more civitatis, & in legibus positum est, ut quotiens fieri potuerit, defunctorum testamento stetur: idque non mediocri ratione. Neque enim aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem: alioqui potest grave videri, etiam ipsum patrimonium, si non integram legem habet: & cum omne jus nobis in id permittatur viventibus, auferatur morientibus. Proximum locum à testamentis habent propinqui: & ita, si intestatus quis ac sine liberis decesserit. Non quoniam utique justum sit, ad hos pervenire bona defunctorum, sed quoniam relicta, & velut in medio posita, nulli propius videntur contingere. Nihil est ergo, quod nos onerare tentent nomine isto propinquitatis jactatione sanguinis & naturæ, homines [1] binis jam tabulis exhæredari. Et sane quotiens quæstio juris est certi, & à majoribus constituti, nihil necesse est laudare leges, quibus utimur, & ad quas vobis judicandum est. Quæstio igitur totius causæ nostræ (ut opinor) in eo consistit, an amicus meus intestatus decesserit.

1 *Binis jam tabulis exhæredati.*] Nam priore testamento, amicum unum: posteriore, alterum instituerat. Atqui præteritio suorum, quasi quædam exhæredatio est: nota vero non exigua. *Æn. dius.*

rit. In qua parte delector, nihil tam obscure, nihil tam clam esse factum, ut nobis probandum sit. Interrogo vos igitur, propinqui, an hic quem intestatum decessisse dicitis, scripserit aliquando testamentum? Interrogo vos, an hæ tabulæ quæ ex parte nostra proferuntur, testati sunt. Intelligitis à me signum: an omni jure conscriptæ vel tabulis soletis damnare? Non id agunt, utrum non fecerit testamentum, sed intestatum volunt videri eum, quia non semel fecerit. Scripsit, inquit, & alteras tabulas, apparet quam noluerit intestatus mori. Neque ego negaverim, non uno genere fieri intestatos. Aut enim is est intestatus, qui non scripsit omnino testamentum: aut qui id scripsit, quod valere non possit. Vos eligite quem velitis esse intestatum. Si eum qui non scripsit: non est hic cujus de bonis agitur: bis enim scripsit. Si eum videri vultis intestatum, qui vitiosum scripserit testamentum: hoc confiteamini necesse est, vitiosum testamentum [1] esse pro non scripto. Hoc igitur supremum, quæro sitne testamentum? Si confitemini esse testamentum, non potest videri intestatus decessisse. Si non est testamentum ([2] sic non est, quia non jure factum est) nihil obstare priori potest. Venio nunc ad meam legem. TESTAMENTA ULTIMA RATA SINT. Habet sine dubio (si verba tantum ipsa intueri velimus) hoc jus, occasionem brevem calumniæ. Quid si enim unum aliquis scripserit testamentum? [3] Potest videri novitium quod magis jure primum dixerimus. Sed quemadmodum inter plurima testamenta, ultimum valere oportet: ita hæc manifesta legis voluntas est, ut id testamentum

1 *Esse pro non scripto.*] Si posterius testamentum, pro non scripto habebitur (ut certe quidem) prius manebit firmum. Ergo excludentur propinqui, quibus succedendi locus non est ex lege 12. tabularum, quandiu ex testamento defertur hæreditas. *Idem.*

2 *Sic non est, quia.*] Conjeceram: *ut non est, quia non jure factum est.* Nunc video & Ærodium dedisse: *sicut non est.* Gronovius.

3 *Potest videri novitium.*] Sic Pithœus; nam Ærodius: *potest videri hoc ultimum.* Thaddæus: *potest videri non vitium.* Scribe per interrogationem: *potest videri novissimum, quod magis jure primum dixerimus?* Idem.

mentum valeat, post quod nullum testamentum est. Neque est incredibile, sine dubio, etiam ante hoc testamentum, quo ego hæres factus sum, scripsisse illum alia testamenta, hominem frequenter hoc facientem. Ita & ultimum videri potest, si post alia scriptum est: & si primum scriptum est, quia nullum tamen est, quod vincat, & potentius sit postea, pro ultimo habendum est. Sublatum dicunt prius testamentum posteriore testamento. Neque ego inficior, si jure factum sit testamentum, hoc est, si testamentum est, potentissimam esse defuncti proximam quanque voluntatem: sed nego ullum postea factum testamentum. Quid est enim testamentum? ut opinor, voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis. Non dixerim ego testamentum, cui numerus signatorum deest: non dixerim testamentum, cui libripens & emptor familiæ,[1] & cætera [2]juri necessaria. Tabulæ erunt: fortasse & scriptum erit. Et huc (ut paulo ante dicebam) vestra quoque manifestum confessione est, non esse velut testamentum. Facto enim illo dicitur propinquum vestrum intestatum fuisse. Hoc propius colligamus: putemus enim factum esse unum hoc testamentum, quod damnastis: num dubium erit, quin ad vos bona pertinuerint, tanquam intestati, id est, quin ita hæredes futuris fueritis, tanquam ille omnino testamentum non feciſſet? quod si hoc pro non facto est, nec testamentum quidem videri potest. Fingamus fuisse ultimum testamentum: quando quærimus? Puto cum res in lite est, cum in disputatione. Nec pertinet ad nos quod fuerit ultimum, sed quod sit. Si jus utrique testamento constaret, fuisset illud ultimum, quod postea factum est: illo vero sublato incipit ultimum esse, quod relictum

1 *Et cætera juri necessaria.*] *Jure*, opinor. *Idem.*

2 *Juri necessaria deerunt.*] Ut quinque liberi cives Romani, testium signa, filiorum institutio vel exhæredatio, &c. Hæc si desint (inquit) tabulæ quædam esse poterunt, aut privata alia quidem scriptura: sed non testamentum, quia non conscriptum jure legibusque civitatis: non voluntatis suæ justa sententia, ut Modestinus ait lib. 2. Pandectarum. *Erodius.*

relictum est, [1] ut intentione cursus, qui proximus ab ultimo fuerit, si desistat ultimus, in nomem illius locumque succedit. Ergo ut non fuerit ultimum meum aliquando testamentum, nunc ultimum est, & vos id testamentum feciſtis, damnando id quod postea factum erat.

SERMO.

*Hoc ad verba legis, illud ad voluntatem.*

DECLAMATIO.

Quid putamus sequutam esse legem, quæ valere voluit ultimum testamentum? Plura valere non poterant: & in tam mutabili natura humanorum animorum, diversis hæredibus, media lis relinquebatur: optimum videbatur esse ut proxima quæque voluntas duraret. Hac vero sublata, necesse esse eam durare, quæ sola est. Fecit amicus meus eo tempore, quo me instituebat hæredem, legitimum testamentum: nam & constabat ei tum judicium: quo minus erubesco ista mutatione hæredis. In his tabulis alius legitur, quæ jus non habuerunt, quæ non lege conscriptæ sunt, quæ fortasse etiam propter hoc damnatæ sunt, quod indignus hæres videbatur. In comparatione summa non recusabo, quo minus vel propinquos istos amicitiæ conferatis. Per se mihi vel sanctius nomen amici videtur. Hoc enim proficiscitur ab animo: hoc proficiscitur à proposito. Istud dat casus conditio nascendi, & quæ non sponte nostra eliguntur. Me hæredem esse, amicus meus (quod satis est) aliquando voluit, [2] vos nunquam eo tempore, quo judicabat, neque eo tempore, quo errabat.

SERMO.

*Illa, jam communia pro omnibus testamentis.*

DECLAMATIO.

Non tantum ad hæredem ista lis pertinet. Aliquem fortasse

1 *Ut intentione cursus.*] Scribe: *ut in contentione cursus.* Gronovius

2 *Vos nunquam eo tempore.*] Lege: *vos neque eo tempore, quo judicabar; neque eo, quo errabat.* Ærodius: *vos nunquam neque.* sed media vox superavacanea. *Idem.*

tasse amicorum honoravit, aliquem fortasse servulorum manumisit. Vos[1] pœnam quandam propinquo vestro constituitis, ut intestatus decesserit, & bona tanquam relicta, tanquam deserta invadatis.

## CCCIX.

## *Raptor convictus.*

Educta ad magistratum, adolescentis, à quo esse vitiata dicebatur, nuptias optavit. Ille negavit se rapuisse: judicio contendit: victus est: non recusat ducere. Illa optare vult.

### Sermo.

[2] *Actio debebit adolescentis esse summissa: nam etiam si nullo themate ad id alligatur, ut necesse sit eum raptorem videri: rei tamen judicatæ facere controversiam non potest: & videtur mihi hunc modum custodire debere, ut de raptu* [3] *nihil neget: nihil tamen sciat.*

### Declamatio.

NOn aliud, judices, causæ meæ aptius, aut verecundiæ necessarium magis est, quam ut puellæ mitissimæ clementissimæque gratias agam. Lege permittente omnem in me potestatem, optare nuptias etiam festinavit, nondum me rogante, nondum (*indicare enim suppliciter necesse

1 *Pœnam quandam servo.*] Rupto, injusto, vel irrito facto testamento, & libertates cum legatis amittuntur. Ergo in pœnam quodammodo servorum, testamentum ad intestati causam recidit. Quid si ita legamus? *Vos pœnam quandam tanquam servo constituitis, &c.* Ærod.

2 Ejusdem argumenti declamatio est apud Senecam lib. 7. Declamat. ult. & lib. 4. controv. 4. Atque hinc facile, ut ex multis aliis locis, perspicere licet, quam in tractandis his quæstionibus, & colorata oratione vestiendis, hos omnes Quintilianus antecelluerit, quorum varios sermones collegit Seneca, libris illis Controversiarum. *Idem.*

3 *Nihil neget, nihil tamen sciat.*] In hoc certe rectius & magis accommodate, quam & Latro, & Varius Geminus, qui uti vel negandum, vel confitendum omnino esset, ita pro eo dixerunt qui rapuit. Color igitur Quint. aptior. *Idem.*

4 *Judicare enim suppliciter.*] Alias *judicare enim se supplicantem necesse est*, hoc est, condemnare se, & raptorem fateri, ut sint hæc verba Quintiliani conversa ad discipulos. *Ærodius. Indicare enim suppliciter.*] Ærodius edidit: *nondum me judicare enim:* & præterquam, quod in notis, ad marginem ait, alios legere, ut appareat legendum ex sequentibus: *advocare enim amicos suppliciter.* At tu habe: *nondum (indicare enim simpliciter necesse est) rogante.* Declam. 315. *Ego si melior essem pater, illud quoque simpliciter confiterer.* Gronovius.

necesse est) saltem confitente, ita facile, ita celeriter, ut vix mihi verisimile videretur, illam injuriam accepisse. Proxima, ab hac gratiarum actione, debet esse confessio. Peccasse me, quod dubitaverim, fateor. Quid enim mihi contingere optabilius potuerat, etiam si non rapuissem? Sed hujus qualiscumque culpæ meæ spes omnis, in animo istius est quæ ignoscere solet. Quantumlibet contradicendo peccaverim, minus est hoc tamen, quam quod rapui: intelligo autem, judices, hanc primam mihi in hac caussa habendam esse rationem, ne me quod negavi, [1] feciſſe callide ac maligne existimetis. Scitis [2] quam multa faciat error, quam multa permiscat fortuna, cum præsertim ad hæc & obscuritas noctis, & paulo liberioris meri. Quis enim aliter vitiator est? ignorantia hæc mea te frugi & innocentem (non est dubitare jam fas) fefellerunt: ita vixeram semper, ita custodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccasse mirarer. Itaque confiteor, actum de me erat, si in aliam incidissem. Nam (ut dixi) neque ad genua procubueram, neque propinquos, aut amicos advocaveram: sed movit puellam ipsum (ut credo) ignorantiæ meæ periculum, persuaserat sibi, nihil me feciſſe temerariæ libidinis causa. Nec me malo hoc animo negasse, ex hoc apparere vobis potest. Negavi, postquam ista nuptias optavit. Gratias ago & judicibus: emendaverunt contumaciæ detrimentum, amiseram puellæ optimæ conditionem, si vicissem. Ergo quod superest, gratulemur. Jus esse raptæ optandi adversus raptorem, hoc jam non negamus: sed illud quoque æque conveniat necesse est, bis adversus eundem raptorem optandi non esse jus. Et si hoc in con-

1 *Feciſſe callide ac maligne existimetis.*] Hanc divisionem secutus est Passienus apud Senecam. *Ærodius.*

2 *Quam multa permiscerit fortuna.*] Hic non tantum corrupta, sed & turbatus ordo verborum videtur. Tentabam: *quum multa permiscat fortuna, cum præsertim accesſit & obscuritas noctis & paullum liberioris meri. Ignorantia hæc me & frugalitas innocens fefellerunt: ita vixeram semper, ita custodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccasse mirarer. Non est dubitare jam fas. quis enim alius vitiator est? Non confiteor, &c.* Gronovius.

in confesso fuerit, illud quoque teneamus, optasse jam puellam.

Sermo.

*Hæc sunt, quæ inter utranque partem necessariò conveniunt.*

Declamatio.

[1] Negat optionis expletum esse jus, quod ante optaverit, quam certum esset rapuisse eum, contra quem optabat. ego autem in lege nullam animadverto differentiam: & hoc unum exceptum, ut rapta raptoris mortem optet. [2] viderimus, an in controversiam res adducta sit postea, interim certum est hunc fuisse raptorem. Ergo cum & tu rapta esses & hic raptor esset, & lex raptæ optare permitteret, & tu optaveris, non video, quare non finitum jus sit. At postea tu negasti te esse raptorem. Ideo victus sum. Feci, si vis, improbe, (differo enim istius rei defensionem) feci temere: quid tamen aliud quæri potuit in illo judicio, quam hoc, quam tu merito optasses? probasti raptorem fuisse me, hoc est, probasti te recte optasse. Volui rescindere optionem tuam: non contigit.

Sermo.

*Hæc circa jus, illa circa æquitatem.*

Declamatio.

Bis optare vis, [3] quod etiam semel multum est. Potestatem tibi vitæ ac necis lex dedit. Ultra regnum omne, ultra tyrannidem omnem est, hoc diu licere. Fulmina ipsa velo-

1 *Negat optionis expletum esse jus.*] Hoc est quod Fuscus dicebat apud Senecam, optionem eam esse, quæ legitime facta sit. hanc nec legitime, nec jure factam: quia legem optandi habere non potest, quin prius confitentem raptorem habeat. at hic pernegabat. ergo repetendam optionem, quasi prior non suo die facta sit. l. optione. ff. de optio. lega. & uti jusjurandum quod minus solenniter factum est, repeti debet. l. qui per salutem. ff. de jurejuran. *Ærodius.*

2 *Viderimus quæ in controversiam res adducta sit.*] Nam cum raptor negaret, videtur id modo in judicium deductum esse, an hic raptor, hæc rapta sit: & an hinc nata esset optandi occasio. non autem, an hæc aut illa res ex lege optata & electa sit. *Idem.*

3 *Quod etiam semel multum est.*] Seneca, Proponite supplicii faciem: hoc semel licere nimium est. Nihil tam civile, tam utile est, quam brevem potestatem esse, quæ magna est. *Idem.*

velociter cadunt: habet finem aliquem expectationis ſecuris illa carnificis. Si mortem optaſſes, & nuptias optare velles, videreris etiam facere contra legem: & eſſet, qui diceret; ante deliberaſſes, ante diſpexiſſes, emiſſa vox eſt, [1] poteſtatem tuam ipſa finiſti. Nunc vero cum optaveris nuptias, mortem optare vis, [2] quæ iſta ad crudelitatem pœnitentia eſt? Intellexit & ipſa quam ſævum, quam crudele ſit. Plus enim poſtea mali feci? Ignoviſti quod rapueram: ignoviſti quod abſtuleram virginitatem: hæc nuptiis æſtimaſti: morte æſtimas verecundiam. Neque ego, cum me rapuiſſe negarem, nuptias tuas recuſabam: volebam [3] ducere non tanquam raptor: cum me hoc modo putarem fore chariorem, ſi tibi injuriam non feciſſem, vel fallere animum tuum volui, ne iraſcereris. Sed & ipſi judices hoc pronuntiaverunt, hoc ſpectaverunt. Quæſtionem enim fuiſſe putas, an ego rapuiſſem, cum ego dicerem. Non rapui, non hi mores ſunt mei, honeſte ſemper vixi, frugaliter vixi. Quæ probatio hujus criminis mei? quis teſtis? Dicebantur illa contra: periclitaris, & male tecum agitur, [4] nuptiæ ſunt, de quibus litigas. Fecerunt judices, quod parentes noſtri feciſſent: id pronuntiaverunt, in quo victus gratias ageret. [5] Sed ſpe ſuſpendit, & vult videri nunc quoque factura, quod fecit. Si beneficium vitæ repetere vis, dediſti; non poſſum plus debere, ſi repetis. Quam autem cauſam habes renovandæ optionis, ſi optatura nuptias es? ſi vindicari vis à me metu, timui: ſi rogari vis, rogo:

1 *Poteſtatem tuam ipſa finiſti.*] Seneca ex Publio Aſpernate, optio (inquit) ſemel puellæ datur. immutabilis eſt: ſemel emiſſa eſt. Judex quam tulit de reo tabellam revocare non poteſt. huc pertinet. l. apud Aufidium. ff. de optio. lega. l. ſervi electione. ff. de lega. lib. 1 l. ſi quis. ff. de verbo. obligat. *Idem.*

2 *Quæ iſta ad crudelitatem pœnitentia eſt.*] Seneca ex Albutio, Qui poteſt condemnare, poſſit ſemel: qui poteſt occidere, poſſit ſemel: aut ſi qua iteratio recipi poteſt, in pœnitentiam mortis recipienda eſt. *Idem.*

3 *Ducere non tanquam raptor.*] Hiſpanus Cornelius, Non ſubducere illi (inquit) maritum volui, ſed honeſtiorem dare. *Idem.*

4 *Nuptiæ ſunt de quibus litigas.*] hoc eſt, non te raptorem eſſe abnegas, ſed nuptiæ diſplicent. *Idem.*

5 *Sed ſpe ſuſpendit.*] Poteſt intelligi, *me.* Sed malo *ſpem ſuſpendit*, & intelligere *meam.* Gronovius.

rogo: & rogo per illam clementiam tuam: rogo jam tanquam maritus: & intelligo, tota mihi vita hoc agendum, ut satisfaciam.

## CCCX.

## *Fortis bis adulterii damnatus.*

Bis adulterii notatus ignominiosus sit. Notatus adulterii, fortiter fecit, petit præmii nomine, ut iterum accusaretur. Impetravit, accusatus est iterum, & damnatus. Dicitur ignominiosus. C. D.

### Declamatio.

Quanta gratia prematur in foro, quam impudenti calumnia inimicorum suorum vexetur & hoc ipsum judicium argumento est: vidilicet, contemnunt hominem militarem, nihil minus quam litibus idoneum. Sed [1]formulæ inimicitiæ tum valere possunt, cum de aliquo facto mentiri licet, cum testes subornare. Cæterum in his, quæ [2] ad intellectum judicium pertinent, gratia sine vitio cognoscentium nihil est. Nemo igitur nostrum negat, ita in lege scriptum esse: Qui bis adulterii damnatus est, ignominiosus sit. Ne id quidem negabitur. Bis in judicium hunc descendisse: bis contra hunc latam esse sententiam. Sed si manifestum fuerit, legem non ideo esse conscriptam, ut hoc genus damnationis ignominiam faciat, si ne in cogitationem quidem cujusquam cadere omnino potuit, aliquem ex eadem causa bis potuisse damnari, profecto manifestum est, non in aliud scriptas esse leges, in aliud valere. Quæro igitur ex ipsis adversariis: Cur bis damnatum adulterii, ignominiosum esse voluerint? Ut opinor, Judices, qnoniam una damnatio habebat aliam & suam pœnam: geminatio criminis afferebat ignominiam, neque immerito.

1 *Formulæ inimicitiæ.*] Sic Demosthenes, δίκη φθόνου καὶ γραφὴ καὶ ἐπ' ἐλευθερίας κατηγορεῖν. Ærodius.

2 *Ad intellectum judicium.*] A Pithœo vox *judicium* addita est: Thaddæus & Ærodius ignorant. Num voluit, *judicum*? Gronovius.

rito. Semel enim errare sane tolerabile sit; in eadem vero incidere, ne damnatione quidem [1] compesci ultra omnia videbatur. [2] Nihil enim verba faciunt: sed [3] voluntas legis diversa atque contraria est. Est autem diversa, ut apparet. Atque ego, si descendere ad hoc genus actionum vellem, ad quod me pars diversa deducit, possem contendere vim duorum judiciorum in his non esse. Quare? quoniam lex viri fortis intervenit: & præmium eam vim habuit, ut judicium prius tolleretur. Itaque etiam [4] si prius damnatus, & propter hoc, bis ignominia notatus, fortiter feciſſet, & præmii nomine restitutionem quæsisset, nihil, ne duo quidem vera crimina valuissent. Ergo eo tempore, quo optavit ut accusaretur iterum, hoc [5] optavit, ut esset pro damnato. Si ergo prius judicium [6] hoc illi præstitit, & merito præstitit, in summa quidem secundo judicio quæsitum est, an hic adulter esset, quare accusatus esset: quoniam [7] tanquam de innocente, & de dubio arbitrabatur, ac si prius judicium non esset, altero damnari nihil attinuit. Erat enim damnatus, vel elige quod voles accusator: utique alterum

1 *Compesci ultra omnia videbatur.*] Sic & Thaddæus. Ærodius: *compesci ultra posse crimina videbantur.* Asyndeton & neglecta distinctio impedierunt doctissimum virum. *In eadem vero incidere,* (hic intellige, quasi interpositum esset τὸ &) *ne damnatione quidem compesci,* (intellige, hoc vero) *ultra omnia videbatur.* Hæc extrema linea putabatur insaniæ. *Idem.*

2 *Nihil enim verba faciunt, sed.*] Pro *enim* in Thaddæo & Ærodio video *ergo*: idque magis convenit, modo & restituas: *Nihil ergo verba faciunt, si voluntas legis diversa atque contraria est.* Idem.

3 *Voluntas legis diversa atque contraria est.*] Non enim hic fortis bis accusatus est, quod bis deliquerit: sed quia loco præmii postulavit, prius illud judicium repeti ac recognosci, ut an jure vel injuria damnatus sit, altero judicio appareret. Igitur hæc duo judicia, unius loco esse: ideoque non legis verba, sed mentem amplecti oportere. *Ærodius.*

4 *Si prius damnatus, & propter hoc bis ignominia.*] Alii apud Ærodium *præter.* Sed transponendæ voces: *Itaque etiamsi prius bis damnatus, & propter hoc ignominia notatus, fortiter feciſſet.* Gronovius.

5 *Optavit, ut esset pro damnato.*] Conjeceram: *pro non damnato.* In eandem sententiam Ærodio placuisse video: *ne esset pro damnato.* Idem.

6 *Hoc illi præstitit, & merito præstitit, in summa quidem.*] Thaddæus nescit prius *præstitit.* Ærodius: *illi vel merito præstitit in summaque idem.* Scribendum censeo: *Si ergo prius judicium hoc illius meritum rescidit, & in summa idem secundo judicio quæsitum est.* Idem.

7 *Tanquam de innocente & de dubio arbitrabatur.*] Forte, *ambigebatur.* Idem.

alterum ex duobus. Nam [1]si valuit: illud fuisse sententiam: alterum est pro sententia. Prius utique illud sic colligite, non est impunitus is, qui semel adulterii damnatus habet suam pœnam: ponamus hanc esse pecuniam, num igitur exigis alteram quæ priore judicio aut debita, aut persoluta erat? [2] Atqui, si, tanquam singula judicia publica, pœnas suas non habent, non possunt pro duobus numerari. Supererat fortasse, ut causam quoque adhuc viri fortis agere tentarem: [3] sane dissimulemus partem. [4] Quæratur sæpius esse damnatus: erant alioqui, quæ movere non possent. Damnatus est adulterii: sed postea fortiter pugnando ostenderat non eos esse mores suos, non suam vitam, ut in illo credibilia hæc crimina forent. Sed cum optare illi liceret restitutionem, illud optare maluit ut accusaretur, ut de vero quæri posset, hoc non sine bona conscientia fecit. Cur ergo damnatus est iterum? quia damnatus erat, non putaverunt illi, qui cognoscebant priorum judicium rescindendam esse sententiam, ita homo qui post præmium accusabatur, sic auditus est, tanquam nondum fortiter feciſſet.

1 *Si valuit illud fuisse sententiam.*] Hoc vult, arbitror: Si prius judicium æque latum sit, & pro justa sententia haberi debeat: posterius non aliud quoddam judicium est à priore separatum, sed idem cum eo quod confirmat: ut causam eandem, quia apud inferiorem, mox appellatione interposita, quia apud superiorem judicem mota est, certe nemo dixerit variam & multiplicem esse. Sin prius judicium non fuit, unicum erit ergo judicium hoc alterum, non duplex. Quare hic vir fortis nullo modo ignominiosus esse poterit *Ærodius.*

2 *Atqui si tanquam singula judicia.*] Utut sint hæc omnia corruptissima & obscura, sensus est: Hæc duo utcunque sint judicia, tamen unius loco sunt: & eo apparet, quod singula alia quæque judicia publica, suam pœnam habent. hic duo judicia esse oportet, bisque aliquem damnatum esse, antequam ignominiam subeat. unius ergo judicii vim habent. Quod facilius (inquit) colligi poterit, si adulterum pecunia non infamia multari posuerimus. Sic etiam hic locus restitui potest, *Atqui si, tanquam singula judicia publica pœnas suas habent, hæc duo non habent, non possunt, &c. v. posse.* Idem.

3 *Sane dissimulemus hanc partem.*] Sic fortasse emendari potest hic locus, *Sane dissimulemus hanc partem. Quæritur an sæpius est damnari, esse damnatum iterum. nam alio quoque argumento moveri non possunt.* Vel, *hanc partem qua quæritur an sæpius sit damnatus, qui est damnatus iterum.* Idem.

4 *Quæratur sæpius is se damnatus.*] Sic & Thaddæus. Ærodius, *Quæritur.* Lege: *Quare igitur sæpius est damnatus?* Gronovius.

feciſſet. Vos ergo, qui duobus judiciis eſſe dicitis damnatum, explicate, [1] quid aliud objectum ſit altero, quæ differentia duorum judiciorum fuerit. Eadem adultera dicebatur, iidem teſtes producebantur, iiſdem argumentis premebatur. [2] Hac ſcilicet improbitate qua unius cauſæ vultis duo eſſe judicia, poteſtis & illo modo æſtimare judicium, quam inique ipſa pœna petatur à viro forte. Statuamus duos eſſe, adulterum, qui bis adulterium commiſerit: adulterum, qui bis damnatus ſit. De illo ea dico, Duo cubicula irruiſti, duobus maritis injuriam feciſti, duas familias incerta ſtirpe confudiſti. Huic tu quid objicis? indignatus es quod damnatus eſſes: ſententiæ judicum repugnaſti: perſuadere tibi ipſe non potuiſti eſſe te nocentem. Egregiam Hercules gratiam viris fortiſſimis reddimus: hic ſi magiſtratus eſſe voluiſſet, honores geſſiſſet: ſi ſacerdos eſſe, templis præfuiſſet: hoc egit præmio ſuo ut ignominioſus eſſet: detrahe illi, quod fortiter fecit; detrahe quod optavit; non eſt ignominia: Nondum atrocitas erat. Qualecunque crimen donari meritis, donari virtuti poteſt.

## CCCXI.

### *Addictus manumiſſus.*

ADDICTUS, DONEC PECUNIAM SOLVERIT, SERVIAT. Qui habebat domi addictum, teſtamento omnes ſervos manumiſit; petit addictus ut liber ſit.

### DECLAMATIO.

INtelligimus nihil nobis in hac cauſa verendum magis, quam communem quendam omnium, qui in libertatem aſſerunt, favorem: contra quem non id modo à nobis intelligimus eſſe dicendum, ut præcipue jus tueamur: ſed illud

1 *Quid aliud objectum ſit altero.*] Sic & Thaddæus. Ærodius, *adultero*. Male. *Altero*, intelligo judicio. *Idem.*

2 *Hac ſcilicet improbitate.*] Ærodius, *improbitas eſt*, & claudit periodum poſt *judicia*. Lege. *Ex hac ſcilicet improbitate, qua unius cauſæ volunt duo eſſe judicia, poteſtis & illud modo æſtimare, judices, quam inique ipſa pœna petatur à viro forti.* Idem.

illud etiam, non minus pro eo esse, contra quem videmur agere, [1] si tamen explicet fidem, quod nos contendimus. Id enim hodie quæritur, an servus sit: de liberalitate ejus, qui nos hæredes instituit, nihil querimur. Servos manumisit. Nunc cui controversia movetur? num inviti eos, tristesque in numero civitatis aspicimus? Alia nobis ratio cum debitoribus, alia cum ingenuis: neque nos fugit, velut in contrarium ire litem. Nam si quis ex nobis istum servum vocaret, multa habebat profecto quæ pro se diceret, per quæ ingenuus videretur. Quid enim lex dicit? ADDICTUS DONEC SOLVERIT, SERVIAT: ut opinor, non SERVUS SIT. [2] Plurimum autem refert, an servire merito dicamus: & eos qui in piratas inciderint, & eos qui ab hoste sint capti. Id quod ingenuis natura dedit, nulla fortunæ injuria eripi potest. Id quamvis nulli non vestrum existimo esse manifestum, quibusdam tamen confessis argumentis ostendere volo. [3] Ante omnia servus hic habet nomen, est in censu, aut in tribu. Quorum nihil (ut opinor) deprehendi in servo potest. Aut intervenit ea conditio, ut servire debeat, donec solverit. Hoc ipsum servi

1 *Si tamen explicet fidem.*] Hoc est, si debitum solvat. *Ærodius.*

2 *Plurimum autem refert, an servire merito dicamus.*] A sensu non alienum est, quod quidam apud Ærod. *Plurimum autem refert, an servire, an servum esse dicamus. Servire merito dicimus.* Sed nimis inculcatur verborum. *Serviat, ut opinor; non servus sit. Plurimum autem refert.* Satis commode hic intelligi puto, utrum istorum duorum dixerit lex. Sequentia deleta particula, ut illi: *Servire merito dicimus & eos.* Gronovius.

3 *Ante omnia servus hic habet nomen.*] Hæc & quæ sequuntur omnino conveniunt cum his quæ ab eodem Quintiliano tractantur lib. 5. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. Aliud est (inquit) servum esse, aliud servire, qualis esse in addictis quæstio solet. Qui servus est, si manumittitur, fit libertinus. Servus invito domino libertatem non consequetur: addictus, solvendo citra voluntatem domini, consequetur. Ad servum nulla lex pertinet. Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus. Igitur aliud est, servum esse, aliud servire aut in servitute esse: ut aliud in libertate esse, aliud liberum esse. Decl. CCCXL. infra. Hinc Papinianus l. uxori usufructu. ff. de usu & usufr. lega. Scorpium servum meum Semproniæ concubinæ meæ servire volo: non videtur proprietas servi relicta, sed ususfructus *Ærodius. Ante omnia servus hic habet nomen.*] Expunge τὸ *servus.* Non enim concedit servum esse. Florus 3. 16. *C. Graichum hominem sine tribu, sine nomine.* Gronovius.

servi non est, habere in sua potestate, quando desinat, servire. Fingite enim, judices, aut oblatam esse ab illo pecuniam: aut ex hoc testamento pronuntiatione vestra liberum fieri, num inter libertinos futurus est? Non ut opinor. Atqui si illud in confesso est, eum, qui à servitute in libertatem veniat, non esse alio quam libertini loco, hic solutus hac necessitate, tam ingenuus futurus sit, quam fuit: manifesto ne hodie quidem servus est. Alia quoque complura sunt, quæ intueri licet, si velitis. Servus aut domi natus est, aut relictus hæreditate, aut emptus. Hunc ex quo genere servorum ponitis? domi natum esse se non dicit, ne emptione quidem, aut hæreditate relictum. Pendet igitur omnis hæc conditio ex fœnore. Quid sequitur? ut nomen sit. Hæc ad ipsa testamenti verba. Libet tamen scrutari etiam defuncti voluntatem, qua nihil potentius apud nos, nihil nostro animo sacratius esse debet. Credibile est igitur hoc eum sensisse, ut liberum esse vellet etiam adductum. Servos cur manumiserit, manifestum est: delectatus est officiis, referre voluit gratiam obsequio: alius ægrum curaverat, alius peregrinantem sequutus erat, alius inter tot occupationes domesticas custodierat, alius hoc ipsum fœnus exercuerat: voluit liberos esse quos amaverat, à quibus amatum esse se rediderat. Huic vero quid debuit nisi iram? durum tamen videtur, & inhumanum solum hunc esse in vinculis, & in servitute. Ante omnia si quid asperitatis in lege est, quæ addictos servire jussit, donec solverent, num igitur exigitis, ut dicamus aliqua pro lege? Non est nostræ mediocritatis, non officii, ea quæ prudentissimi majores constituerint, tentare defendere. Verumtamen si intueri velitis, quid æquius constitui potest, aut quo alio custodiri patrimonia vestra, fortunæ sustineri possunt? an vero pecuniam aliquis accepturus, per omnia vitia exhauriet, ut non alligetur ad aliquam solvendi necessitatem? Dura vincla alicui videntur, dura conditio servitutis: reddat, quod accepit. Istic non servitus con-

stituta est, sed illud, quod justissimum est, reddendæ pecuniæ causa.

## CCCXII.

### *Hæredes de deposito.*

Quidam à commilitone ejusdem ordinis depositum petebat: negavit ille se accepisse. Cum res sine teste esset, occidit cum à quo petebat, & se. Petitoris hæres, petit ab hærede alterius commilitonis.

#### Declamatio.

SI pecunia tantum in causa litis esset, parem videremur litigandi habere rationem: [1] nunc illud quidem nobis extra ordinem accidit, quod litigandum est etiam propter ipsum, ne sine causa perierit. Plurimum autem fallitur, si quis eandem conditionem putat hujus judicii ac prioris. Desiit esse sine teste. Ergo jam priori non erat satis pro se dicere: mihi, non mediocre argumentum est. Si quis enim testis idoneus fuisset, videretur hujus fiducia calumniatus: quid in causa est præter veritatem, ut aliquis id petat, quod probari non possit? Et inficiandi quidem depositam pecuniam manifesta ratio est, cupiditatis, lucri: petendi etiam non depositam, si quæ probationis spes, eadem causa sit. Cum quidem aliquis dicit, Deposui apud te, scis ipse: quid aliud videtur advocare quam Deos testes? Dicite igitur causam, quare petierit, si non deposuerat? Habere pecuniam potuit, manifestum est: & ipse reliquit hæredes, & is qui ejusdem ordinis fuit. Multas deponendæ pecuniæ intervenire rationes inter milites manifestum est: longum iter incidit, periculosa expeditio. Si deponenda sit, ubi credibilius est deponi, quam apud hominem ejusdem ordinis? Nam præter id, quod facilior speratur fides ex pari, est quædam ejusdem ordinis conjunctio: nec apud inferiorem deponi solet, cum adeo deponatur, ut recipiatur: credibile est ergo apud hominem ejusdem ordinis deposuisse.

1 *Nunc illud quidem.*] Scribe: *nunc illud quoque extra ordinem nobis accedit, quod litigandum est etiam propter ipsum.* Vel *id ipsum.* Gronovius.

fuisse. At sine teste. De omnibus depositis loquar. Misera hercule conditio mortalitatis, quando omnibus jam, quæ agimus, videtur opus esse teste: ita parum facit veritas, ita nullum nomen est fidei. Non satis videri potest probatum, quod duo sciunt. Veniamus tamen (ut dixi) ad probationem. Occidit eum, à quo pecunia negabatur. Iterum quæro: qua ratione, qua causa? Odium fuit. Unde? Ego quare occidere debuerit, dico: Inficiabatur: tu ut hanc causam occidendi excludas, substituas aliam necesse est, Satis argumenti erat, si occidisset clam, si ex insidiis: si tanquam negaturus. Quæ causa hominem in scelus egit? quid fuit, quod tantam rabiem concitaret, nisi illud, quod sciebat se dedisse? cum dicenti, Apud te pecuniam deposui, respondebatur, Quis testis est? quæ probatio est? quanti animi æstus agebantur? [1]non vobis videbatur, cum feriret, illa dixisse: Ita non de posui? Optime mehercule mihi videtur, ac militari facinore illa exclamasse, I nunc, & nega: I nunc & alienam pecuniam converte in tuas cupiditates: non uteris tamen. Erat argumentum ergo tantum, quod occidit. Quam ultra desideratis probationem? occidit statim moriturus. Frequenter judicia hujusmodi exercentur, ut si res in notitia dicitur esse servulorum, torqueri mancipia videamus. Si nos civitatis & conditio militiæ pateretur, se in tormenta obtulisset, illum poposcisset. Non tibi videtur præbuisse de animo suo quæstionem?

## CCCXIII.

### *Falso cædis damnatus.*

QUI CÆDIS REUM ACCUSAVERIT, NEQUE DAMNAVERIT, IPSE PUNIATUR. DAMNATORUM SUPPLICIA IN DIEM TRICESIMUM DIFFERANTUR. Accusavit quidam & damnavit: [2] in diem tricesimum dilata damnatio est: intervenit is qui occisus dicebatur, petit reus pœnam accusatoris.

SERMO.

*Non erit alienum, advocatum dare huic accusatori. Fecit rem (ut*

1 *Non vobis videbatur, cum feriret.*] Malim, *videatur.* Idem.

2 *In diem tricesimum.*] Hæc lex postea ab Imperatore Theodosio renovata est.

*(ut parcissime dicam) pœnitentia dignam: & fortius defendetur ab alio, & majore cum verecundia patronus confitebitur, si quid confitendum est. Et quotiens causa plus juris habet quam pudoris, ad eum transferenda est qui non erubescit.*

## Declamatio.

REum capitis arcessitis in ea civitate, in qua hoc grave & indignum videtur: & reum capitis arcessitis, qui ipsi intolerabilem hanc crudelitatem vocatis. Conveniebat iis, qui temeritatem accusationis incusant, nihil nisi certum exploratumque deferre. Ergo lege occidi vultis hunc statim, [1] qui reum cædis detulerit. Hactenus agnosco: detulit enim, quem defendo, damnavitque: hoc jam ad nos pertinet. Hic enim indamnatus est. Sequitur ergo, [2] ut aliam legem afferamus, aut hanc mutes, aut hoc audeas dicere, Jus aliquod tibi esse constitutum. Ad interpretationem nos vocas, & ex hac lege, qua litigas, aliam constituere conaris. Non ista res judicum, non horum, qui ad certa jura, & quidem jurati, consederunt. Deflecti jura ne pro defensione quidem æquum est: legem vero mutare, ut occidas, & crudeliter interpretari jus, quod à magistratibus scriptum est, cujus animi est? Ego legem habeo adversus eum demum scriptam, qui detulerit, neque damnaverit. Non scrutor, quid voluerit legumlator: neque

est. l. si vindicari. C. de pœnis. cap. cum apud Thessalonicam. 11. quæst. 3. *Ærod.*

1 *Qui reum cædis detulerit. Hactenus agnosco.*] Ærodius: *detulerit damnaveritque. Hactenus legem agnosco.* Cui subscribere non possum. Nondum enim additum voluit declamator damnasse, & de lege sufficit intelligi. *Hactenus*, inquit, *agnosco*, scilicet, quod est in lege, quodque de reo dicitur. Hucusque agnoscere cogor. Sed est proximum aliud, quo eadem lege apparet nos non teneri. *Detulit enim, quem defendo, damnavitque: hoc jam ad nos* (id est, hac parte) *non pertinet.* Sic recte Ærodius. Hinc apparet totam eam legem nobis aptari non posse, *Hic enim indamnatus est.* id est, hunc non pronuntiatum est injuste detulisse. Vel etiam, *Hic enim damnatus est*, nempe quem detulit. Itaque miror, quid in mentem venerit Ærodio, cum faceret: *Hic enim indemnatus est, quia accusatus non est.* Gronovius.

2 *Ut aliam legem afferamus.*] Immo *afferas.* Idem.

[1] neque enim possum. [2] Sæva inquisitio in præterita est. Id sive voluit esse, quod scripsit, sive aliud aliquid cogitavit, hoc scripsit, [3] hoc jure viximus, hoc spectavit. Nihil minus ferri oportet in civitate, quam ut lex decipiat. Innocentem accusavi: satis est, quod damnavi, neque enim lex ista scripta est, ut qui innocentem accusaverit, capite puniatur: sed ut puniatur, qui accusaverit, nec damnaverit. Quomodo ergo nihil prodesset accusatori, si non damnasset, postea nocentem esse compertum eum, quem accusavit: ita ei, qui fortunam secundam, judicii tulit, non debet nocere, quod postea accidit. Lex talem conditionem judicii facit, in quo cædis accusatur reus, [4] ut utique adversus alium pronuntietur: aut reum damnari oportet, aut accusatorem. Tu quid vis? ut uterque damnatus sit: [5] an ut istud verum sit, ut damnatus sit reus & accusator: illud tamen lex voluit. Transeo, quod pernicioſum sit interpretari legem, & [6] ad ingenia utriusque converti: id quod scriptum est, ne dubitaretur, dubium fieri, postquam scriptum est. [7] Descendo ad hanc quoque intentionem: non quia necesse est, nec quia ad vestram religionem pertinet, nec quia solvit ista res jusjurandum: sed quia victori obtinentique causam [8] facile est, & debet disputari.

Recte

1 *Neque enim possum.*] Nempe illud est quod Julianus ait, Non omnium quæ à majoribus constituta sunt, &c. Demosth. κῦ μειδ. χρὴ ὅπως μὴ πιθήσεται τὸς νόμος, οἵτινές εἰσι σκοπεῖν. ἐπειδὰν δὲ ψηφίσῃ, φυλάττειν κὴ χρῆσθαι, ὡς ἄριστα ἔχει, inquit Plato. *Ærodius.*

2 *Sæva inquisitio in præterita.*] Nihil hic neque sævitiæ neque crudelitatis. Lege: *Sera inquisitio.* Gronovius.

3 *Hoc jure viximus.*] Cur non *vivimus.* Idem.

4 *Ut utique adversus alium pronuntietur.*] Ærodius: *nec utique ut adversus alium pronuntietur, sed aut reum.* Nihil hic mendosum, nisi vox *alium*: pro qua subſtitui oportet *aliquem* vel *alterum.* Cæterum his verbis confirmatur, quod supra dixit: *Hic enim indamnatus est.* Idem.

5 *An ut istud verum sit.*] Scribe: *At, ut istud verum sit, ut damnatus sit reus & accusator, illud tamen lex voluit* Nempe, ut alter tantummodo damnaretur. *Idem.*

6 *Ad ingenia utriusque converti.*] Ærodius: *ad ingenia cujuscunque converti.* Forsan, *ad ingenia ludibriaque converti.* Idem.

7 *Descendo ad hanc quoque intentionem.*] Forte *contentionem.* Etsi nota sit apud rhetores *intentio* accusatoris. *Idem.*

8 *Facile est & debet disputari.*] Scribe: *facile est de lege disputare.* Ærodius.

Recte fecit legumlator, qui ita scripsit legem, ut non puniretur, si condemnasset. Quare? noluit accusatorem esse calumniatorem, noluit accusatorem dare aliquid odio. Alioqui scimus multa vera quidem non esse, credibilia tamen esse. [1] Accusator quid debet tibi? ut eum deferat, adversus quem argumenta habeat: adversus quem testes habeat: alioqui nocentem an innocentem qui scit? Ipsi judices hoc non pronuntiant: sed se ex animi sui sententia facere profitentur. Quis autem miratur si ea res accusatorem decepit: quæ decipere judices potuit? Accusator cum id effecit, ut reus damnandus videretur, reddidit rationem accusationis. Nullus autem [2] tam inimicus legislator fuit, ut errorem accusatoris punire vellet. Oportet esse in civitate & accusatores: alioqui omnia mittuntur ad manus, omnia mittuntur ad ferrum. Per se difficilem rationem [3] vindictæ, & ultionis facimus, pene licentiam grassatoribus & latronibus damus, quod nemo accusare sine periculo capitis sui potest. Sed tamen adversus hæc illud remedium est quod accusator cogitat quid objecturus sit. Si ne hoc quidem prodest, vidisse aliquid in accusatione, motum esse probabilibus argumentis, in totum judicia ista tollemus. Hunc autem habuisse, quare accusaret, credite judicibus, qui damnaverunt. Hic inimicus. quid illi, qui cognoverunt? quo vultis motos esse judices, ut damnarent? Non enim moti sunt auctoritate ipsius accusatoris, [4] argumentis moti sunt: illis credimus testibus moti sunt? hos habebamus. Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit: quoniam videbat legumlator posse fieri, ut deciperetur accusator. Itaque ejus, qui non damnasset, præsentem pœnam esse volue-

1 *Accusator quid debet tibi? ut eum.*] Ærodius: *tamen esse accusator debet qui tibi vel eum.* Potius: *Accusator quid debet reipublicæ? verum deferat.* Gronov.

2 *Tam inimicus legislator.*] Immo *tam iniquus.* Idem.

3 *Vindictæ & ultionis facimus.*] Ærodius: *vindictæ difficiliorem facimus.* Quid si: *Per se difficilem rationem vindictæ & ultionis facimus.* Idem.

4 *Argumentis moti sunt: illis credimus.*] Forte: *credidimus.*] Idem.

voluerunt, nulla dilatio est. Quid te movit? quid attulisti ad judicem? Hoc enim vult [1] lex prius etiam [2] approbari ipsi accusatori. Ergo etiam voluntas legis pro nobis est, & non tantum scriptum, quod satis erat. [3] Nisi ita recedamus ab eo quod propter te nostrum est, ut concessisse videamur. Sed ut transissetis, rursus, id quod dicebat, cum suspectus esset reus, boni erat civis accusare: neque aliter stare leges possunt, neque aliter civitas. Accusavi, quid postea? quoniam homo occisus videbatur. Hic tamen perire potuit, & occidi potuit, & hoc indignum est. Primum omnium [4] durum est, unam indici utrique fortunam, & occidi hominem, quia aliquis occidi potuerit. Hujus culpæ ita magna pœna est, causam edicitis. Deinde hoc non tantum accusatoris culpa factum est. Fortasse ita vixeras: multa petulanter, multa temere, multa cruente commiseras. Turpissimi hominis argumentum est innocentem posse damnari. [5] Non enim dicit corruptum esse judicium, non versatam pecuniam, ita non erubescis? homicida visus es. Tu porro tantum accusatori irascceris? non idem de te judices senserunt? non omnium sententiæ?

## CCCXIV.

1 *Lex prius etiam approbari.*] Ærodius: *vult lex prius, reum approbari.* Legamus: *Hoc enim vult lex, prius rem approbari ipsi accusatori.* Idem.

2 *Approbari ipsi accusatori.*] Quasi dicat, Dum lex punit temerarium accusatorem, etsi demus hunc nostrum illa lege non comprehendi, quia reum suum damnavit, licet revera innocentem ut ex post facto apparuit. non tamen eum punit, qui probabili ratione venit ad accusandum. Hoc enim in accusatore lex postulat, ut quod ait coram judice, id apud se prius judicet & probet, justa ne causa vel dolore moveatur. *Ærodius.*

3 *Nisi ita recedamus ab eo.*] Ærodius: *Nisi à jure recedamus, habeo.* Alii, *Nisi jura rescindamus.* Deinde: *Sed ut transisset lis, rursus id quod dicebam.* Mihi nascebatur: *Nunc ut recedamus ab eo, quod proprie nostrum est, ut concessisse videamur, tamen esset rursus ei, quod diceret. Cum suspectus*, &c. *Gronovius.*

4 *Durum est unam indici utrique fortunam.*] Sensus est, Atqui innocens occidi potuit, ni intra tricesimum diem pœna dilata esset, quod certe indignum est. Sed illud indignius & acerbius, utrunque puniri, ac perire simul accusatorem & reum: occidique hominem, non quia aliquis occisus sit, sed quia legibus occidi potuerit, & quanvis, innocens, suspectus tamen, ideo damnatus & convictus. *Ærodius.*

5 *Non enim dicit.*] Lege, *dicis.* Gronovius.

## CCCXIV.

## *Ego te, pater, occidi.*

Parricidi reus paribus sententiis absolutus, furere cœpit, & dicere per furorem frequenter, Ego te, pater, occidi. Magistratus tanquam de confesso supplicium sumpsit, reus est cædis.

### Sermo.

*Si qua erunt quæ à me in divisionibus controversiarum dicantur eadem, frequentius intelligite fieri: primum, propter interventum novorum: deinde, propter conditionem divisionum. Nam hi qui antea non audierunt, pertinentia ad plures controversias debent cognoscere: & ad præsentis materiæ controversias nihil interest, quomodo ego diviserim. Est autem communis cura aliis controversiis hujus materiæ: illud, quod Reus magistratus, de cujus personæ dignitate hæc ipsa res satis pronunciat: videtur etiam de anteacta vita probari, eo modo quo creatus est. Secundum illud æque commune, Quod nullas simultates executus est: nullam spem ex cæde ejus quem occisum accusator queritur, concipere potuit: & officio impulsus, etiam si lapsus est, tamen, veluti leges, consilio deceptus est. Ut hæc communia, ita illud jam proprium, ut si illum adversus hunc adolescentem habuisset odium magistratus, magis insania ejus vindicabatur. Si cum ita præparaverit causam, incipit de jure suo loqui.*

### Declamatio.

Magistratus de confesso sumat supplicium. Durum ministerium & injucunda honoris hujus necessitas. Sed quis potius leges exequitur, & hominum commissa, nisi qui rempub. administravit? nemo istud faceret libenter, nisi necessitate. Ergo non solum licuit mihi occidere confessum, sed etiam, si nollem, necesse fuit. Videamus, an ille confessus sit. Testes præbeam vobis? tota civitate audita vox est. Ne ipsos quidem accusatores negaturos esse confido, ipsius voce, ipsius lingua esse dictum. Ego te, pater, occidi: & non semel dictum, ne casus videretur. At enim confessio habenda non est,

est, nisi quæ à sano proficiscitur. Non video, cur ad hanc interpretationem deducatur vis istius verbi, quod lege comprehensum est. Ego enim confessionem existimo, qualemcunque contra se pronuntiationem: nec me scrutari lex jubet, qua quis causa confessus sit. Imo ea natura est omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur. Furore impulsus est: alius ebrietate, alius errore: alius dolore, quidam quæstione. Nemo contra se dicit, nisi aliquo cogente. Quod enim genus confessionis exigitis? Ut aliquis securus, quieta mente, nullo adigente dicat: Ego patrem occidi. Atqui ipsum verbum videtur habere vim coactæ veritatis. quid ergo aliud intueri debes, quam vocem? Si semel hoc audissem, lex tamen me jam appellaret: sæpius dixit: in eadem voce perseveravit. Viderimus, an in aliis partibus demens fuerit. Hic, tanquam sanus, perseveravit. De confesso ergo sumpsi supplicium: atque ad me non pertinet, an is, qui confessus est, nocens fuerit. Fingite enim esse aliquem [1] qui aliquo modo confessus sit, hunc à magistratu occisum: postea apparuisse aliquo casu falsum fuisse, quod dixisset: num agi cum magistratu potest? Lex, quæ confessum puniri jubet, [2] sententiam ipsi non reliquit. Descendamus tamen eo, quoniam filius est, ut quæramus, an ille etiam parricida fuerit. Nec mihi necesse est dicere illa, quæ ab accusatore dicta sunt. [3] Habuerit ille causas, propter quas deferret, habuerit testes suos, habuerit argumenta: & profecto creditis non sine magna fiducia delatum esse tanti criminis reum. Mihi in argumentum sufficit genus absolutionis: paribus sententiis absolutus est. Hoc in alio genere causæ dubium est, in parricidio vero, quod probare nemo voluit, quod falsum esse ad vota pertinebat, diversam habuit pronunciationem.

Objectum

1 *Qui aliquo modo confessus.*] Haud dubie, *alio*. Gronovius.

2 *Sententiam ipsis relinquit.*] Lege, *sententiam ipsi non relinquit*. Ærodius.

3 *Habuerit ille causas.*] Nihil est dubitabilis. Adfirmavit igitur: *Habuit ille causas, propter quas deferret; habuit testes suos, habuit argumenta*. Gron.

Objectum est alicui mortalium, quod patrem occidisset: quod eum, cui lucem, cui hæc beneficia rerum naturæ debebat, sua manu trucidasset, & hoc pars judicum credidit? Ego vero illos & probo, & miror, qui absolverunt: pars tamen judicum pronuntiavit, factum esse parricidium: pars, incredibile esse. Hos movit, quod probari poterat: illos quod negari. Reus ergo suspectus, & in eam partem accipiendus, ut fecerit. Quid supereſt? per dementiam confessus est. At mihi pro causa mea summum videtur argumentum ipsa dementia, etiam si confessus non esset. Non sine causa videlicet vetus illa & antiqua ætas tradidit, eos qui aliquod commiserunt scelus, furiis agitari, & per totum orbem agi. [1]Ut nomina mentita sint, ut aliquid fabulæ fingant; ab aliquo tamen exemplo ista experimenta venerunt. Factum esse aliquid necesse est, ut hoc credibile videretur, sive istud Dii immortales, qui non judiciis falli, non gratia circumveniri, non ignorantia decipi possunt, constituerunt. Ego vero gratulor mortalitati. Colite homines innocentiam, & nullam spem impunitatis ex secreto scelerum conceperitis: licet nulli hominum prospexerint oculi, licet nulla cujusquam mortalium conscientia intervenerit: sub cœlo tamen feciſtis, & ille fusus per omnes rerum naturæ partes spiritus, adfuit: erat illic potentior testis. Non quidem apud judicem dicet, nec oratorum interrogabitur artibus: sed loquetur ore vestro. Tu forsitan cum miserum patrem trucidares, tollentem ad sidera manus risisti. Inane hoc supra nos, vacuumque cura cœlestium putabas. Sunt illa vera quæ extremo miseri spiritu dicebantur, Dabis mihi, scelerate pœnas; persequar quandoque, & occurram. Et quod ad me quidem pertinet, judices, non aliam hujus dementiæ putem fuisse rationem quæ cœpit post absolutionem. Nec tamen illa mihi vana quorundam videtur esse persuasio, qui credunt, non

1 *Ut nomina mentita.*] Lege, *Ut nomina mentita sint, ut aliquid fabula affingant.* Idem.

non extrinsecus has furias venire, nec ullius Deorum impulsu hanc mortalibus incidisse dementiam: sed nasci intus: conscientiam esse, quæ torqueat: animum esse qui urat. Iterum gratulor. Bene hercule factum est, quod etiam si omnes fefellerimus, effugere non possumus nos. Ite nunc, & dicite. Demens erat, cum confessus est. At mihi videtur demens fuisse, cum occidit. Ergo quodcunque illud furoris genus, aut pœna à Diis immortalibus constituta, aut confessio quædam nocentis animi videretur. Videamus tamen quomodo insanierit. Si per præcipitia ferretur, dicerem, Agit aliquis deorum. si in obvios occurreret, dicerem; Ultionis quæritur materia. Nunc vox una, vox eadem ad judices, & per totam civitatem: Ego te, pater, occidi. Invenire liceat, quid factum sit, non est dementia, Ego te pater, occidi. Hoc si vos furorem vocatis, idem pars dixit judicum: nihil variatum, nihil ex more aliorum insanientium mutatum est: Ego te pater, occidi. Longa confessio est: repetita totiens confessio est. Ecquid concipitis animis imaginem illam, quæ hoc coëgit? Stabat profecto ante oculos laceratus, & adhuc cruentus pater: ostendebat effusa vitalia, totus ille ante oculos locus, [1] totum scelus mente & cogitatione perflexum. Non potest fieri, ut per dementiam videatur totiens confessus qui nunquam negavit. Ite nunc, & paribus absolvite.

## CCCXV.

### *Fortis pater desertoris.*

VIR FORTIS DESERTOREM SUA MANU OCCIDAT. Eodem prælio, quo pater fortiter fecit, ejusdem filius deseruit. Petit præmii nomine, ut eum non ipse occidat.

#### DECLAMATIO.

Fortis præmium petit.

SERMO.

1 *Totum scelus mente & cogitatione perplexum.*] Alii apud Ærodium *perfixum.* Forte, *repetitum.* Idem.

SERMO.

*Illa communia noctis.*

DECLAMATIO.

Scriptum est.

SERMO.

*Est illud commune.*

DECLAMATIO.

Merito scriptum est: magno labore, multis periculis consequutus sum.

SERMO.

*Est aliquid proprium controversiæ huic.*

DECLAMATIO.

Peto præmium fortis, qui senex fortiter feci, qui in ea acie fortiter feci, in qua & filius meus fugit. Sed contra legem petis.

SERMO.

*Iterum illa communia. Omne privilegium contra reliqua jura esse: viris fortibus non posse præmia persolvi, nisi cum alia inclinatione legis alicujus. Hæc jam prompta ut comparemus, etiam si contra legem optamus, utram tamen magis servari legem placet: utrum eam, quæ honorem dat benemeritis; an eam quæ constituit pœnam peccantibus. Deinde specialiter, utrum eam quæ honorem viro forti dat, an eam quæ pœnam desertori constituit. In utraque re speciosus & apertus tractatus est: nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, & quanto cum periculo: & excusare & [1] dare veniam aliquam, ut natura dignum sit: & difficile fortiter pugnare, quam mirum esse aliquem qui deserat: hic clamor ille utriusque exercitus, tela illa in nos & in oculos venientia, & [2] cadens secundum latus commilitonum gemitus vulnerato-*

1 *Et clare veniam aliquam.*] Hic quoque male habitus locus. Fortasse: *nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, & quanto cum periculo; & excusare, & petere veniam aliquam.* (vel, *& dandam veniam dicere*) *ut natura magnum sit & difficile fortiter pugnare, ita non mirum esse aliquem, qui deserat.* Idem.

2 *Cadens secundum latus commilitorum.*] Scribe: *commilito, tum gemitus vulneratorum.* Vidit in parte Ærodius. *Idem.*

*neratorum: & fragor ille armorum & nitor ferri. Deinde cum comparaverimus leges, nihilominus & molliamus quæstionem.*

## DECLAMATIO.

Non utique periit lex: quare? quoniam plurima accidere possunt, ut desertorem non vir fortis occidat. Hæc enim sic dixi: tanquam impunitatem deserteris peterem: nunc de pœna nihil detraho desertoris, de ministro tantum, de manu tantum quæritur. Frequenter autem necesse est accidat, ut desertorem non vir fortis occidat: finge deseruisse aliquem, & neminem fortiter feciſſe: incolumis erit desertor? Finge fortiter pugnasse aliquem, sed in ipsa pugna debilitatum, ita ut manum amitteret: nunquid non necesse est subire aliquem hoc ministerium? Hoc de alienis. Præterea lex quæ desertorem à viro forti occidi jussit, nihil cogitavit de hac necessitate. Quædam etiam si nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. An hoc cogitatum esset, ut pater filium occideret? ut frater fratrem occideret? nam id quidem profecto vix natura ipsa videbatur admittere, ut in eadem acie pater fortiter faceret, filius desereret. Itaque si illud non præmii nomine peterem, si aliter gratiam mihi retulissetis, recusarem: dicerem, Non utique occidere debeo, plus est, quod opto. Lex desertorem & virum fortem nominavit. Mutata sunt omnia: filius deseruit. Ergo hæc dixi: adhuc debetur mihi quodcunque præmium: dicetur vel contra legem. Mea lex utilior est reipublicæ. Non utique contra legem peto, quoniam multa accidere possunt, ut non vir fortis occidat. Non contra legem peto, quoniam fieri non potest, ut & hoc voluerit, ut à patre filius occidatur. Renuntio reipublicæ, non utor honore constituto: nemo queretur de iniquitate præmii mei, nemo me impotenter uti fructu virtutum existimet. Non feci fortiter. Erratis commilitones: blanditus est mihi imperator: [1] decepit

1 *Decepit te fama civitatis.*] Scribendum, *Decepit te fama, civitas.* Idem.

cepit te fama civitatis. Ego fortiter homo senex? Ego fortiter desertoris pater? At putate hoc me obtinere non posse. Non utor honore virtutis, non subeo onera viri fortis: nolite mihi dare præmia, non occido desertorem tanquam vir fortis. Demittite me à merito meo: liberate me nomine, & sane quam habetis aliam vindictam? Lex occidi à viro forti desertorem voluit, tanquam inutilissimum, tanquam inimicissimum, neque enim pœnam hanc viro forti constituit, neque imposuit recusanti, neque ullam necessitatem nolenti. Quid etiam facietis, si non occidero? [1]Quis est hujus constitutionis exitus? legem nullam habetis. Sed vindicare vos vultis. Adhibete carnificem, occidite utrumque. Bene hercule exhortamini: est, quare arma senex resumam. Fortiter feciſti, plurimum reipublicæ tuæ præstitisti, velis nolis. Quid igitur hæc ad parricidium? Et filium occide, & parum sit tibi perdere. Vehemens erat, si dicerem, nolo occidere: ignoscetis mihi dicenti, Non possum: manus illa quæ fortis dicebatur, defecit. Scio nunc me, judices, reprehendi à bonis patribus, tanquam præmium optare nesciam: melior enim & indulgentior pater hoc diceret. Donate meritis meis filium: ita ego quod fortiter feci, quod tantum hostilis sanguinis fudi, quod inter momenta victoriæ fui, non est pro opera duorum. Ego si melior essem pater, illud quoque simpliciter confiterer, deseruisse filium mea culpa. Quid enim necesse fuit educere in aciem adolescentulum? Quid necesse fuit rudes annos, cum gravissimo hoste, acerbissimo prælio componere? aut certe si tantus gloriæ amor, si tanta cupido laudum, recedere à filio meo non debueram: & feci, judices, primum, & tanquam instituerem filium rudem militiæ, non procul à latere reliqui. Decepit me ardor ille belli: ut primum signa canere cœperunt, primum totum animum percussit patria, sola virtus: adolescentulus interim

1 *Quis est hujus constitutionis exitus.*] Forte, *contentionis.* Idem.

interim rudis in illa nube pulveris, in illa confusione permixtarum utrinque legionum, virum fortem sequi non potuit. At ego infelix, etiam invidiam filio feci, & spolia retuli, quo minus illi ignosceretur. [1] Quo me ducis, anime? quo me trahis, affectus? Placet causa: sed aliud optavi. Nihil est, quod ex meo favore speres, juvenis infeliciſſime: nullam fiduciam ex hac quantulacunque operæ meæ gratia capias: moriendum est. Debetur hoc sane disciplinæ militari, debetur castrorum severitati. Infelix exeuntium omen, miseræque primitiæ! Si alterum utique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis? Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius? Et [2] si contigisset felicitati, felicior quies, optimus filius eras. Moriendum est: quid tibi præstare infelix pater possum: cum duceris, flebo, plangam. Hos, quos sumpseram modo ex victoria publica lætos habitus, abducite. Merui ambitiosus pater, scilicet, ne quid de militari severitate detraherem, ne viderer vir fortis desertori ignoscere. Contentus fui post tot merita, favente tota civitate, ut tantum innocens essem. Et ecce jam miserantes video judicum vultus quorundam deprehenduntur lacrymæ. Potui plus optare, potui. sic quoque ego te, fili, occidi. At tu quisquis es, in quem transferetur hoc infelix ministerium, supremas audi patris miserrimi voces: Hoc saltem fortunæ meæ præsta, Semel ferias.

## CCCXVI.

### *Flens luxurioſi pater.*

Flens pater per publicum, filium luxuriosum sequebatur. Dementiæ reus est.

SERMO.

*Hoc genus controversiarum pene divisionem non exigit. Illa communis*

1 *Quo me ducis anime.*] Vet.cod. *ante me.* Pith.

2 *Si contigisset felicitati.*] Thaddæus & Ærodius *felicitate.* Corrige: *Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius, &, si contigisset civitati felicior quies, optimus filius eras.* Gronovius.

*munis fere, omnibus ex lege dementiæ pendentibus controversiis, quæstio est; quod dementia sit: & an hæc dementia sit. In eo quod quærimus, quid sit dementia, & finitionibus utrinq; positis, & omni tractatu hanc controversiam dividemus: ut quæratur, utrum demenia ea demum accipi debeat, quæ habeat æqualem mentis errorem, an etiam ex singulis vel paucis intelligi possit. Hæc sæpe tractata sunt: ad crimen ipsum veniamus. Intelligo & indignari posse hunc patrem, quod reus dementiæ à luxurioso fiat, & eum multa graviter & aspere dicere contra filium posse. Recipit adversarii persona: sed videamus an recipiat nostra. Nam sic ut paulo ante præcipiebam vobis, ut personam intueremini, ejus apud quem dicenda esset sententia: sic nunc quoque admoneam necesse est, ut intueamur personam, quam nobis induimus. Pater hic qualis est? non acer: luxurioſum non abdicavit, non convitiatus est: etiam cum aliquid admonendi gratia faceret, tacuit tamen, non durus: flevit enim. Quicquid contra colorem talis animi dixerimus, quodam modo contra thema dicemus. Consilium itaque totius actionis ex his capere debemus, quæ præcesserunt. Quid aliud præcesſit? mollis invidia. Ergo cum adprobaverimus non uno facto dementiam esse convincendam, veniemus ad ordinem defensionis. Anteactæ vitæ ratio constet. Hoc non propterea tantum dicendum est, quod sic defendi reus potest: sed etiam quod invidia redit ad accusatorem. Omnia quæ pro se dixerit, in filium dicet.*

## Declamatio.

Quid feci dementer? juvenis frugaliter vixi, patrimonium auxi, uxorem duxi, filium sustuli, hunc amo. Flens (inquit) me per publicum sequeris. Poterant illa & separata defendi: nam neque admirationi profecto cuiquam mortalium esset quod pater filium sequerer, & separatæ ab hoc lacrymæ poterant videri non ad te pertinere. Sed ne ulla arte suffugere crimen accusatoris mei videar, totum hoc quod objicitur jungam. Lacrymæ sunt in culpa? Fleo fortasse supervacua, sic me consolaris, sic lacrymas patris tui siccas. Flendum mihi hodie foret, etiam si hoc antea non feciſſem.

Sermo.

## SERMO.

*Nolo quisquam me reprehendat, tanquam vobis locos non dem, si ampliare declamationem voletis & ingenium exercere, dicetis quod ad causam hujus nullo modo, ad delectationem aurium fortasse pertineat.*

## DECLAMATIO.

Nondum privatas ac peculiares lacrymarum reddo causas. Interim quis miratur flere hominem? hinc infantia incipit: in hanc necessitatem plerunque fortuna deducit. Quis enim est dies, qui non triste aliquid & flebile nobis minetur? Si nullam aliam rationem lacrymarum haberemus, conspectus tamen hominum, & ratio mortalitatis poterat elicere fletus. Hæ amicitiæ, hæ propinquitates, hi congressus, hæc studia, laudesque intra breve temporis momentum occident, atque labentur. Quotus quisque transit dies, quo non funus accipiamus? Flens me sequeris, & per publicum sequeris. Non totum crimen objicis: diu hoc antea domi feci. Quantulum temporis spatium est; quod talem me vides? flere secreto, ubi cubiculum & nox & animus sibi relictus est. Flens sequeris? quod possum. Miror equidem illos fortissimos patres, qui hunc animi dolorem semel recidunt, & in universum flere definito aliquo temporis spatio semel queant. Flens per publicum sequor. Quid ergo non misereris? gratulor crimini meo. Si movi, si hæc tibi gravis videtur invidia, quid opus erat accusatione? quid judicibus? quid hac probatione dementiæ sanare me poteras. Exigis tamen causas lacrymarum mearum. Non me pecunia movet; divites aliquando fuimus: non illos late quondam patentes agros desidero, non fœnus, nec ingens pondus argenti. Nuper in modo desideravi vernulam meum.

## CCCXVII.

### *Imperator provocatus à filio.*

Qui provocatus ab hoste non pugnaverit, capite puniatur. Filius imperatoris ad hostes transfugit, provocavit patrem. Ille non descendit in certamen solus, sed acie commissa vicit hostes: in quo prælio & filius ejus cecidit. Accusatur, quod provocatus ab hoste non pugnaverit.

#### Sermo.

*An quisquis ab hoste provocatus non pugnaverit, puniri debeat: an hæc lex ad imperatorem pertineat: an hic ab hoste provocatus sit: an pugnaverit.*

#### Declamatio.

Qui ab hoste provocatus non pugnaverit, capite puniatur. In omnibus quidem legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem. Verba enim ambigua, & in plures intellectus ducta sunt: scribendarum legum causa, voluntas fuit. Ergo id unum spectari convenit, propter quod scriptæ sunt. Hujus autem legis manifestum est hanc voluntatem esse, uti puniatur, quotiens commissum est, propter quod constituta pœna est: supervacuum supplementum est. Ut contra verba interpretatio sequatur, aliquid frequenter accidere potest, cum in aliis legibus, tum in hac præcipue. Fingamus enim ab hoste provocatum aliquem ægrum: fingamus provocatum eum, qui proximo prælio debilitatus sit: fingamus esse provocatum, quem imperator in aliam partem expeditionis ire jusserit: profecto adversus neminem horum actio ex hac lege dabitur. Atqui mihi satis est efficere, ut alicui non pugnare liceat. Nam si ulli potest dari hæc venia, non dubitabitur, quin patri detur. Sed antequam naturam defendo, imperatoris volo defendere dignitatem. Contendo hanc legem ad milites pertinere: primum quod inter hos fere provocatio sit: deinde quoniam legum-

legumlator [1] nunquam profecto tam inimicus fuit, ut periclitari ex eventu pugnæ [2] unius civitatem, summamque reipublicæ vellet. Fingamus enim ab aliquo ultimo militum provocari ducem: idem discrimen, idem periculum, par eventus est. Adjice quod [3] inter præcipuas virtutes est, imperatorem non pugnare aliquando. Sic extrahitur hostis: sic impetus subitos partis adversæ frangit mora: sic intercluſos commeatibus in deditionem venire fame cogimus. Itaque hercule militem legimus robustum, legimus juvenem: imperatorem facimus senem. In illis enim vis corporum & manus sola spectatur, in his consilium & ratio: quæ bona præcedentis ætatis in locum virium subeunt. Ipsum præterea nomen imperatoris satis significat [4] non exigere manum ipsius. Imperare enim debet & præcipere. In summam, ab eo, qui provocatus ab hoste non pugnaverit, supplicium optime exigit imperator. Ergo si hoc solum apud vos dicerem, Non pugnabit dux, non pugnabit senex, non fecit summæ rei discrimen: satis tamen ista defensio videretur. Adhuc tamen propius accedere ad interpretationem legis volo: &, quatenus pars diversa scripto innititur, etiam ipsa verba scrutari. Quid tandem dicit lex? QUI AB HOSTE PROVOCATUS NON PUGNAVERIT. Ab hoste igitur, non à transfuga. Nec unquam habuerim hunc ego perditissimo parricidæ honorem, ut illum in numero ponam eorum hominum, qui pro republica sua, qui pro patria pugnabant. Et si verba ipsa intuemur, hoc satis est: si vero introspicere voluntatem voluerimus, ecquid manifestum est non hoc sensisse legumlatorem, ut ulla necessitate posset cogi pater cum filio dimicare? an vero is qui scripsit, HOSTEM, non videtur scripsis-

1 *Nunquam profecto tam inimicus.*] Lege ut supra, *tam iniquus.* Idem.

2 *Unius civitatem summamque reipublicæ.*] Suspicor scripsisse auctorem, *summamque rempublicam vellet.* Vide ad Livium. *Idem.*

3 *Inter præcipuas virtutes est, imperatorem non pugnare.*] Lege: *virtutes est imperatorum, non pugnare aliquando.* Sive mavis *imperatoris* aut *imperatorias.* Idem.

4 *Non exigere manum ipsius.*] Scribo, *exigi.* Idem.

scripsisse, Alienum? summa hac nominis utique minora complexus est. Non ergo cogi potest quisquam lege, ut cum filio suo pugnet. Hic tamen non defenditur affectus & pietatis simulatione. Ego vero (inquit) pugnavi: sed quo modo pugnare oportebat vestrum imperatorem. Unius sanguinem exigitis? exercitum cecidi: par gladiatorum simile postulatis? totius civitatis victoriam retuli. Numerate captivos, numerate spolia: & [1] æstimate, an damnari debuerim, quia plus præstiti. Quæ sunt enim, quæ lex postulet? illa quidem pugnam tantummodo meam. Veruntamen videtur tacitum hoc scribentis fuisse votum, ut & hostis occideretur. Utrumque præstiti: & ego pugnavi, & ille occisus est. Sed non continget ea perditissimo juveni, quam quærebat, invidia, ut videretur scelere occisus, ut nobilem facinori suo exitum daret: jaceat in turba. Vos oro qui illud pugnæ genus exigebatis, utrum tandem eventum concepistis animo? Vicisset juvenis senem, vicisset sceleratus pium: quantum respublica detrimenti, quantum lacrymarum, quantum luctus amisso duce haberet, & fractis militum animis & inclinata in posterum spe? An vero imperator noster occidisset illum temerarium juvenem & sceleratum? eratne tanti ut publice commissum parricidium videretur? non iram numinum, non sterilitatem, morbosque, & alia quibus magna scelera expiari solent, timeremus? ab hoc omine commisisset aciem?

## CCCXVIII.

## *Legatum inter libertos.*

Testamento quidam instituit hæredem amicum, & petit ab eo, ut ex duobus libertis, quos relinquebat, utri vellet, decem millia daret. Unus ex libertis petit, judicio contendit. victus est. petit alter.

### Declamatio.

Quæ mihi jura, quam vetera cum patrono eorum fuerint, non est dicendum. Hæres sum. Quantopere his

[1] *Æstimate, an damnari debuerim.*] Lege, *debeam.* Idem.

re his post libertatem satisfecerim, videlicet hac contumelia, qua mecum consistunt, æque manifestum: neuter apud illum meruit, ut decem millia acciperet. Quare ergo hoc testamento cavit, ut darem hanc summam, utri vellem? non poterat aliter efficere, ut mihi isti obsequerentur. Excogitavit ergo optimus omnium amicorum, quomodo isti, tanquam patrono, mihi obsequerentur: cum alioqui prædivinaret hoc, quod accidit, nullam apud istos fere amicitiæ summæ, nullam nostræ conjunctionis reverentiam. Ratio ergo testamenti talis est. Ne jus quidem dubium erat, etiam antequam veniret in dubium. Petis à me decem millia ex testamento patroni tui: interrogo, an dari jusserit tibi? quantælibet sis impudentiæ, non mentieris. Quare ne illa quidem tibi actio, quæ invidiam facere solet legatum non solventibus, relicta est, [1]ut dicas: Quod ego merui, quod ego jure peto. Repetis, quod tibi non est relictum. Verum hoc esse manifestum est. Petit alter prior, qui sibi magis dignus videbatur: quo petente tacuisti: non tamen obtinuit id, quod nullo jure poterat obtinere, ut acciperet legatum incertum. Sed hoc ipso appareret (inquit) deberi mihi, quod ille, cum judicio contendisset, victus est. [2]nondum diligenter verba testamenti legis: non enim hoc scriptum est tantum, ut alteri ex libertis darem: sed illud, quo mihi & plena, & (quo magis doleas) perpetua libertas relicta: darem utri vellem. Ergo si hoc non cadit in rerum naturam, ut ego illi malim dare, qui mecum contendit, sperares, aut si hoc probare potes me tibi malle, forsitan judicio quoque non inique contenderes. Si quidem neutrum horum tale est, ut contra me sit, satis sit utrique vestrum separatim dicere, Tibi nolo.

Sic

1 *Ut dicas, Quod ego merui.*] Sic leg. Respicit hoc quodammodo formulam actionis, vide declam. 325. meritum legati. l. 9. D. pro soc. meritum hæreditatis capiendæ. l. 16. in fi. D. de castr. pec. *Pithœus.*

2 *Nondum diligenter verba testamenti legis.*] Scribe, *legisti.* Gronovius.

Sic ergo respondebis semper? puta me dicere, [1] Quærere de te atque officiis tuis, qui non aliter meruisti: fortasse vexare vos voluit, & legatum sperare semper, & alternis desperare. Sic tueri me volo, ut dicam semper. Ante omnia enim testamento tempus non est cautum, quo solvam, ac ne caveri quidem potuit. Nam qui dicit, utri malueris, & tempus non adjicit, manifesto illud quoque significat, cum volueris, solves. Adhuc ergo ambo improbi estis, ambo calumniatores. Quam sapienter tacueras, si in hoc perseverasses: videreris mihi verecundior: sperarem futurum, diligentius servares pecuniam, quam non cupide acceperas: nunc incipit mihi videri minus ille peccasse: litigavit ante experimentum, litigavit ante sententiam: tu non credis judicibus. Neuter ergo accipiet? cum voluerit patronus alteri dari, non potest ab altero hoc legatum peti ex voluntate defuncti: neuter vestrum dicere potest, hoc patronus dari mihi voluit. Habuit hunc honorem mihi, ut istud esset beneficium meum: [2] me ergo emereri debet: & à me istud petere, quod à patrono non petiisset. Detegam vobis propositum amici mei. Meliori dari voluit: hoc sciri ex præterita vita vestra non potest: alioqui ipse sciisset: & si ulla inter vos fuisset differentia, nominatim reliquisset. Hoc legato patroni vestri, necesse est utrique vestrum [3] diligentius videre utri dabo: uter vestrum patronum magis desideravit, uter vestrum frugalius vixerit, uter vestrum modestior fuerit: [4] quod vos diutius traham,

1 *Quærere.*] Lege, *querere.* Pithœus. *Quærere de te atque officiis tuis.*] Ærodius supplet *volo.* Sed legendum: *Querere de te atque officiis tuis, qui non aliter meruisti.* id est, Temetipse atque officia tua vel frigida vel infrequentia accusa. Ut apud Senecam 3. de benef. 11. *Cui des, elige. ipse tecum, si deceptus es, querere. dignum adjuva.* Ubi recte Gruterus, frustra Lipsius. *Gronovius.*

2 *Me ergo emereri debet.*] Puto *promereri.* Idem.

3 *Diligentius videre utri dabo.*] Scribe: *Hoc legato patroni vestri necesse est utrique vestrum diligentius vivere. Utri dabo? uter vestrum patronum magis desideraverit: uter vestrum.* Eleganter, *Hoc legato:* ut apud Catullum: *munere isto Odissem te odio Vatiniano.* Idem.

4 *Quod vos diutius.*] Thaddæus & Ærodius: *quoniam duos.* Lege: *quos diutius traham, utri voluero.* Idem.

traham, utri voluero. Interim similes estis, eandem causam habetis. Non magis ego de vobis judicare possum, quam patronus vester.

## CCCXIX.

### *Adultera venefica.*

Qui uxorem adulterii ream detulerat, dixit communem filium testem fore. Inter moras judicii adolescens, ambiguis signis cruditatis & veneni, decessit. Vult maritus agere cum uxore veneficii: illa postulat, ut præferatur judicium adulterii.

#### DECLAMATIO.

ANtequam criminum facimus comparationem, sic agere possum. Veneficii accuso: responde. occisum à te filium dico: defende. Sint paria, quæ objicio, non possunt uno judicio cognosci: æquum est ream respondere ad id, quod objicitur. Puta omittere me, quod antea objecerim; non perseverare in eo, propter quod detuli: [1] de vita cogitari æquum est, de majore quæri prius. Postea dicam ex qua diffidentia præferri judicium adulterii velit: interim duo crimina apud vos proponuntur, adulterium, & parricidium: de utro prius cognosci oportet? [2] hoc inæquum est sceleris gravissimi, sceleris atrocissimi dilationem impetrari, quia & adultera est? Si nihil illi ante objecissem, continuo rationem redderet: quoniam ad parricidium, prioris criminis diffidentia, venit, huc trahitur, propter quod occidit filium. Ab hac occisum esse dico: quamdiu judices sinetis hoc esse dubium? vivit interim in civitate, inter nos est fœmina inter prodigia numeranda, implet numerum civitatis: & vivit, dum bis rea sit: præsertim in hac civitate, in qua judicia diu differuntur. De me utique

1 *De vita cogitari, æquum est, de majore quæri.*] Quidam apud Ærodium: *de vita cognosci, de morte quæri prius æquum est.* Ego illud, *de vita cogitari æquum est*, non mutem. Significat, quod clarius postea, & se suæ metuere. Dein scripserim: *de majore re quæri prius.* Idem.

2 *Hoc inæquum est.*] Thaddæus: *hoc mea æquum sceleris.* Ærodius: *Hoc ne à vobis æquum est sceleris.* Lege: *Hoccine æquum, sceleris gravissimi.* Idem.

que mirari non poteſtis, ſi omnes moras odi, omnes dilationes: liceat vindicare filium, dum vivo; [1]antequam ad accuſatorem tranſeatur à teſte. An hoc æquum, hoc cuiquam veſtrum juſtum videri poteſt, ut cenſeatis adulterium eſſe inter crimina, parricidium inter maledicta? [2]cauſam dicere adulterii volo: hoc eſt, periit ille teſtis. Mihi autem vacat hoc tempore curam agere lectuli mei? flens & orbus querar, quod uxor mea alium amaverit, alium mihi prætulerit? Ego ne priore quidem tempore iſtud crimen [3]ad judicem perduxiſſem, niſi quod ſciebat filius meus. [4]Si amiſiſſem tantum optimum juvenem, excuſate tamen omnibus aliis cauſis renuntiarem. Verum confitendum eſt, Ego occidi, ego qui palam nominavi: qui omnem judicii prioris fiduciam in hoc eſſe confeſſus ſum. Tua porro quid intereſt? Utere hoc argumento: Quod tibi objicere adulterium noluit. [5]Pone hoc inter præjudicia

1 *Antequam ab accuſatore tranſeatur ad teſtem.*] Hoc eſt, Dum vivo, malim filium vindicare, & extraordinariam ream parricidii agere, delata hac prius, licet tempore poſterior ſit, accuſatione: ne ſi demum (inquit) ab accuſatore me & uxorem adulterii poſtulante, ad filium qui teſtis futurus erat, tantique parricidii quæſtionem ordine tranſeatur, erepto adulterii teſte, & cauſa ideo ſæpius ampliata, ſi interim moriar, pereat parricidii judicium. In ſumma, pater hic poſtulat, ut quemadmodum cauſis de vi, aliiſque ob conjunctionem, primus agendi locus extra ordinem conſtitutus erat, etſi poſt multas alias delatæ eſſent: ita prior hic ſit parricidii quam adulterii cognitio, hoc maxime, quod parricidium propter adulterium commiſſum eſt, & quia caute uxor præferri judicium adulterii deſiderat, ſibi conſcia futuram hanc ſine teſte accuſationem: in qua, ſi ex vetere conſuetudine (de qua Cicero pro Cæcinna) ea mora adhibeatur, quæ in omnibus aliis ſolet criminalibus cauſis, fore interim ſperet, ut moriatur accuſator. Ex his aperta eſt eorum quæ ſequuntur interpretatio, *Cauſam dicere adulterii volo: hoc eſt, periit ille teſtis.* Ærodius. *Antequam ad accuſatorem tranſeatur à teſte.*] Ita & Thaddæus. Senſus: antequam me quoque veneno tollat mulier, ut filium. Ideo dixerat ante: *Cogitari de vita æquum eſt.* Fallitur Ærodius, qui, *ab accuſatore tranſeatur ad teſtem.* Gronovius.

2 *Cauſam dicere adulterii volo.*] Tu mulier dicis: *Cauſam dicere adulterii volo. Hoc* perinde *eſt*, quaſi inſultes mihi, & dicas: *periit ille teſtis* tibi unicus: jam damnare me non potes. *Idem.*

3 *Ad judicem perduxiſſem.*] Diſſimulaſſem hanc injuriam, vel intra privatos parietes vindicaſſem ex legibus Romuli & Numæ. *Ærodius.*

4 *Si amiſiſſem tamen optimum juvenem.*] Vide an ita qualitercunque reſtitui poſſit, *Si a. ta. op. juvenem ex alia cauſa quam tua, omnibus, &c.* Idem.

5 *Pone hic interpres indicia accuſationis.*] Verbum, *interpres*, in textum, è margine traductum eſt: ſunt enim re-

vera

cia accusationis. Dum ego ago meo judicio, dic legem, qua vindicari potest utrunque. Nempe hoc inter alia dictum est, Quam causam dandi veneni filio meo habui? adultera non eram. [1] Illic videbimus, illic reddemus rationem. Nec te hoc fefellit. Sed naturalis improbis hominibus dilationis est cupiditas: hic infamiæ vides pœnam. Quid autem fama ad te, aut opinio? Sed occurrunt illæ cogitationes. Quæretur de adulterio, & quæretur diu, & extrahet judicium, sicut adhuc extrahit, ut sequatur adulterii pœnam alia subscriptio, alii judices, & alia sortitionis fortuna. Interim, ut nihil artes valeant, multum fata possunt: multum citra scelus quoque impedimenti per se ipsa mortalitas affert. Ut nihil prosit, vixero: & tamen, quod mihi vita ipsa jucundius est, tamdiu superstes testi vixero.

## CCCXX.

## *Multati socius.*

SOCIORUM COMMUNIA SINT DAMNA ET LUCRA. Ex duobus sociis alter in civitate erat, alter peregre. Cum bello laboraret civitas, decrevit ut intra certum diem reverterentur qui abessent: qui non veniset multaretur publicatione bonorum. Exacta est pars à præsente negotiatore absentis. Reversus ille partem petit reliquorum bonorum.

### SERMO.

*Sæpe vobis dixi, quomodo ad inveniendum statum facillime perveniretis. qui sint, omnes novistis. Primum singulos repetite: sublatis*

vera hæc non declamantis, sed interpretis, ut alia pleraque, quæ latiore intervallo adnotavimus. Filum igitur orationis, ut brevior sit, Quintilianus interrumpit, & locos duntaxat discipulis ostendit. hîc affectus (inquit) movere oportet: eo uti argumento: talia hic apponere: narrandis indiciis hujus accusationis, ita quodammodo exordiri, *Dum ego ago meo judicio: dum legem recito qua vindicari potest adulterium*: vel, *dum cito testem qui vindicare aut judicare potest utrunque*, & patrem & matrem videlicet, ream alteram, accusatorem alterum, &c. reliqua persequentur ex themate discipuli, hoc modo: *Dum ego ago, &c. cum solus filius testis esset, inter moras adolescens ambiguis signis eruditatis & veneni moritur.* hunc locum ita, ut possum, elucido. si quis quid melius habeat, afferat. *Idem.*

1 *Cui debemus, illic reddemus rationem.*] Apud Quæstorem adulterii, quæremus illud, an adultera fueris: hic vero non debemus, ubi de parricidio quæritur. *Idem.*

*latis his quos certum erit non esse, inter residuos quæremus: quærendi ante via hæc erit. Videamus quid proponat petitor, quid ille respondeat possessor, vel reus: ex eo quæstio nascitur: ea nobis demonstrabit. Neque hoc dico, quid primum dicat petitor, quid ille respondeat, non enim ex prima quæstione ducendus est status, sed ex potentissima. Videndum erit, an post divisionem socii sint.*

## Declamatio.

Sociorum damna et lucra communia sint. Fortasse videri potest supervacuum, laudare legem. Nam & apparet prudentissimos majores & constitutores hujus civitatis, sapienter rogasse: & cum hoc jure civitas tam diu usa sit, jam approbatum est. Veruntamen causa exigit, ut æquitatem quoque legis intueamur: non ut vos religiosius judicetis, sed ut appareat quam improbe socius meus faciat. Sociorum communia damna et lucra sint. Sacra res est [1] & quædam fraternitas propositorum animorum. Consortes enim potest facere casus: cæterum quidem cum duo homines omnes fortunas suas contulerunt, omnes casus miscuerunt; unum quoddam factum est: quid est justius, quam compositum patrimonium [2] habere conditione unius societatis? hoc enim est unitas. Vides ergo & damna & lucra communia esse debere, & nihil non æquum est, quod utrique parti scriptum est. [3] Eventus nos deduxit. Sed de sociis loquor idem agentibus, illud suo loco imputabo, quod hic domi semper & custos tantum pecuniæ fuit. Ego sum

1 *Et quædam fraternitas propositorum animorum.*] Ærodius: *Sacra res est unitas & quædam fraternitas propinquorum animorum.* Aliis dat *propositis*, ut ex margine eo fluxerit, quemadmodum loquitur. Scribe: *Sacra res est & quædam fraternitas conjunctio bonorum.* Vel *consortium bonorum.* Gronovius.

2 *Habere conditione unius societatis.*] Fortasse: *quid est justius quam compositum patrimonium habere conditionem unius? Societatis (hoc est, unitatis) vides ergo & damna.* Idem.

3 *Eventus nos deduxit.*] Ærodius majusculis literis, *Eventus deducito:* quasi scriptum hoc in lege aut pacto societatis fuisset. Ego tentabam: *& damna & lucra communia esse debere, & nihil non æquum esse utrique parti.* Sequitur objectio partis diversæ: *Sed de sociis scriptum est loco eodem agentibus: eventus nos deduxit.* Respondet: *Illud suo loco imputabo, &c.* Idem.

sum ille, qui longas terras & ignotas regiones peragravi, ego ille qui tam longe abieram, ut in patriam redire non possem. Ex hac igitur lege postulo, ut communia sint, [1] quæ in bonis sunt, ut dividantur. Quid ais? periisse patrimonii partem, & mihi periisse: adjicis mea culpa periisse. Omnia hæc interim confiteri libet: commune tamen damnum est: Negat hoc esse damnum; & pœnæ nomen imponit. Ego porro, Damnum existimo esse amissionem eorum, quæ habueris: neque enim veniet in dubitationem, quin amiserimus aliquid ex his, quæ habebamus. Hic pœnam appellat. possum non negare, cum & ipsa pœna damni genus sit. Nam mihi ex hoc, quod plerisque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, [2] appellata etiam ipsa Damnatio videtur. Ablatum est aliquid mihi, sane etiam confitear: quid interest quomodo ablatum est? Ego perdidi. Nam & si latro abstuliisset, [3] mihi abstulerat: & si in piratas ego incidissem, mercator ego amiseram, peribat hoc utrique nostrum. Quid si etiam pœnæ id genus est, [4] quod casus attulit? sane enim feramus hanc tuam finitionem, ut damnum credamus esse fortuitam amissionem, putemus esse fortuitam rerum amissionem, damnum, quid tam fortuitum potest esse, quam quod accidit? Non enim lege vetere, & ante profectionem meam scripta, & quam ego nosse possem, & in quam mea culpa inciderem. Quid fortuito accidit? bellum quid fortuito accidit? ignorantia mea, non est tale, quale si in furto deprehensus, [5] quadruplo damnatus essem. Tu enim diceres: noveras damnum, noveras legem: vitio tuo incidisti in hanc. Hæc non eo pertinent, quo genere damni afflictus sim. Nam si naufragium feciſſem, diceres, vitio tuo, navigabas enim: & spo-

1 *Quæ in vobis sunt.*] Lege: *quæ in bonis sunt.* Ærodius.

2 *Appellatio etiam ipsa damnatio.*] *Appellata.* Idem.

3 *Mihi abstulerat.*] Forte: *nam & si latro abstuliisset, utrique abstulerat.* Gron.

4 *Quod casus attulit.*] Credo, *abstulit.* Idem.

5 *Quadruplo damnatus essem.*] Cur non *quadrupli.* Sed & bene *damnari pecunia, capite.* Idem.

& spoliatus essem à latronibus, diceres, vitio tuo, parum diligenter custodiebas. [1] Quotumquodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? Si mancipiorum mortes sunt, parum curasti, medicinam non adhibuisti. Hoc habent gravissimum damna, quod vix ulla sine pœnitentia sunt. Ergo tunc quoque si vitio meo factum esset, si lege vetere, damna tamen communia erant.

## CCCXXI.

### *Invicem venefici frater & medicus.*

Fratres consortes, inimici esse cœperunt: divisérunt. Alter ex his medicum instituit hæredem, postea redierunt in gratiam. Is qui medicum amicum habebat, cum cœnasset apud fratrem, & domum rediisset, dixit suspicari se, venenum sibi datum: respondit medicus, potionem se daturum remedii, & dedit: qua epota ille decessit: invicem se reos deferunt veneficii, frater & medicus.

### Declamatio.

ETiam si causa unius hodie agnoscitur, tamen cum eum de cujus morte agitur, constet veneno periisse, idque inter duos litigantes conveniat, alter utriusque eum veneno periisse: ita committenda utrinque causa est, ut non minor nobis defensionis, quam accusationis habenda sit ratio. Itaque etiam si dolor fratris amissi & conditio judicii quos accuso, [2] hoc videtur exigere primum ac pene solum, ut ea quæ objeci, probem: ignoscetis tamen mihi, si primam defensionis meæ putavero habendam esse rationem: neque hoc eo tantum, quod pertinet ad pudorem hodie meum: sed eo etiam, quod plus auctoritatis habiturum me in accusatione scio, si ad illam innocens venero. Quæritur ergo, judices, venenum ego fratri dederim, an iste alieno. Non me fugit nomen, quo utitur, amicus. Et rogo sciatis, judices, de hoc ipso quæri hodie, an amicus fuerit. Sine dubio etiamsi certa utriusque nominis fides esset,

1 *Quorum quodque genus damni.*] Lege: *Quotumquodque*. Debetur hæc emendatio Brissonio nostro. *Ærodius.*

2 *Hoc videtur exigere.*] Lege: *videatur*, Gronovius.

esset, neminem vestrum præteriret, quantum præferri fratrem amico oporteret. Nam quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? Certe quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. Adeo inane etiam nomen, & umbra quædam naturæ videtur simile amicitiæ nomen imponere. Cum vero me fratrem constet esse, si venenum (ut probabo) dedit, amicus utique non fuerit. Quæ comparatio esse personarum potest? Ac si tantum de amore quæreretur, [1] judices, multum natura vinceret: nunc plus est aliquanto, de quo apud vos agitur. Quæritur enim, an ego fratrem potuerim occidere? Ergo inter homicidium & parricidium cognoscitis. Nondum de persona loquor utriusque, non de causa: interim quæro, judices, utri parti faveatis, utrum verum esse pro civitate, pro temporibus velitis. Equidem, judices, admirari me confiteor, aut constitutas esse de tantis sceleribus leges, aut ullos inveniri potuisse mortalium, in quos caderet ista suspicio. Fratrem suum potuit aliquis occidere? non obstitit tacita natura? non sanguinis jus? non sceleribus manus suas objecit, quæcunque est illa, quæ certe creditur esse, pietas. fratrem occisuro non succurrit communis uterus? non eadem causa vitæ? non una primordia? [2] non illa consuetudo, quæ alienos etiam ac nulla necessitudine inter se conjunctos componere & astringere affectibus potest: consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritiæ studia, lusus, tristitia, joci? Membra hercule inter se citius pugnaverint, & si qua in nobis natura geminavit, diversos ceperint affectus. Nam quid est aliud fraternitas, quam divisus spiritus? & quæ ad tuendos nos natura concessa sunt multiplicata,

1 *Judices.*] Al. *judicium.* Pith.

2 *Non illa consuetudo quæ alienos.*] Videtur vox *consuetudo* abundare, & scribendum: *non una primordia? non illa (quæ alienos etiam ac nulla necessitudine conjunctos componere & adstringere affectibus potest) consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritiæ? Studia, lusus, tristitia, joci?* Quod autem irrepsit in Pithœanas *nulla consuetudine*, sciendum & apud Thaddæum & apud Ærodium legi *necessitudine*, ut illud operatum vitium esse videatur. *Gronov.*

cata, eo quidem felicius, quod [1] diversis etiam [2] assistentibus locis, esse iidem, ac plura simul obire possimus. Huic necessitudini qui dare venenum potest, non oculos effodiet suos? non manus in viscera sua armabit? Habet ergo hoc primum (ut parcissime dixerim) admirationem, neque ego ignoro, judices, quanto me onere premam. Ipse confiteor nullis suppliciis, nullis pœnis, nulla me omnium hominum ira posse pensari, si feci. Vult detrahere fraternitati auctoritatem. Discordes, inquit, fuistis. Nondum rationem hujus criminis reddo: illud interim testor: hunc bonum amicum utrique maledicere. Nunc mihi, frater, in quacunque parte naturæ es, agenda causa & tua est. Aliquid ex summa fraternitatis gratia defuisse visum est aliquando, dum forsitan uterque alterius animum magis exigit fiducia sui. Bene hercule fortuna, quod uterque tunc incolumis, quod penates sine lacrymis fuerunt: nulla parricidii suspicio tempore illo, quo minus amabamus. Non tamen ista nostri animi culpa fuit, nisi quia vitium est humanæ mentis nimia cupiditas. Hi sunt, qui conjunctos separant animos, qui summæ concordiæ virus suum interponunt, qui hæreditates captant, qui se testamentis parant: qui ita demum spem aliquam in posterum vitæ habent, si eos, quos amicos appellaverunt, carissimis pignoribus abduxerint. Quis fecerit illud inter nos, sic quærite. Nullam iste spem hæreditatis habuisset, si nunquam dissedissemus. Hoc igitur primum veluti mentium animique tentati veneno sumus, sed, Dii melius, neque longum istud fuit, neque quicquam ex eo secutum est, quod emendari non possit. Divino sola, ut sciatis cui hæres sit: sed postea (quod satis est) gratia, & rursus solida fraternitas, immo, hercule major arctiorque conjunctio post pœnitentiam. Nesciunt homines, quantum boni fraternitas habeat,

1 *Diversis etiam assistentibus locis.*] Forsan: *diversis etiam ac dissidentibus locis.* Gronovius.

2 *Assistentibus locis.*] Al. *existentis.* Pithœus.

beat, qui nunquam dissederunt. Ut dulcius serenum post tempestates est, ita nostris animis laceratis, & domi castigatis, velut portus ille fraternitatis occurrit. Amabamus etiam in præteritum, nec caritas fuit illa, sed invicem satisfactio. Utinamque hoc non palam, non manifeste feciſſemus, ut videretur frater meus nullo modo mutaturus testamentum. Personæ igitur nullo modo comparantur: alienus & frater. Supervacua mentio discordiæ, cum & illo tempore constiterit innocentia, & id tempus quod in culpam deducitur, non solum sine discordia fuerit, verum etiam major atque arctior caritas, post illam de qua locutus sum, pœnitentiam increverit. Proximum est (ut opinor) excutere causas: & quod ad me quidem pertinet, videor de his satis locutus. Nam si inimicitiæ eo tempore non fuerunt, quo frater meus accepit venenum, mihi certe hoc faciendi ratio non fuit: qui si essem malus frater, uti tamen bonitatis simulatione debebam, usque ad mutationem testamenti. Nam quid obstabat quo minus non ultionem tantum, sed etiam lucrum consequerer? Si ego non habui rationem dandi veneni fratri, videbo an hic habuerit. Hæres est: hoc per se potens est. Omnia quæcunque toto orbe terrarum committuntur scelera, circunspicite, judices, pleraque ex cupiditate nascuntur: hæc latrones facit, hæc piratas, hæc intra muros etiam, atque intra domos nostras, & templa, sicas percussorum acuit: inde nata sunt venena, ut mihi videatur rerum natura omnibus in hominem collatis bonis unum metum opposuisse. Tolle pecuniam, bella sustuleris: sustuleris seditiones. Hanc ergo caussam habuisti. Et aliud est, aliis pecunia: si de cupiditate sola loquendum mihi foret, dicerem, Hæreditatem concupisti, homo locuples, nunc hæreditatem concupisti, id solum habiturus quod scelere adquisisses. Quid enim jam re metiri incipis, & longam domus nostræ patientiam calcas? Ecquid scis, quid paulo ante fueris? nunc te circunfluens pecunia, nunc ista mancipia, & quicquid quæsisti scelere, ditabunt?

ditabunt? Venenum dicor dediſſe in cœna mea. O Dii immortales! erat quidem honeſtius illa defenſione patrocinari cauſæ meæ. Venenum aliquis inter lares ſuos, inter ſacra menſæ, coronatis pariter, quos colebamus, Diis immortalibus, venenum aliquis hilaris hilari dedit? Non hoc ipſum obſtitit conatibus meis, quod non credebatur? Venenum aliquis circunſtante familia, præſentibus miniſteriis daret, fœdaturus continuò cadavere illud convivium ſuum? Ut ſevera nobis antiquitas tradidit, infeſtos animos placavere menſæ: & homines, qui inter ſe armis atque exercitibus conflixerant, tuti tamen jacuere media cœnæ fide. Sic defendi decebat innocentiam, ſed quatenus tanquam maligni loquimur, quatenus tanquam ſuſpecti, in præſentia ſeponite mentem meam, ſeponite fraternitatem, ſeponite anteactam vitam. Tanquam de veneficio loquor, quo minus loco, quo minus tempore dare fratri meo debuerim venenum. Neque enim quiſquam dubitat, judices, [1] quin faciendi ſcelera conſilium, non unam viam intueatur, ut ad ſummam cogitati inchoatique perveniat: ſed illam alteram, vel magis neceſſariam, & quæ penitus in cogitationibus ſedeat, ut ſcelus, quod commiſit, neget. Venenum do: & unde ſcio, an exhauſta potione ſtatim concidat? venit ad menſam meam: inter convivas meos expirat frater meus, in quem ſcelus tranſlaturus? quem Deorum hominumque invocaturus? Non *fuit* ergo locus idoneus, non fuit tempus: adjice, quod ego daturus venenum potui timere, ne deprehenderer, ne præſentiret, ne intelligeret, ne colore venenum deprehenderet, ne qua vis odoris ſe oſtenderet. Nulli venenum facilius dari poteſt, quam qui accipit utique tanquam medicamentum. Ergo nullum conſilium ſceleris mei eſt. At tui quanta occaſio? quamquam de hac poſtea loquar: paulum

1 *Quin faciendi ſcelera conſilium.*] Ætodius: *quin faciendo quis ſcelera, conſilium, non unam.* Ego malim: *quin faciendi ſceleris conſilium non unam viam intueatur.* Gronovius.

lum enim me interpellat ordo, ut illud defendendum existimen, quod fratrem meum ait suspicatum. Ante omnia, judices, quod sit illud suspicionis genus, non intelligo. Postquam biberat, fingamus cibos redundasse; fingamus aliquem sensum interiorum fuisse: hæc tamen omnia accidere etiam ex innocenti convivio possunt. Unde ergo suspicio est? unde illæ simultates? unde illa discordia? Simul & illud vos, judices, intueri oportet: epota hujus potione, fratrem meum continuo periisse. Non potest videri eo veneno periisse, in quo ante momentum mortis suspicio fuit. Verum hæc ex hujusmodi causis orta suspicio, plenissimam defendendi veneni occasionem dedit. Prima illa, quod habebas cui objiceres: altera illa, [1] quod qualemque potionem accepturus erat frater, si & illam tristem visu, si & illam gustu asperam: bibendum est tamen, cum dicas remedium. Sed quid ego diutius? si venenum à me accepisset, tu sanasses: nam & pollicitus es. Habebas medicamentum, & tale medicamentum dicebas, [2] quo prope reducere spiritum, quo vita reponi posset, quo venena fugarentur, quo transmitterentur. Potionem dedisti, aut remedii aut veneni: si remedii dedisses, viveret: non id apparet, ergo venenum dedisti. Multa sunt, judices, quæ minus clare verbis atque actione exprimi possunt. Utinam quidem fortuna præstitisset, ut frater meus viveret: ostendissem vobis medicum. Hoc enim ante omnia dico, judices, medicum: ostendissem potionem hanc non quotidianam, & quo omnes utimur: sed medicamentis permixtam & oneratam. Dat medicus medicamentum: qui acceptam bibit potionem, statim expirat. Quî tandem hic argumentandum erat? quî tandem hic probandum? non oculis judicassetis, non continuo strictis faucibus rapiendus

1 *Quod qualemque potionem.*] Scribo: *quod qualemcumque potionem accepturus erat frater, etsi illam tristem visu, etsi illam gustu asperam.* Idem.

2 *Quo prope reducere spiritum.*] Scribe: *quod prope reducere spiritum, quo vita reponi posset.* Idem.

dus ad ſupplicium veneficus videretur, qui nunc etiam ſpolia occiſi hominis tenet, & ſubito locuples, ait ſe tantundem habere, quantum me, qui nuper diviſi? Mihi quid relictum eſt præter luctus & lacrymas? Ultimum ergo illud nobis, frater miſerrime, convivium erat, ſiccine digreſſi ſumus? in has ſpes diſceſſimus? Habui occaſionem mœrendi. Diu inſidiatus eſſem. Potui tibi venenum dare de quo nihil ſuſpicareris.

## CCCXXII.

### *Abdico te, niſi deſinis.*

Stricto gladio & cruento proceſſit adoleſcens in concionem: & dixit, occiſum à ſe patrem, quod ab eo tyrannis affectaretur. Perduxit magiſtratum in domum: oſtendit apparatum tyrannidis. Cum excuteretur corpus, inventæ ſunt tabellæ ad filium: in quibus erat hoc, Abdico te niſi deſinis: & ſi contradixeris, indicabo cauſas. Reus eſt juvenis affectatæ tyrannidis.

### Declamatio.

QUod circa probationem criminis hujuſmodi difficillimum ſolet eſſe, certum eſt affectatam tyrannidem, certum eſt affectatam eſſe in hac domo: omniſque eo deducitur quæſtio, ut diſpiciatis, utrum à patre hujus, an ab hoc ſit affectata. Nihil de moribus hujus adhuc dico. Ætates comparate: ſenex ille & ætatis exactæ, quam rationem affectandæ tyrannidis habuit: niſi forte propter filium hoc fecit. Hic adoleſcens eſt: omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate facilius convaleſcunt. Eſt quædam præterea ratio ſceleris, [1] ſi hoc tamen nomen nullum accepit ſcelus, id tentavit, quo frui diu poſſet. Hæc ætatum comparatio, illa animorum. Pater modeſtus eſt: etiam ſi quid facere ſeverius voluit, minatus eſt hic contra, qualis adoleſcens? ut nihil aliud objiciam, quam quod ipſe confeſſus

1 *Si hoc tamen nomen nullum accepit.*] Ærodius: *ſi ſenex hoc tentaſſet, ex hoc nullum emolumentum accepiſſet: juvenis id tentavit.* Nos mitius: *Eſt quædam præterea ratio ſceleris: (ſi hoc tamen nomen nullum accipit ſcelus:) is tentavit, qui frui diu poſſet.* Hoc nomen, puta rationis. Si in ullo ſcelere eſt ratio. *Idem.*

essus est, quam quod gloriæ loco pro concione dixit, patrem suum occidere potuit: non quæro, an innocentem, erit hujus rei procedente oratione nobis locus: interim occidere patrem potuit. Quid non cadit in hunc animum? quid non recipiat hæc temeritas? [1] Minus est quod negat. Si componendus nobis esset aliquis, qui opprimeret rempub. qui libertatem patriæ auferre posset, quam tandem mentem aliam existimaremus? Fingamus hominem crudelem; hominem, [2] apud quem nihil habeant jura naturæ. Est quædam scelerum ipsorum societas, adeo ut vel uno appellare nomine potuerit utrumque parricidium. Ergo ut ex ætatibus & ex moribus credibilius est affectatam ab adolescente, quam sene tyrannidem, cætera qualia sunt? Ac primum te interrogo, si affectari tyrannidem à patre tuo existimabas, cur occideres, antequam criminareris? neque enim difficilis damnatio, nec longa judicii mora sequebatur, apparatus tyrannidis erat in domo. Deducendus tamen ad magistratus. Et hoc certe non difficile fuit adversus senem ei, qui occidit eum, [3] quem criminaturus erat, ut responderet sibi. Non potest ergo videri reipub. gratia feciſſe, cui plus aliter præstitisset. Nunc excutiamus, qua causa feceris. Ante omnia gratias magistratibus ago, quod non deprehendisse contenti ea, quæ ostendebantur, aliquid & ipsi viderunt. Gratias ago etiam providentiæ Deorum immortalium, qui nunquam ita opprimi veritatem voluerunt, [4] ut non magnis suis vestigiis emineret. Recitentur hæ tabulæ. ABDICABO TE. Non lego sequentia: nego hanc esse fiduciam ejus, qui de affectanda tyran-

1 *Minus est, quod negat.*] Ærodius: *negatur.* Quare? Quod adolescens negat, nempe tyrannidem ab sese affectatam, minus est parricidio, quod confitetur. *Idem.*

2 *Apud quem nihil habeant jura naturæ.*] Quidam apud Ærodium *valeant.* Forsan tamen scripsit auctor: *apud quem nihil habeat juris natura.* Idem.

3 *Quem criminaturus erat, ut responderet.*] Ærodius: *erat ad judicem adducere, ut resp.* Ego vero: *qui occidit eum, quem criminaturus erat, ne responderet sibi.* Ideo enim occidit, ne responderet, quem criminaturus erat post mortem. *Idem.*

4 *Ut non magnis suis vestigiis emineret.*] Lege, *ut non magis.* Idem.

tyrannide cogitavit. An ille in judicium vocare ausus fuisset, & ignominia afficere adolescentem omnia scientem? Non enim tyrannis convincenda vestigiis erat: neque argumentis eruenda, domi arma, domi apparatus. Et si hanc causam abdicandi te non habuit: dicas oportet, quam aliam habuerit. Non consentiebas consiliis ejus. Hoc minus te debebat offendere: ille si te tanquam judicem timuisset, potuit occidere. Satis ergo plenum vel hoc erat argumentum innocentiæ, severitas & vindicta. Quid tamen adjectum est? Si RESPONDERIS, CAUSAS INDICABO. Quærite nunc uter malæ sit conscientiæ. Ille minatur: cur taceri voluit? quoniam pater erat. Quoniam nunquam hi affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam suam tamen revertantur. Causas, quas ille se dicturum minatus est, tu ostendisti. Hæc arma detecturus erat, si respondisses: hos apparatus protracturus in medium. Satis apparere omnibus arbitror, affectatam ab hoc esse tyrannidem. Ne quem autem vestrum securum faciat hoc, quod oppressa, quod deprehensa est tyrannis, apparatus enim iste testatur adolescentis mentem. Num latro innocentiam accipit, si quis illi gladium extorqueat? minatus aliquis mœnibus flammas, num igitur facere securitatem civitati potest, si quis faces ejus extinxerit? Non habet nunc arma, non habet apparatum: sed habet animum. Nec mihi hoc satis est approbare, judices, tyrannum futurum, nisi illud quoque ante oculos vestros posuero, qualis sit futurus tyrannus. Ullius hic parcet corpori, qui patrem trucidavit? ullius hic criminis aget verecundiam, qui parricidium professus est in concione? qui gladium illum cruentum stillantemque sanguine ostendere populo non recusavit? quid ille manibus imperabit alienis, tantum suis ausus?

# CCCXXIII.

## *Alexander templum dedicans.*

QUI HOSTI OPEM TULERIT, CAPITE PUNIATUR. Alexander bello Athenas cùm premeret, templum extra muros positum incendit, pestilentia laborare cœpit. Responsum est non posse finiri, nisi templum restituisset. Restituto templo Athenienſis sacerdos, Alexandro pollicente discessurum se ab armis si dedicaret, dedicavit. Discessit ab obsidione Athenarum Alexander, dicitur sacerdos hosti opem tulisse.

### SERMO.

*Quam potest maxima religione, judicum implendus animus est. Nam & si sacerdos reus est: & datur ei crimini quod dedicaverit templum: & quod utilissimum, & causæ etiam facile est; hoc tempore. Nam & præsentia numinis ejus, de quo agitur, approbata est.*

### DECLAMATIO.

DEos immortales, omnes quidem, præcipue tamen numen & mihi maxime familiare, &, sicut proxime experti sumus, præsentissimum, judices, invoco ante omnia: ut si respectu sacrorum, si pietatis, si religione sola ductus feci quod objicitur mihi, velit impunitum esse sacerdotis officium. [1] Nunc (quod me aliquando solicitum habet) ne aspere, ne irate hanc judicii faciem intueri velit, in qua capitis periculo luitur, quod templum dedicatum est. Oro igitur atque obtestor, si fieri potest, ne damnari me velint: si minus, ne vindicari: tueanturque civitatem in hac, quam modo habere cœpimus, pace. Immo vero hanc vestris animis voluntatem, hoc propositum mentis inspirent, ne eo tempore Deos lædere velitis, quo illis jam Alexander satisfecit: qui etiamsi bellum contra nos traditum ac relictum à patre usque suscepit: etiam si non tam propria quam hæreditaria nobiscum constitit contentione, omnia tamen alia impune faciebat, dum res intra cædem

1 *Nunc quod me aliquando.*] Potius, *Tum quod me aliquando.* Idem.

dem hominum ſtetit, dum intra vaſtationes agrorum (1quanquam totius ſoli ac venerabilis ſoli) ſecunda res tamen: ac ne illa numina quidem, quæ ſemper excubare videntur pro noſtra civitate, ſatis ad tuendam urbem profuerunt. Ut vero ignem ſacris poſtibus, ut ferrum vetuſtiſſimæ religioni admovere auſus eſt, intellexit ſibi non eſſe bellum nobiſcum. Libenter audio, quæ ex diverſa parte dicuntur. Ægrum exercitum, præcipiti morte conſumptas copias. Quis enim non videt omnia iſta facta eſſe, ut rurſus templum eſſet? ita illius quoque concitati (ut auditis) ac temerarii juvenis motus eſt animus. Vidit non aliunde petendum eſſe, quam à diis immortalibus, præſidium. Oraculum popoſcit, quæ hic culpa noſtra eſt? Accepit. Videlicet, Dii immortales ut peccantibus graves, ita ſatisfacientibus faciles. Si noluiſſent remedium illi peſtilentiæ concedere, non indicare potuerunt. Reſtitui juſſere templa. Gratias publice privatimque agamus: dedicare ipſi non permiſerunt. Diviſum partitumque reſponſo eſt, quid Alexander facere deberet, quid nos. Ille, quod debuit, fecit templum ſpecioſius, quam fuerat, & cultius extruxit animo regis periclitantis, partes ſupererant meæ. Excuſo me vobis, dii immortales, quod non ſtatim ad conditionem dedicationis acceſſi. Hoc enim ex reſponſo & 2 Alexandro ſatis erat, quod permittebant. Ego nihilominus magna mercede ſuſcepi hoc officium: pacem popoſci, impetravi. veluti ore ipſius Dei juſſus promiſit, præſtitit. Hæc eſt criminum meorum, judices, ſumma: & templum habemus & pacem. Hoſti opem tuliſſe dicor. Nondum cauſas

1 *Quamquam totius ſoli ac venerabilis.*] Thaddæus: *totius ſoli ac venerabilis ſecunda.* Ærodius: *totius ſacri ſoli ac venerabilis.* Alios ait voluiſſe: *ac vetuſtioris ſoli.* Conjiciebam: *dum intra vaſtationes agrorum, quamquam totius ſoli æque venerabilis, ſe continuit: ac ne illa.* Idem.

2 *Alexandro ſatis erat quod permittebant.*] Ærodius, *vel Alexandri.* At ego in his nihil vitii agnoſco, ſed in ultimo verbo leve, quod tamen omnino impediat ſenſum. Scribendum enim, *permittebat.* Diis jam ſatisfecerat Alexander, cum permittebat dedicari. Quod reliquum, nobis præſtandum erat. *Idem.*

causas facti mei reddo, nondum rationem legis ipsius excutio. Interim quid vos putatis opem ferre? neque enim id solum quæritur hac lege, an aliquis hosti profuerit. Multa enim quæ utilia sunt hosti, & inviti & imprudentes facimus. Ideoque hoc non complexa lex est: sed adversus eum se distrinxit, qui opem tulisset: illud (ut opinor) tale, [1] Qui auxilio juvisset, qui armis, qui commeatu. Non sine causa hæc ipsius verbi proprietas continet legem. Quæri voluit an is opem tulisset, quodam loco manum deprehendit, & ferentem coarguit. Causam autem hujusce juris quis ignoret? Animus (ut opinor) ejus punitur, qui hosti prodesse voluit. adversus proditorem, adversus hostem reipublicæ conscripta lex est. Quæ si talia sunt, quid simile his commisi? Templum dedicavi. Viderimus an hoc hosti profuerit, ad causam meam pertinet sciri, quid ego fecerim, non quid ex eo factum sit. At enim hoc hosti profuit. Si ideo feci ut hosti prodessem: sane sim legi isti obligatus. Si cum aliquid facerem pro universa republica, utile etiam hosti fuit: non (ut opinor) [2] damnis contendendum fuit. Videamus ergo an hoc pro republica fuerit. Nondum dico, quæ secutura fuerint, si non dedicassem. Interim cum pietate vestra, Athenienses, loquor, Templum non illud vetus; non illud præsentissimæ religionis, non illud est, à quo totius civitatis nostræ petitur auctoritas? [3] Sed novum aliquid & adhuc inexpertum video: in finibus

1 *Qui auxilio juvisset.*] Vet. cod. *juvesit*, verbo, ut puto, legitimo, quod novari non debuit. *Pithœus. Qui auxilio juvisset, qui armis.*] Sic Ulpianus & Callistratus ad legem Juliam majestatis. Qui hostibus populi Romani nuntium, literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes populi Romani juventur adversus Remp. cujusve opera dolo malo hostes populi Rom. commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qua re adjuti erunt, &c. Igitur profuisse non nocet, sed dolo malo profuisse, ut sit quis huic legi obligatus. *Ærodius.*

2 *Damnis contendendum fuit.*] Ut satius fuerit vel nocere Reipublicæ, quo hosti noceatur: quam Reip. prodesse, ne per consequentias id hosti prosit. quod certe fuerit imprudentissimum. *Idem.*

3 *Sed novum aliquid & inexpertum.*] Corruptus fuit hic locus, si quis alius, aliquem sane sensum attulimus. In dedicatione qua quasi Dii evocantur, & domicilium mutant, videndum ne quid vitio fiat, ne quid non rite & legitime:

finibus noſtris eſt dedicandum. Hæc enim priuſquam [1] dedicationis accipiant ſummam religionem, opera ſunt tantum: dedicatio eſt illa, quæ Deum inducit, quæ ſede deſtinata locat, hoc ideo facere non cuicumque permittitur, niſi caſtæ manus, niſi familiaris ſacris animus acceſſerit. Dedicatio ſolis (ut nunc comperimus) conceſſa Athenienſibus. Hoc ego fieri reor, judices, quod cum cæterarum civitatum templa, in ipſis poſita urbibus, frequenter cum totis ruere atque incendi mœnibus viderimus, nulla vindicta, nulla religio, nulla eos qui fecerant, ſupplicia conſecuta ſunt. Hic ſacrilegium peſtilentia [2] vindicatum, [3] dedicationem deſtinabat, neque enim aliter ſaltem templum eſſe exiſtimaverat, niſi dedicaretur. De quocunque templo loquor, hoc templum non dedicabo? Quam multa adhuc remitto? taceo quid Dii voluerint, taceo quid reſponſa præceperint, humanis conſiliis locum relinquo, non dedicabo? Procedere ultra volo. Si Alexander ab obſidione tantum Athenarum receſſiſſet, nonne ædificaſſemus,

quo nomine multa ſacra, ſacrificia & ludos ſæpius reſtauratos & reſtitutos eſſe legimus. Plinius lib. 28. cap. 2. Vidimus certis precationibus, obſecraſſe ſummos magiſtratus, & ne quid verborum prætereatur, de ſcripto præire aliquem. Templum, quod à tuendo dictum eſt, (inquit Varro) locus eſt Augurii aut Auſpicii cauſa quibuſdam conceptis verbis finitus, quod à magiſtratu Pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hoc jam, ut apud nos ſunt omnia, ὁδὲν πρὸς ἕπος. Quid enim amplius tota Gallia, ſacri ſancti & religioſi? At una omnibus maxime religio prætenditur. Iterum igitur ἔργον ὁδὲν πρὸς ἕπος. *Idem. Sed novum aliquid & adhuc inexpertum video.*] Poſt hæc inſerit Ærodius τὸ *templum.* Hoc non eſt neceſſe: ſed totum ita legi neceſſarium eſt: *Si novum aliquod & inexpertum video in finibus noſtris, eſt dedicandum.* Hoc mihi faciendum eſt tanquam ſacerdoti. *Gronovius.*

1 *Dedicationis accipiant ſummam religionem.*] Priuſquam his dedicatio, velut ſumma manus, imponatur. Hic locus confirmat lectionem, quam probavimus in principio inſtitutionum: *quaſi perfectis omni alio genere doctrinæ ſummam eloquentiæ manum imponerent.* Idem.

2 *Vindicatum, dedicationem deſtinabat.*] Ærodius: *vindicatum eſt.* Ut hic finiatur periodus. Placet: ſed non hoc ſolum mendoſum. Forte: *Dedicatio ſolis, ut nunc comperimus, conceſſa Athenienſibus. Hoc ego ſignificari reor, judices, quod, cum cæterarum civitatum, &c. viderimus; nulla vindicta, nulla religio, nulla eos, qui fecerant, ſupplicia conſecuta ſint; hoc ſacrilegium peſtilentia vindicatum. Dedicationem deſiderabat.* (intellige Alexander. & merito) *neque enim aliter ſalvum templum eſſe exiſtimaverat, niſi dedicaretur.* Idem.

3 *Dedicationem deſtinabat.*] Vet. Cod. *Deſtinationem deſtinabat.* Pithœus.

mus, non reſtituiſſemus? Equidem ego omnibus noſtris ſacris crediderim ineſſe numen. Debetur hoc Athenienſium civitati, debetur vetuſtiſſimo generi, debetur ſolo, de quo contendiſſe quondam Deos immortales non ſine cauſa creditum eſt. Cætera tamen opinione credimus, & conjectura colligimus: in hoc numine ſentimus momenta bellorum, hoc pars utraque cognovit, hoc numen ſcit eſſe Alexander. Adjice quod dedicari voluerunt. Si à quocunque voluiſſent, occupandum fuit mihi, cum Athenienſis ſim. [1] Totum enim hunc populum, judices, puto ſacerdotem. At enim ſic effectum eſt, ut laborare peſtilentia exercitus Alexandri deſineret. Non dico deſiturum alioqui fuiſſe: periturus ſit Alexander, perituri ſint milites omnes, vultis uti hoc ſacrificii publici beneficio? ſi quis vobis hanc poneret conditionem, Athenienſes, ut omnium potiremur gentium, everſis exuſtiſque templis: non profecto acciperemus. Pluris nobis pietas, pluris nobis opinio, pluris diſciplina civitatis fuiſſet. Moritur miles Alexandri. Sed templum ſine numine, ſine religione: ſed templum adhuc eſt inter præſidia hoſtium: ſed non ire mihi, non colere, non agnoſcere, non agere gratias licet. Vos porro cur perire exercitum Alexandri, cur perſeverare iſtam peſtilentiam vultis? nempe ne bellum haberetis: habetis pacem. Beneficium dediſtis, ex illo quem graviſſimum hoſtem timebamus, habemus potentiſſimum amicum. Sint ſane pertinacia odia. Alexander reſponſo ſatisfecerat. quod ad ipſum pertinuit, templum reſtituerat: quod ad ſecundam quoque partem reſponſi pertinebat, fecerat poteſtatem dedicandi, mercedem [2] quantam maxime dari poterat, reipublicæ dedit. Tam injuſtos vos creditis Deos immortales, ut non fuerint cogitaturi cujus culpa templum vaca-

1 *Totum enim ego hunc populum (judices) puto ſacerdotem.*] Athenienſes αὐτόχθονας ſe appellarunt, & ideo noctuam inſigne ferunt. Contentio Neptuni & Minervæ omnibus nota eſt. Quod omnem populum Athenienſem ſacerdotem eſſe ait, ſumptum eſt ex Homeri Catalogo. *Ærodius.*

2 *Quantam maxime dari.*] Scribend. *quantam maximam dare poterat.* Gron.

vacaret? nam (ut dixi) si pestilentiam finiri Dii immortales noluissent, aut nullum responsum, aut aliud certe dedissent. Demonstrata satisfactio & in hoc valet, ut accipienda sit. Vereor, judices, ne quid fingere ex necessitate periculi videar, veruntamen me religionis meæ dissimulare quæ acciderunt non finit ratio. Alexandrum apud me valuisse solum putatis aut ullam mercedem? Ego illum recessurum putabam, etiam si non pacisceretur. Deus, Deus ille (testor ipsum & præsentissimi conscientiam numinis) ille adegit, ille jussit, ille in has preces misit: secundum hoc quodammodo fuit responsum.

## CCCXXIV.

## *Bona sacrilegi.*

Qui reum cædis damnaverit, bona ejus possideat, sacrilegi bona templo consecrentur. Damnatus cædis cum torqueretur, dixit & sacrilegium à se commissum. Ambigitur de bonis. Sacerdos templo vindicat: accusator sibi.

### Declamatio.

Antequam leges comparamus, intueri personas libet. Nos nullam habemus in litigando propriam cupiditatem: non acquirimus nobis: petimus bona templo, petimus honorem Deo. Adversarius sibi vindicat, & in præmium operæ suæ deposcit. Ostendit quare accusaverit. Quemadmodum personas comparavimus, ita comparemus & leges. Idem demus utrique tempus, eandem utrique legi causam: ipsæ tamen etiam citra defensiones, non parem rationem habent. Scripta est altera Deo, altera homini. Æquum est priorem esse rationem religionis.

### Sermo.

*Hic subjici poterat & locus in quo laudemus hanc legem.*

### Declamatio.

Præterea & alioqui justius est sacrilegi bona pertinere ad templum, quam damnati ad accusatorem. Quare? quoniam

quoniam in sacrilegio, propria templi injuria est: in damnatione rei, alienum crimen. Ita illic præmium est: hic solatium: illic datur ista pecunia, hic quodammodo redditur. Hæc comparatio esset, si ipsas leges committeremus: nunc nostra & tempore prior est. Ante enim commisit sacrilegium, quam cædem. Accusator hoc nititur, quod ante damnatus sit cædis, quam sacrilegium confessus sit. Non est autem intuendum, quo tempore aperuerit se culpa, sed quo tempore commissa sit, quo tempore hanc pœnam, de qua quæritur, ille meruerit. Id cum ipsa natura justum est, tum etiam legibus apertum. In cæde enim spectanda sit damnatio, in sacrilegio tempus ipsum intuendum. Quare? quoniam lex tua ita scripta est, ut qui damnaverit bona possideat, possidere non potes, lex mea ita scripta est, ut bona sacrilegi ad Deum pertineant. Statim ergo ut fecit sacrilegium devotus huic pœnæ est: & ante ista bona ad Deum pertinere cœperunt, quam lex damnaret. Vide quantum recedas ab intellectu juris hujusce. Si cædem ante sacrilegium commisisset, tamen quoniam postea cædis damnatus esset, ad Deum potius pertinerent: non enim prodesset tibi quod prius cædis tempus esset: quoniam lex tua non ad cædem, sed ad damnationem pertinet. Nunc vero cum sacrilegium ante commissum sit, quam cædes: non est dubium quin bona ista templi sint. At enim præmium mihi debetur: meo enim beneficio & sacrilegium illud inventum est. [1] Imo hercule etiam illa cædes, beneficio suo: ex quo semel manus inquinavit, insecutæ sunt illæ protinus furiæ, ut hunc hominem palam occideret, ut reus deferretur, ut damnaretur, torqueretur, ut confiteretur. An vero tu illum, quod sacrilegium à se commissum esse dixit, præstitisse ignibus, quos nos subjecimus, aut flagellis putas? nihil illa tormenta ad confessionem sacrilegii pertinebant, non de hoc torquebatur. Numen

1 *Immo hercle etiam illa cædes beneficio suo.*] Scribe, *beneficio sacrilegii.* Idem.

men erat profecto, numen illud, quod subjiceret faces, quod acrioribus stimulis agitaret. Vos de cæde torquebatis: ille de sacrilegio confitebatur.

## CCCXXV.

## *Hæreditas fidei commissa.*

Pauper & dives vicini erant. Pauperi uxor speciosa: rumor erat adulterari pauperis uxorem à divite, conscio viro: delatus lenocinii reus pauper, & absolutus est. Dives decessit hærede instituto bonorum omnium paupere, & elogio tali. PETO UT HANC HÆREDITATEM RESTITUAS ET CUI ROGAVI. Petit à paupere uxor hæreditatem [1] tanquam fidei commissam.

### SERMO.

*Quid dicimus quomodo hæc uxor & hæres erit, & adultera non erit? quomodo si conscius nullius flagitii fuit maritus, illius potissimum fidei hæc hæreditas mandata est? Invenienda est enim aliqua caussa propter quam hæres sit. Nunquid hic dives hanc speciosam adamavit; cum ipsa loqui nihil ausus est, locutus est cum viro, & inde opinio: dum captat, fecit testamentum. Quædam etiamsi themate non continentur, natura tamen ipsa manifesta sunt.* [2] *Matrimonium inter hos non esse qui litigant, videatur nihil luce clarius.*

Non

1 *Tanquam fideicommissam petit.*] Videbitur fortasse prima fronte tale quid hîc deesse, *uxori tuæ restituas.* Sed revera nihil deest, præterquam quod virgulis inclusum (ut quicquid aliud simile) adjecimus. Nam si dives ita specialiter pronuntiasset, *uxori tuæ restituas*, semota esset omnis controversia inter virum & uxorem: omnique modo restituenda esset hæreditas mulieri ex testamento divitis. Hoc ergo facit quæstionem, quod dives expresse quidem à paupere petiit, fidem ejus secutus, hæreditatem restitueret, penes se non haberet: sed cui restitueret, de eo nihil dictum est nominatim. In hoc ambiguo certat uxor conjectura, & ex tacita fide & voluntate fideicommissum petit. ejus enim in eo probatio est, ut l. quidam cum filiumfamilias ff. de hæred. instit. ubi apud Africanum nihil testator quicquam verbo ab hærede petierat. hic minor dubitatio, quia restitui quidem, sed indefinite postulavit. Illud notandum est, uxorem hanc adulterii tantum suspectam fuisse, non damnatam, absolutumque pauperem lenocinii. Alias turpi personæ fides tacita in fraudem legis accommodata diceretur, essetque fisci non uxoris actio. Habet hæc declamatio aliquid commune cum ea apud Senecam lib. 3. controv. 16. *Ærodius.*

2 *Matrimonium inter hos non esse qui litigant.*] Immo erat, & id meminisse ac præferre per totam orationem oportebat declamatorem. Hoc est, quod vult Fabius, & sic expressit: *Matrimonium inter hos esse, qui litigant, videatur luce clarius.* Hoc scilicet pudore abstineri à quibusdam, quæ alioquin utiliter in causam possent dici. Ærodius, *videatur mihi luce.* Gronovius.

[1] *Non enim ego intelligo litem fidei tacite commissam, nisi conscio. Hoc eo pertinet, ne quis judicum manifestas exigat probationes. Non est causa, quæ recipiat testem; non est causa, quæ recipiat consignationem: scrutamur conscientiam ejus, qui adversarius est. Totum ergo hoc judicum opus est, ut inveniant veritatem: quæ ita demum poterit esse manifesta in causis latentibus, & natura conditis, si nihil existimaverint exiguum, quo inveniri veritas possit. Sic ergo præparandus est animus judicum, ut etiam levioribus argumentis commoveri possit. Difficile est quidem natura probare tacitum fidei commissum: quomodo tamen probamus? Quædam, etiam si per se firma non sunt, comparatione vincunt. Hæreditas aut ad pauperem pertinet, aut ad uxorem pauperis: si ad pauperem non pertinet, ad uxorem pertinet. Elogium scriptum est palam certe & manifeste: electus hic est ad transitum hæreditatis: hujus silentium & fides est utique de restituenda hæreditate. Ergo debet restituere alicui: si non huic, statim interrogo cui: Habent hoc incommodi controversiæ scholasticæ, quod quibusdam respondere non possunt: & quædam incommoda hujus generis, etiam* [2] *in foro aliquando descendunt:* [3] *& ideo difficultatibus quoque utendum est.*

## DECLAMATIO.

[4] ERgo tibi non debetur: supereſt ut alicui debeatur. Non dicis, Supereſt ut huic debeatur. Fidei tuæ com-

1 *Non enim ego intelligo litem.*] Thaddæus ignorat τὸ *ego*. Ærodius: *Neque intelligo hæreditatem.* Scribe: *Neque item intelligatur hæreditatem fidei tacite commissam, nisi consciis.* Hoc est, illud quoque, etsi non palam dictum & expressum, appareat tamen & intelligatur judicibus, non facturum fuisse divitem, ut pauperis fidei committeret hæreditatem sine nomine ejus, cui restitui debeat, nisi hic pauper amoris erga uxorem conscius diviti fuisset. Talis est actio, de qua Quintilianus 9. Instit. 2. *Ita ergo fuit nobis agendum, ut judices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere, ut dictum: & contigit utrumque.* Idem.

2 *In foro aliquando.*] Lege *in forum.*

3 *Et ideo difficultatibus quoque utendum est.*] Quintil. lib. 10. c. 5. Sua brevitati gratia, sua copiæ: alia translatis virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. ut illa, quam περὶ ἀπόρων quæstionem vocat Africanus, l. qui quadringenta. ff. ad leg. Falc. Ex illo capite Quintiliani, ut ex aliis locis supra Declam. 261. & 271. & 316. facile est judicare, cur ex declamationibus quæ omnes Coloratæ dici possunt, quasdam specialiter Tractatas appellet. *Ærodius.*

4 *Ergo tibi non debetur.*] Mariti argumentatio est, in qua supplere id oportet,

commissa hæreditas est. Quam committendi causam putamus? Necesse est infirmam esse personam, cui restitui oportet: cum infirmam dico, [1] non statim infirmiorem dico quam te: [2] non est: vitavimus per te ipsam fortunæ imbecillitatem. Pauperem fecit hæredem. Ergo oportet inveniri personam, quæ possit esse sub tutela tua, cui minus tuto relicturus fuerit hæreditatem, quam tibi. Ergo infirmam personam oportet esse fœminæ: & si quid ad hanc infirmitatem adjici potest, pauperis fœminæ. Adsum huic fœminæ: duxi ex tua persona argumentum, ducere ex nostra volo. Dico hunc animum fuisse divitis, ut hanc faceret hæredem: cujus fidei committit? maritum scripsit hæredem. Ergo si neque inveniri persona infirmior potest altera, quæ tibi subjiciatur, quam hæc: neque familiarior huic, quam tua: credibile est idcirco sic scriptum esse testamentum. [3] Quædam argumenta etiam ex incommodis petenda

tet, Si me non rogavit ut tibi uxori meæ (quanvis parum ea sit uxor, cum qua non modo jurgium est, sed lis) hæreditatem restituerem: ergo tibi fideicommissum non debetur. Quia tamen me restituere voluit, supersit ut alicui jure debeatur: sed si quemcunque alium, te multo magis deficiet probatio. Quæ sequuntur, sunt uxoris aut ejus advocati, argumentum illud mariti refellentis, & incumbentis in hoc maxime ut probet divitem sui contemplatione, pauperem rogasse, non ullius alterius causa. *Idem.*

1 *Non te statim infirmiorem dico.*] Qui tacite nobis fidem accommodant (unde fiduciarii, & fiducia dicuntur) ob id facere necesse est, quod minus tuto iis nominatim relinquere, aut restitui jubere possumus, quibus maxime volumus, vetante aut lege, ut Julia Papia, Voconia, aut alia quavis honesta ratione, puta, ne liberalitas nostra eum, in quem benefici esse cupimus, in invidiam trahat, aut parum honestam suspicionem. Sit igitur infirma oportet ea persona cui relictum volumus: & utique generaliter infirmior eo, per quem hæreditatis nostræ transitum & transmissionem destinamus: sed sane in hac causa non infirmior. Nam quicunque is sit, non potest infirmior esse paupere. Restat ergo ut aliquis sit eorum qui sub tutela & manu sint pauperis: cujus generis certum est antiquis Romanorum legibus & hodie nostris, uxorem fuisse. De personis, quæ infirmæ dicuntur Paulus l. civitatibus. ff. de leg. lib. 1. Hoc amplius (inquit) quod in alimenta ætatis infirmæ (puta senioribus, *vel* pueris puellisque) relictum fuerit: ad honorem civitatis pertinere respondetur. & Ulp. l. 3. §. item si is, de lib. exhib. *Idem.*

2 *Non est. vitavimus per te.*] Thadd. *non evitavimus.* Ærodius: *non te statim infirmiorem dico: quia in te non evitabimus hanc ipsam.* Immo tollendum illud prius *Non*, quod contra mentem & artem declamatoris est. Sic enim ille voluit: *Cum infirmam dico, statim infirmiorem dico, quam te. non enim vitavit per te ipsam fortunæ imbecillitatem.* Testator nimirum. *Gronovius.*

3 *Quædam argumenta c. e. i. p. s.*] Videntur hæc potius Sermonis. *Pithœus.*

tenda sunt: fuerit necesse est ratio aliqua & causa, propter quam dives non ipsam, ad quam pervenire volebat hæreditatem, scripsit hæredem. Obstiterit oportet pudor: [1]non ille reperiundi aliquem propinquorum: præteriit enim: non ille scribendi aliquem extrarium: hæredem enim scripsit extrarium: non ille bona sua in aliquem humilem demittendi: demisit enim. Obstiterit oportet familiarior aliqua causa. Non poterat salvo pudore hanc scribere hæredem. Postea vobis causam verecundiæ hujus approbabo, postea scribentis animum: interim fuit aliquid quod obstaret diviti, quo minus hanc scriberet hæredem. Quo merito, inquit, tuo te scripsit hæredem? Vox communis est. Iisdem verbis interrogare te possum. Quid merueras ut te scriberet hæredem? quamdiu etiam tertium non exhibes, cui debeatur hæreditas, inter nos quæstio est. Si nominasses, fortasse & illi dicerem, Quo merito? Sed neque nominas ullum extrarium, neque vindicare tibi potes hæreditatem: proinde nobis respondе. Quo merito? nullo. Quis ignorat testamentorum fortunam? & esset fortasse in totum iniquum requiri à nobis mentis alienæ rationem. Sunt quidem irrationabiles impetus animorum, quædam gratuita (ut vulgo vocantur) odia. Quotiens audivimus filium dicentem, Quo meo merito pater me exhæredavit? Nullam rem frequentior admiratio sequitur. Sed tolerabile erat, si interrogaremur hic tantum de hæreditate: altius convicium quæstio ista habet. Quid si non communis ista infamia fuisset? Quid ergo? negem fuisse rumorem, qui aspergeret hanc fœminam? tu scis an vera sint: & præsenti fortasse liti vel expediebat confiteri. Nam [2]si istud quod intelligi vis, verum est: utique hæreditas nostra est: sed pecunia potius periclitemur. Nullum meritum uxoris tuæ adversus

1 *Non ille reperiundi aliquem.*] Lege, *præterundi.* Ærodius.

2 *Si istud, quod intelligi vis.*] Immo, *quod intelligi non vis.* Patronus mulieris volebat intelligi divitem amoris conscium fuisse: idque ex præscripto Fabii: dives aut ejus patronus id intelligi nolebant. *Gronovius.*

adversus divitem fuit. Quasi vero meritis tantum hæreditates contingant. Interest an ametur, qui amat? potuit hanc amasse fœminam dives, salva hujus conscientia. Erat speciosa: erat, potuit in hunc affectum incidisse. Multi sunt, qui testamenta sic scribant, tanquam illud ad vitam eorum pertineat: sic quidam hæredes scribunt eos quos captant, [1] tanquam intellecturos, tanquam secreto scriptos. Potuit ergo amor in causa esse, [2] potuit ipsa pudicitiæ admiratio in causa fuisse. [3] Serit virtutum intellectum rerum natura. [4] Nulla tanta vitia sunt, quæ non meliora mirentur. Sed quatenus suspicamur, videor perspicere rationem quare hoc tibi mandaverit: nondum illa opinio, nondum accusator videt, hæc tanquam ab advocatis audies, ego de te suspicer. Pauper eras: vicinus eras: hujus noti mores, certa sanctitas. Argumento probavimus: cum rumor utrunque infamaret, tu reus factus es: à te lenocinium committi dixit accusator, non ab hac adulterium. Non ergo nova hæc erit suspicio mea, neque ex me nata. Id quod accusator tibi objecit, hodie credo: locutum esse tecum divitem, egisse tecum, promisisse tibi multa: novissime etiam jactasse testamentum.

CCCXXVI.

1 *Tanquam intellecturos, tanquam secreto scriptos.*] Non nemo apud Ærod. *tanquam in amicitiam allecturos, tanquam ad se attracturos secreto scriptos.* Auctoris fuit: *Sic quidam hæredes scribunt eos, quos captant, tanquam intellecturos, quanquam secreto scriptos.* Sperant enim quocumque indicio, quacumque occasione id aliquando ad eos emanaturum, utcumque, cum scriberent, eos celaverint. *Idem.*

2 *Potuit ipsa pudicitiæ admiratio.*] Latro in illa controversia apud Senecam: Sic etiam qui impudicas quærunt, pudicas honorant. *Ærodius.*

3 *Serit virtutum.*] Vet. cod. *scidit.* Pithœus.

4 *Nulla tanta vitia sunt, quæ non.*] Forte: *Nulli tam vitiosi sunt, ut non meliora mirentur.* Gronovius.

## CCCXXVI.

### *Legati filius victima pestilentiæ.*

Qui pestilentia laborabant, miserunt legatum ad oraculum petendum: responsum est ei, filium ipsius immolandum esse. Ille nunciavit civitati sacra desiderari, filio verum confessus est. Sacris finitis pestilentia non est finita: filius processit in concionem, & se ipse interfecit. Finita pestilentia reus est legatus lætæ reipublicæ.

### DECLAMATIO.

Æstimaveram, judices, consecutum esse me hoc saltem, ut sanguine meo servata civitas, [1] datæ salutis gratia meminisset: atque eo magis, quod filius meus non necessitate immolatus erat, sed voluntate. Verum hoc adeo in contrarium cessit, ut inventi sint in hoc populo, qui rem [2] nescio indignatione magis dolendam, an vanitate ridendam, objiciant homini pestilentiam: & remedium deberi Diis immortalibus putent. Si quid vero passi sumus tali remedio dignum, nostræ infirmitati adsignabitur.

### SERMO.

*Fere commendatio per hæc petenda erit: quæ illi difficillima est. Quod ad quæstiones pertinet, primæ communes sunt fere omnibus controversiis, quæ hac lege continentur. Quærendum est enim quid sit lædere rempub. & paulo fortius in hac controversia, [3] in qua tractatum esse pestilentiæ malum, hoc nuntio manifestum est.*

### DECLAMATIO.

Postea ergo causam ipsam defendemus, postea factum commendabimus: interim satis est, non esse me hac lege qua deferor, nocentem. Sane credatis imputari mihi posse civium mortes? Sunt jura quæ istud defendant. Non esse explicitam credibile est. Ergo, *nescio indignitate magis dolendam, vanitate ridendam.* Idem.

1 *Datæ salutis gratia meminisset.*] Thaddæus: *data salutis gratia emisset,* Ærodius: *data salutis gratia meminisset.* Scribendum: *datæ salutis grata meminisset.* Idem.

2 *Nescio indignatione magis dolendam, an vanitate ridendam.*] Rei ipsius affectionem significat *vanitas*; non hominum. Talem igitur quoque vocem citerius po-

3 *In qua tractatum esse pestilentiæ.*] Thaddæus: *controversia in tractum.* Ærodius: *controversia, quia contractum.* Forte: *in qua tractum esse pestilentiæ malum ab initio, manifestum est.* Vel, *hoc silentio.* Tractum, id est, diutius dilatum. *Idem.*

explicitam legationis fidem dicitis, habet hæc quoque lex actionem suam. Neque est quærendum apud vos, an alio judicii genere damnari possim, interim, hoc jus ad me non pertinet: aut si Reip. lex est, hæc nihil ad hominum mortes, nihil ad ea quæ privatim quoque vindicari possent. Objicias oportet aliquid, quo publicum fuerit per me læsum: in hoc nihil objicis mihi præter mortes hominum. Quod crimen an verum sit, postea viderimus: interim (ut dixi) [1] legi & juri conjunctum non est. Mora tamen mea aliquid detrimenti civitas accepit. [2] Si hoc defenderem, infirmitatem animi mei, satis defensionis esset non odio me civitatis feciſſe. Filium meum immolandum esse dixerat Deus: putate egisse me ne immolaretur: hostias cædi mirabamini? quid vos non maluistis? Exorare posse solennibus sacris existimabamus Deos. Quid vos hæc remedia non tentastis? Secum quisque cogitet, quantum mihi impositum onus, qualis exacta vox. Sed ne mentitus quidem sum sacra exigi à Diis immortalibus dixi. Non sacra exigebantur? non sacris placati sunt? alioqui nihil me feciſſe subripiendæ hostiæ gratia, cui non manifestum est? Indicavi filio maximi animi. Ergo ne hac quidem venia dignus est pater, si hoc filio voluit deberi quod moriebatur? Quod quidem neque consilii mei, neque voluntatis primum fuit. Credite eum qui legatus missus sit, credite eum qui responsum acceperit, renunciaverit, nihil animo suo, nihil propria mente feciſſe: hoc profecto quærebatur exemplum, ut narraretur juveni, qui pro Repub. mortem non recusavit, qui in conspectu civium visceribus suis ferrum immersit. Non potuisse aliter finiri pestilentiam, quomodo vultis. approbem? sic finita est. Non enim profecto Dii immortales pœnam petebant, nec in supplicium filii hoc respon-

1 *Legi & juri conjunctum.*] Thaddæus: *legite juri.* Rodius: *lex huic juri.* Scribe: *Quod crimen an verum sit postea videbimus: interim (ut dixi) legi huic conjunctum non est.* Idem.

2 *Si hoc defenderem infirmitatem*] Rodius, *hic.* Lege: *si hoc defenderem infirmitate animi me, non odio civitatis feciſſe, satis defensionis erat.* Idem.

ſponſum dederat civitati. Magna arceſſebatur anima: debuit duci honeſta via. Quem igitur potius in fine actionis meæ invocem, quam illum mihi proprium Deum?

## CCCXXVII.

## *Sterilis trium noverca.*

[1] Introducta tribus privignis, ſterilitatis medicamentum bibit: repudiata, injuſti repudii agit.

### DECLAMATIO.

QUod primum pertinet ad pudorem hujus fœminæ, non adulterium objicitur, non aliqua adverſus maritum licentia. Neceſſe eſt plurimum ejus moribus tribuat, ex qua liberos quærit. Omnis repudii cauſa in crimine uno conſiſtit. Hoc quale ſit, poſtea videbimus: interim unum eſt in quo mortalium tanta facilitas, nec de fœmina loquor, cujus infirmior ſexus eſt, ſed in ipſis etiam qui prudentia, ſapientiaque gloriari ſolent, habet locum pœnitentiæ. Sed unum ſit ſane grave, ſit ſceleſtum, & hercule, credibile erit, in ea quæ tres privignos habuit. Expecto ex his aliquid novercalibus factis. Venenum paravit? inſidiata eſt liberis tuis? vel (quod leviſſimum eſt) expugnare animum tuum voluit? nihil horum. Novum & inauditum antea crimen, Noverca nimium dicitur amare privignos, ſterilitatis medicamentum bibit. Si tu liberos non haberes, poteram tamen illa dicere, Periculum timuit, documentis quarundam infeliciter parientium mota eſt, fortaſſe male ſenſit de temporibus ipſis: vidit eam luxuriam, ea vitia, ut pene educare liberos amentis eſſet. Tu porro [2] in uxore nihil aliud expectas quam fœcunditatem? Non parit: ſed obſequium, ſed fidem præſtat. Sed jam tempus eſt propriis eam rationibus defendi. Bibit illud cum tres liberos haberes; nec ſtatim hoc amore & affectu defendo: interim tanquam ambitioſam tuebor. Voluit effu-

1 *Introducta tribus privignis.*] Lege: *inducta.* Idem.

2 *In uxore nihil aliud expectas.*] Potius, *nihil aliud ſpectas.* Idem.

effugere fabulas novercarum, voluit adversus casus etiam præparare: [1] illam nihil in domo habere, propter quod privignis invideret. Quid si fecit hoc non modo novercæ, [2] sed etiam uxoris optimo animo? Plenam invenerat domum, plenum testamentum. Quid mihi inquit: cum partu erat? dederat mihi fortuna juvenes: neque maritus ejus ætatis est, ut concupiscere novos liberos possit, ne fraternitatis quidem eadem jura futura erant, inter tam dissonantes tamque discordes. At nunc expellitur: & quoniam bona fuit noverca, nec liberos habitura est, nec virum.

## CCCXXVIII.

## *Discordes fratres.*

Filii familiæ duo adolescentes fratres dissidebant. juncta erant eorum cubicula. Quodam tempore audito tumultu in interiore parte domus, venit pater in eum locum, in quo clamor erat, invenit alterum ex filiis occisum. Cubicularium ejus torsit, & occidit in tormentis: quid compererit, incertum est. Interrogavit illum filius quid comperisset: non indicantem accusavit dementiæ. Absolutus est pater. juvenis parricidii accusatur, adest illi & pater.

### Sermo.

*Rei persona ante omnia infirmatur, & necesse est nos ab ea incipere. Prius ergo sumimus id quod prius videtur esse in persona. Occidisse dicitur fratrem, hoc etiam si non possumus efficere, ut in rerum natura non esse videatur, eo tamen perducemus, ut non facile credatur.*

### Declamatio.

Objicitur reo discordia cum fratre, & hoc priusquam ad causas pertineat occidendi, ad crimina personæ admittimus. [3] Discordia cum patre. Ante omnia, commune ma-

1 *Illam nihil in domo habere.*] Ærodius, *item in domo.* Scribe: *Voluit effugere fabulas novercarum: voluit adversus casus se jam præparare: voluit nihil in domo habere propter quod privignis invideret.* Idem.

2 *Sed etiam uxoris optimo animo.*] Potius, *optimæ.* Idem.

3 *Discordia cum patre. Ante omnia.*] Ærodius: *cum fratre.* Haud dubie recte. Dein, *commune maledictum est omnibus qui accusantur. Sed penes.* Hoc probare non possum. Discordia, inquit, est commune maledictum: hoc est, quo tam lædiditur mortuus quam vivus, quando non constat, penes utrum fuerit culpa. Sic

supra

ne maledictum est cum eo qui vindicatur, & penes quem culpa fuerit, magis potest pater scire quàm accusator. Asperiorem esse autem adversus suos, interim & fiduciæ argumentum est: & hoc adeò non valet ad probationem tanti criminis ut contrà sit, jam enim transimus ad causas. Dicitur occidisse fratrem inimicum, non dico illa, Non protinus, si causæ sceleris sint, scelus quoque constat. Utinam enim ita composita esset natura rerum, ut omnia facta causas superarent. Plures erant propter quas non occideret, nam erat occidendi, quod inimicus est: non occidendi, quod frater est: non occidendi, quod periclitaturus: non occidendi, quod ipsa per se innocentia satis justas rationes habeat. Ergo non continuo sequitur; ut si quis odio aliquo concitatus est adversus alium, hunc etiam ferro extincturus sit, an vero innocenter inimicitias geri vel inter alienos, vel inter extrarios fas non est? Quotidianis jurgiis forum strepere, assiduas lites videmus: quis non dies convitia, quis non maledicta affert? Scelus ex natura mentis oritur. Huic vero etiam ad causas metuendi sceleris, accessit, quod jurgium ei cum fratre palam fuerat. Cauta sunt hujusmodi scelera & circumspecta. Neque enim est quisquam tam perditus, tam inutilis sibi, ut non ista committat proposito negandi. Et mehercule quam hoc ipsum repugnat quod ab accusatore pro potentissimo ponitur, quod in cubiculo suo occisus est, quod in lecto suo? Nihil minus commisisset percussurus, quam ut hoc ei objiceretur. Latrones longe à receptaculis suis spoliant. Ferarum quarundam dicitur hæc esse natura, ut procul à cubilibus rapiant. Fratrem discordem in domo, in cubiculo occidit, ut qui neget? Sed ne apud ipsum quidem accusatorem hæ causæ satis

supra decl. 321. *Discordes, inquit, fuistis. Nondum rationem hujus criminis reddo: illud interim testor, hunc bonum amicum utrique maledicere.* Idem.

1 *Ut qui neget.*] Ærodius: *ut nihil negat.* Idem sensus in altero exquisitiore genere loquendi. Sic Livius lib. 40. *Venena, gladios, volutabam in animo. ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* lib. 44. *Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus?* Idem.

satis valuerunt. Neque enim servi torquendi ratio erat, si feciſſe filium exiſtimarem. Deſinite ergo hoc uti argumento, & me teſtem citare contra eum, qui defenditur. Servum torſi: quis neſcit hoc accidere nihil indicanti? ſervum torſi cubicularium ejus qui occiſus eſt. Nihil in ſervo ſuſpicatus ſum alterius filii. Nec poteſt mihi objici negligentia quæſtionis: quæſivi enim. Nec in hac diligentia, ſuſpicio adverſus filium alia: ipſe demum qui erat percuſſus, quæſivi. Quid ergo, inquit, in tormentis confeſſus eſt? Dura eſt conditio interrogationis hujus, cum id quæritur, quod ſi reſpondeas, non creditur. Vis enim accuſator voce mea ſtari? vis credere judices, quicquid reſpondero? Das etiam mihi fingendi libertatem: propter hoc ipſum perdam neceſſe eſt fidem, quod mihi dicere licet quicquid voluero. In alia, inquam, parte filio meo conferam, ſi qua potero: advocatus pro teſtimonio mihi remittet. At nec ſiquidem filio indicaſti. Qui hoc colligis noluiſſe me dicere quod contra ipſum erat? quæ ratio tacendi fuit? ſi filium meum feciſſe credebam, quæ ratio tacendi apud ipſum? nam ſive iraſcor, vindicari poſſum hac voce, quam contra illum habeo: ſive imputare indulgentiam volo, plus illi præſtitero, ſi ſcierit ſe feciſſe. Cur ergo non reſpondi? jam videor judicibus reddidiſſe rationem. Sic enim cauſam agebam, Non reſpondeo filio nimium curioſo: quid eſt enim utique, cur indicare neceſſe ſit? Non reſpondeo nunc, quoniam ſic inſtat, adjiciebam huic nihil reſpondeo, quoniam nihil certi ſcio: non reſpondeo, quoniam non credo aliquid dicenti: non reſpondeo, quoniam adhuc quæro: non reſpondeo, quoniam hoc inquiſitioni meæ non expedit: non reſpondeo quoniam [1] illum ut interrogarem torſi. An vero parum juſtas ſæviendi cauſas habebam adverſus cubicularium? dominum ſuum non defenderat, non ſervaverat, neſciebat quis dominum ſuum

1 *Illum ut interrogarem torſi.*] Vet. Cod. *illum interrogatum torſi.* Pith.

ſuum occidiſſet. Sed ſi argumentum ex his trahimus, non eſt majus contra filium meum ſilentium, quam pro ipſo quod accuſavit, quod detulit. Iraſcor quidem huic ejus pertinaciæ: [1] ſed quandoque vindicabo, quomodo fas eſt, quomodo oportet. Veruntamen qua fiducia fecit, quod me non timuit offendere? Judices, inquit, cum te abſolverunt dementiæ, hoc judicaverunt, à filio fratrem videri occiſum. Nihil minus: nam ſi filius meus fratrem occidiſſet, patrem impie accuſaret: demens eram quod reſpondere tam furioſe poteram, quam ſi vivere cum eo, quem cruentas manus habere ſciebam? Erit ergo adeo non damnatio iſta filii mei, ut poſſit videri etiam abſolutio. Hæc ego de cauſa dico ipſius. Permittetis mihi in ſumma parte cauſæ, uti etiam perſona mea. Ego iſtum, ſi filium meum occidiſſet defenderem? qualem me patrem judicatis? aſperum: & ego pro filio mentiar? mitem, indulgentem: & ego non vindicabo illum qui occiſus eſt? inter liberos hæc una differentia eſt apud animum patris, quod ſemper majorem locum habet is, cujus miſeremur. Neque hic ſane meruerat ut à me niſi innocens defenderetur. Reum me detulit, ſordes mihi induit, ad judicem vocavit, ſentiet hoc quale ſit, cum teſtamentum ſcribam: ſentiet cum triſtitia indulgentiam meam requiret. Quid eſt ergo? mentiri, ne iratus quidem poſſum: eſt filius contumax, eſt patris ſui accuſator? ſed fratrem non occidit. Neque ego iſtum in ulla alia parte abſolvendum puto: nec hodie veni in hoc judicium tanquam advocatus. Nihil rogabo, nihil precabor: illud tantum meæ pietatis gratia, meæ tantum conſcientiæ cauſa faciam, ne videar iſtum ſilentio preſſiſſe.

## SERMO.

*Ne quem veſtrum ducat illa ſpecies, ut videatur hic eſſe aliquid momenti habiturus apud judices, ſi miſerabilem ſe fecerit: ſi amiſſo*

1 *Sed quandoque.*] Scribe: *Iraſcor quidem huic ejus pertinaciæ: & quandoque vindicabo.* Gronovius.

*amisso altero filio deprecatus fuerit pro juvene. Sunt ista in aliis caussis potentiora: hic pater nisi prior securo est in hoc judicio: mentitur pro filio: non tam illi opus est opera advocati, quam fide testis.*

## CCCXXIX.

## *Sepultura tyranni qui se occidit.*

QUI TYRANNUM OCCIDERIT, IN FORO SEPELIATUR. In pestilentia responsum est tyrannum occidendum. Ipse sese occidit, petunt propinqui ut in foro sepeliatur.

### DECLAMATIO.

INgens calumnia! pudet mehercule me actionis: nunc ego negabo. Quid si ostendero eum qui civitati libertatem abstulerit, qui leges sustulerit, qui templa violaverit, qui injuriis nostris iram Deorum immortalium commoverit, tyrannicidam non fuisse? Multum alioqui effeciisse oratione mea videbor: interpretanda nobis legis ipsius voluntas est: quid spectaverit ille qui constituebat, diligenter (ut res est) [1] & alte exquirendum atque eruendum. Ego mihi arbitror, judices, pauca pro legumlatore esse dicenda, ne tam obscure hoc occulteque scripsisse videatur. An non est hoc omnibus, qui modo ad intellectum sermonis pervenire possunt, lucidum atque manifestum, eum qui legem ita composuerit, ut si qui tyrannum occidisset, in foro sepeliretur, locutum de duobus? non intelligit aliquis alium esse eum qui occidat, alium qui occidatur? Argumentis scilicet agendum est, & in exemplum afferendæ aliæ quoque leges. Dicam nunc ego, QUI PULSAVERIT ALIQUEM, INJURIARUM TENEATUR. Nemo tamen tenebitur qui se ipse pulsaverit: nam illud quidem ridiculum (ut opinor) omnibus vobis futurum est, si in exemplum proximam similitudinem adduxero, ac negavero teneri lege ulla eum, qui se occiderit. Est porro hoc

1 *Ut alte exquirendum atque eruendum.*] Vet. cod. *eruditendum*, & paulo post, *si ad Deos existimemus pertinere præmia.* Pith.

hoc manifeste reprehendendum, si ad eos existimemus pertinere præmia, ad quos pœnæ pertinent. Bene scilicet de repub. meruit, quod aliquando finem imposuit harum calamitatum: illi scripta lex est. [1] Non ille, qui componebat hæc jura, sic locutus est. Non est satis ei qui servitutem reipublicæ detraxerit: qui monstra hæc, quibus libertas laborat, qui homines adversus Deorum hominumque injuriam natos, & in exemplum scelerum constitutos, quo magis ea odissemus, occiderit, dum vivit, tantum honorari non sufficiunt magistratus, nec satis sunt tituli: habeatur aliquis etiam morti honor, & ad exemplum posteritatis ostendatur in foro sepulchrum, ne quis audeat tyrannus esse: ut omnes homines monumentis hujus sciant, quibus præmiis adversus tyrannos tyrannicidæ armentur. Ita nunc hic tanquam bonus civis, ita tanquam liberator hujus civitatis honorabitur? Sic est hercule, judices, sic est: si hunc civitas non habuisset, serviremus etiam nunc, & gravissima illa tempora, quæ diu passi sumus, sustineremus. Expecto mehercule ut [2] cujuslibet impudentiæ accusatores, sic quoque opus ejus augere atque exaggerare conentur. Occidit tyrannum non hunc vulgarem, & usque ad nomen tantum nocentem: Plus aliquid quam cæteris constituamus. Occidit tyrannum crudelissimum, sævissimum, expugnatorem non pudicitiæ modo & patrimoniorum nostrorum & principum hujus civitatis, sed templorum omnium & cæremoniarum: nec hominibus magis quam diis immortalibus invisum. Vera sunt quidem ista, judices. Sed si velimus suum titulum reddere liberatoribus nostræ civi-

1 *Non ille qui componebat hæc jura, sic locutus est.*] Post hæc verba inserit Ærodius: *Qui sese tyrannum occiderit.* quasi consilium fuerit auctori ponere aliquid, quod negare posset in formula legis haberi. At τὸ *Non* per interrogationem accipiendum, quasi esset *Nonne*. Quod autem locutum legislatorem vult, id statim explicatur ab his, *Non est satis*, usque ad ista *tyrannicidæ armenta*. Locutus est autem ista vel apud sese, hoc est, cogitavit cum conderet legem: vel in concione ad populum, quum eam suasit. *Gron.*

2 *Cujuslibet impudentiæ accusatores.*] Lege, *excusatores*. Ærod.

civitatis, illum Dii occiderunt. Non enim contenti advocati partis adversæ hac legis calumnia, etiam bene meruisse eum de repub. nostra dicunt: quod audito responso ipse se percussit. Ego porro etiamsi confiterer plurimum eum Reipub. morte sua præstitisse, non tamen inter beneficia ducerem injuriæ finem. Nunc vero quis ignorat, quam multæ eum necessitates ad exigendas à seipso pœnas impulerint? Si tantum hoc dicerem, [1] Cum salus esset proposita civitati hoc silentio ut tyrannus occideretur, quis non nostrum in arcem rueret? quis non subderet faces? quis non concremare pestem illam reipubli æ vellet? Vidit animos nostros, vidit impetum: [2] non enim vulgaria sacramenta ducebant: nec [3] sicut adversus alios tyrannos tenebant, injuriæ tantum dolore urgebamur. Incredibile est quid non ausura fuerit libertatis & salutis necessitas Quid enim dicam quam invisus ille Diis immortalibus fuerit? nos non ferebant, & patientiæ nostræ irascebantur. Si hunc tantum vitasset impetum, nihil tamen ipsi deberemus. Age illud quanquam demens & sceleratus, & furiosus, non vidit effugere se non posse, quando eum Dii immortales mori vellent? Pestilentia innocentes rapiebantur, non mehercule aliam fuisse causam, judices, existimo, quod huc deducti sumus. Quid? in illa labe totius civitatis, Dii immortales non tam tacite intelligi, quam publicare pœnam tyranni voluerunt. Parum existimaverunt si illum alius occidisset. Ne quis itaque existimet, ultionem tantum nostram ad animos hominum pertinere. Illam illam ego, judices,

1 *Cum salus esset proposita civitati hoc silentio.*] Forte, *hac conditione.* Alii apud Ærodium, *hac consideratione.* Gronov.

2 *Non enim vulgaria sacramenta ducebant.*] Perperam vir doctus: *non enim tanti vulgaria sacramenta ducebantur.* Sacramentum ducit & adigit militem ad invadendum hostem. Ita, inquit, non tralaticiæ & vulgares causæ nos invitabant ad tyrannum oppugnandum. Sic decl. 305. *qui paullo ante arma minuit sacramento tuli.* id est, non tam gravi causa bellandi. decl. 357. *Accessisse novum amori suo sacramentum.* Seneca de brevit. vitæ c. 5. *tot nobiles juvenes adulterio vitut sacramento adacti.* Habes & apud Florum lib. 3. 10. & 18. *Idem.*

3 *Sicut adversus alios.*] Vet. cod. *adversos.* Pith.

dices, jam nunc video peſtilentiam. Nam ſi fuit cauſa morborum, quod homo in civitate noſtra, ſua tamen mente, ſuoque propoſito arcem occupaſſet, quod libertatem abſtuliſſet: quo tandem modo ulciſcentur Dii immortales id, quod nos fecerimus? Corpus illud omnibus ſibique ipſi damnatum, publicis ſcilicet exequiis efferemus? Hoc agite, ducatur ingens funeris pompa, eat primus Senatus, & ordo ille ſanctiſſimus, quanquam recepta modo libertate lætus, vultus tamen habituſque ad mœſtitiam transferat: [1] dum maxima multitudo quæque, dum univerſus denique populus luſtret atque ambiat rogum, adjiciamus & lacrymas. Perdidimus tyrannicidam, & vindicem reipub. & libertatis auctorem: tum domum reverſi narremus liberis noſtris, Hæc virtus habet præmia. An aliquis etiam roſtra conſcendet & (qui ſupremus claris civibus honor habetur) advocata populi concione, laudes ejus quem in foro ſepulturi ſumus, concinet? Audient Dii immortales, qui nos peſtilentia liberaverunt, qui graviſſimos morbos propitii miſerunt? Si ulla eſt dicenti fides, jam nunc in hac cogitatione, atque in hac rerum imagine verſatur mens mea. Ex illo ſuccenſo tyranni rogo ſurrecturi mihi protinus morbi videntur: & quacunque feralis ille ignis in civitatem diros illos atque execrabiles diffuderit fumos, gravem quandam peſtilentem nubem ſupra domos noſtras ac tecta ſeſſuram. Quæ tunc reſponſa petituri ſumus? quod auxilium homines, qui hanc quoque Diis immortalibus injuriam facimus, ut videantur ſalutare illud Reipub. reſponſum pro tyranno dediſſe?

CCCXXX.

1 *Dum maxima multitudo quæque.*] Fortaſſe: *tum maxima multitudo equites, tum univerſus denique populus.* Gronov.

## CCCXXX.

## *Abdicandus qui alit adulteram matrem.*

Crimine adulterii repudiavit quidam uxorem, ex qua juvenem habebat filium: adolescens accessit ad patrem, & ait, amari à se meretricem. Dedit pecuniam illi pater: ille matrem egentem alere cœpit, patre ignorante, comperit pater, & ob hoc abdicat filium.

### Declamatio.

NOn ignoro expectatione criminis me onerari, ex hoc præcipue [1] quod abdicans indulgens pater. Itaque ne illa quidem dicere quæ initio defensionis solennia cæteri habent, possum. Ecquid peccavi? nunquid luxuriatus sum, nunquid bona paterna consumpsi? nunquid meretricem amavi? Cum eo mihi patre res est, qui remissurus hæc fuit. Utinam profutura ista frugalitas esset apud patrem, nunc omnis judicii scena, omne periculum meæ dignitatis ex hoc oritur, quod pecuniam non meretrici dedi. In hoc enim, ut opinor, omnis criminatio divisa est patris, quod matrem aluerim, quod talem, quod patre ignorante. Quod sic matrem alui, blandior mihi adhuc pater erat quod in me laudari posset, si aliquid objiceres. Itaque defensionem hujus partis jucundam præteribo, ne quam quæsisse videar occasionem, qua de meis laudibus loquerer. Sed repudiatam tamen crimine adulterii alui. Satis erat mihi respondere, judices, Istud qualecunque est, ad filium non pertinet. Mariti mores excutiant, mariti severitatem desiderent: liberis satis est, quod nati sunt. Et hercule facilius mihi vindicandi potestas ab ipso crimine est, quod non est litigatum, non est quæsitum, [2] non est pronuntiatum, maledictum fuerit, an crimen: [3] constantia mater discesserit, an ve-

1 *Quod abdicans indulgens pater.*] Ærodius: *quod abdicans indulgens pater est.* Cur non, *quod abdicat.* Idem.

2 *Non est pronunciatum.*] An mater mea adultera fuerit, sed simpliciter, & quasi domestico judicio hoc nomine repudiata est, tanquam adultera, & causa adjecta impudicitiæ: propter mores graviores, ut inquit Ulpianus tit. de dotibus. *Ærod.*

3 *Constantia mater discesserit, an vecundia.*] Scribe: *conscientia mater discesserit.* Quod culpæ sibi conscia esset. *Gronovius.*

an verecuudia: una te ſuſpicio, an certa aliqua probatio ad hoc duxerit. In utrumque me ratio ducit. Aliquid audiſſe te credo: repudiaſti, nihil certum manifeſtumque cognoviſſe te credo: tantum repudiaſti. Qualecunquc tamen iſtud eſt, non mediocrem habet morum ſuorum defenſionem, vel ipſam egeſtatem. Illa proſtituta, quæ ſe omnium amoribus permiſit, fame jam periiſſet, niſi filium habuiſſet. Neque ignoro mea vel tarditate, vel verecundia factum, quod mihi cauſa matris meæ hîc agenda eſt, quod tam ſero, quod nunc demum, poſtquam ipſe, dum miſereor, offendi. Utinam adjicere apud te voluiſſet illa, quæ mihi quotidie ait: Ita, ego adultera hoc tempore, in hac potiſſimum ætate, poſt filium, & poſt filium juvenem. Affirmat ideo ſe cibos accipere, ideo protrahere vitam, ut tibi de pudicitia ſua liqueat. Sunt iſta, quæ movere te quoque potuerint. Ego tamen in præſentia omiſſa omni defenſione, illud reſpondere contentus ſum, Qualemcunque alui. Quantulum eſt enim quod præſtiterim ego illi etiam invidioſæ pietatis filius? non plus in matrem contuli, quàm quod patereris datùm eſſe meretrici. Sed clam & ignorante te. Unde mihi tantam felicitatem ut hoc crimen ſit? Volo itaque interrogare præſentibus his, quos habemus judices, quid fieri oportuerit. Rogare te debui? Exoratus igitur fuiſſes, ſi petiiſſem? hoc reſponde, [1] hoc adnue, & crimen confitebor. Aluiſſes ergo, ſi ſciſſes: credo. Quantulum enim erat quotidianam ſtipem, & hoc exiguum, quo anima in poſterum diem prorogaretur, præſtare filii tui matri? [2] & ſi hoc animo fui, tu voluiſti, tu dediſti. Nec enim

1 *Hoc ad necem, crimen confitebor.*] Fortaſſe ita reſtitui poteſt, *hoc annue, & crimen confitebor.* Sed cujuſdam hæc verba eſſe potuerunt adnotantis in margine, hoc firmiſſimum eſſe argumentum, & necem ac jugulum afferre adverſario. Nam pater in quancunque partem reſpondeat, ſe exoratum iri vel non, factum filii non arguatur neceſſe eſt. Si exoratum iri, ergo voluntate patris factum eſt, quod à filio factum eſt: ſin contra, recte & pie fecit, & eo magis quod patre inſcio & ignorante, veritus ejus offenſam vel indignationem. *Ærod.*

2 *Et ſi hoc animo fui, tu, &c.*] Ærod. *vel ſi hoc animo fuiſti, vel voluiſti, tu dediſti, cum ipſe dedi.* Nobis ſufficit: *& ſi hoc animo fuiſti, ſi voluiſti, tu dediſti.* Gron.

enim cuiquam credibile videri poteſt, ignoraſſe te, an ego vere amarem. Me ſine dubio & verecundia & metus inhibuit aliquatenus verum ſtatim dicere. Sed ut pecuniam acciperem, illæ me ſubierunt cogitationes, quam indulgenter, quam prudenter faceres, ut infelicem fœminam aleres, nec videreris in gratiam rediiſſe. Tu tamen, inquit, mentitus es patri, & amorem meretricis finxiſti. Ita innocentior eram ſi verum dixiſſem. Plena eſt hujuſmodi artibus vita, plena ſunt etiam theatra: circunſcribuntur & ſervorum artibus patres, & mendaciis filiorum: & ignoſcunt, cum meretricibus pecunia datur, cum aliqua à lenone redimitur ancilla. Dixi amorem eſſe meretricis: acceptam pecuniam matri dedi, innocentior ergo eram, ſi pecuniam matri petitam meretrici dediſſem. Poſſit videri ſine dubio durum & aſperum, me, cum ipſe ſim in periculo, etiam pro alio rogare: quæcunque tamen occaſio, quæcunque tamen neceſſitas, ſi jam ego offendi, ſi quid, quod parum ſimpliciter rogaverim iraſceris, illam commendo miſeram: non ut reducas, fuit iſta ſpes aliquando, & forſitan, ſi felicior eſſem, maneret, [1] illud adhuc quod egens & abdicatus, neceſſe habeo deprecari, ut alas, etiamſi iraſceris. Qualem enim miſeræ illius exiſtimas vitam, cum cibos quotidianos petit: & ſemper in poſterum egens eſt? Equidem vereor, judices, ne poſt hanc meam calamitatem, quam præſertim excepiſſe me propter miſericordiam ſui credit, finiat inviſam diu vitam, & cibos accipere deſinat, etiamſi dabis. Nam ſi perſeverabit, (rogo, ignoſcatis, etiamſi hoc forſitan apud animum patris mei aſperum videri poſſit) hærebo miſeræ comes quotidiano labori.

CCCXXXI.

1 *Illud adhuc quod egens.*] Scribe, *Illud adhuc, quamvis egens & abdicatus, neceſſe habeo deprecari.* Idem.

# CCCXXXI.

## *Bis damnatus injuriarum, tertio absolutus.*

QUI CAPITIS REUM NON DAMNAVERIT, IPSE PUNIATUR. QUI TER INIURIARUM FUERIT, CAPITE PUNIATUR. Bis damnatus injuriarum, tertio à quodam postulatus, absolutus est. agit cum accusatore tanquam capitis accusatus.

### SERMO.

[1] *Bis damnato huic demus oportet patronum: nam etiamsi proxime absolutus est, bis tamen damnatus est.*

### DECLAMATIO.

QUI CAPITIS ACCUSAVERIT, NEQUE DAMNAVERIT, IPSE CAPITE PUNIATUR.

1 *Bis damnato huic demus oportet patronum* ] Qui edicto Prætoris infamia notantur, licet pro se & certis quibusdam personis postulare non prohibeantur, melius tamen est huic patronum dari qui jam bis injuriarum damnatus est: quia non tam pro se agere, quam publicam videtur injuriam exequi. *Ærodius.*

2 QUI CAPITIS ACCUSAVERIT.] Ex hac declamatione si ex ullo alio loco, ita manifeste ostenditur, quid sit capitale judicium, quid non (de quo inter viros doctissimos hactenus contentio fuit) ut nullus jam sit dubitandi locus. Et quanquam certum sit, capitis quoque ea judicia appellari, quæ lædunt famam & existimationem, Cic. pro Quintio. l. Licet. ff. de verb. & rer. significat. proprie tamen ea dicuntur quæ mortis vel servitutis pœnam habent. l 2. ff. de public jud. l. 2 l. capitalium. ff. de pœnis. nec quidem omnia rursus, sed ea quæ, cum legibus publicorum judiciorum contineantur, capitalia sunt. Macer de prævaricat. l. 3. §. 1. Si ideo quis accusetur, quod dicatur crimen judicii publici destituisse, judicium publicum non est: quia neque lege aliqua de hac re cautum est, neque per Senatusconsultum, quo pœna quinque librarum auri in desistentem statuitur, publica accusatio inducta est. Ea publica judicia quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt, Jurisconsultus enumerat. l. 1. ff. de publ. judic. inst. eod. tit. Quæ cum ideo suam habeant formam, suum judicium, numerum suum, Quæsitorem suum, sua tempora, sua nomina (ut Quintilianus ait) suumque ordinem, qui durante pœna legum in usu esse desiit. l. ordo ff. de publ. jud. si quoddam aliud reperiatur, cujus quidem pœna sit mors, sed alia forma: non tamen capitale appellabitur, ad hoc ut quod nominatim de capitalibus indiciis cautum est, in eo locum habeat. Odiosa est enim in criminibus extensio, & ultra verba legis interpretatio. qua de re hic exemplum est. Nam injuriæ judicium privatum est, licet infamiam irroget. l. infamem. ff. de publ. jud. Patet ex lege duodecim tabularum, in qua modo injuriæ pœna fuit pecuniaria, *Si quis injuriam alteri faxit,* XXV. *æris pœna sunto.* licet quoque tandem pro qualitate delicti, extra ordinem puniri cœperit. Paulus lib. 5. sent. tit. 4. injuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto jure introducta est, &c. l ult. ff. de injuriis. Cæterum eum gravius puniri qui jam bis damnatus sit, & ideo ob infamiam suam vel egestatem injuriarum judicium contemnat, æquissimum est l. si quis injuriam ff. eod. tit. Tanta enim petulantia quæ ne infamia quidem, qua quis quasi civitati perit (ut ait Quintilian. in fine hujus declam.) coerceri

TUR. Lex hæc est, qua judicium continetur. hæc est, qua ego istum accusem. hæc est, quæ utrumlibet horum occisura sit. Ergo hac lege sola accuso. Nemo dubitaverit hanc legem esse justissimam: sed quas causas habeat, postea dicam. Non accusavi te, inquit, capitis, sed injuriarum. Primum igitur hoc intueri vos oportet, si quid damnatione, si quid ultione dignum non habet, justum [1] debet judex sequi, debet sequi proximum. Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Nam & semper caventes nequitia vicisset: & jus ita multiplex atque diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum. Fecerunt ergo, ut rerum genera complecterentur, & spectarent ipsam æquitatem. Multa ergo invenientur frequenter, quæ legum verbis non teneantur, sed ipsa vi & potestate teneantur: quale hoc est. Sane enim concedam in præsentia tibi, non fuisse illud judicium capitis: si tamem eandem vim habuit, quam judicium capitis, eandem pœnam habere debet. Fingamus enim plura esse scelera, sicuti sunt, quæ morte punienda sint: Nam cum lex etiam eum, qui falso accusaverit, occidi velit: manifestum est occidendum esse eum, qui templa incenderit, occidendum esse eum, qui patriam prodiderit. Quo modo non interest, qua lege harum accusaveris: quoniam id demum jure, de quo quæritur, comprehensum est, ut qui capitis accusaverit, pœnam patiatur. Ita nihil interest, quod genus judicii fuerit, si eventus

eodem

coërceri potest, non jam ad privatorum, sed ad legum, quarum contemnitur auctoritas, ultionem & animadversionem pertinet. τῶν μὲ γὰρ ὀλίγων, τὰς δὲ νόμους ἀπάντων εἶναι, inquit Demosthenes. *Idem.*

1 *Debet judex sequi proximum.* ] Julianus lib. 74. Digestorum, De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est: & si qua in re hoc defecerit, tunc quod proximum & consequens ei est, &c. Hæc nostris vulgaria sunt. Hic vero locus ratiocinativus appellatur, de quo vide hunc ipsum Quintil. lib. 7. c. 9. In hoc genere (inquit) hæc quæruntur, An quoties propria lex non est, simili sit utendum: an id de quo agitur, ei de quo scriptum est, simile sit. Simile autem & majus est, & par, & minus, &c. In eandem fere sententiam & iisdem fere verbis infra, declam. 350. *Idem.*

eodem rediturus fuerat. Num igitur dubium est, quin hic, pro quo loquor, si esset injuriarum tertio damnatus, periturus fuerit? extra quæstionem est. Quid ergo? damnatum eum existimari oportet? cui damnato capitis pœna imminet, non pecunia multabitur, non ignominia, non damno juris alicujus. Quid ergo? futurum erat, ut occideretur. Quid interest hoc qua lege? quid interest quo genere judicii? Fieri non potest, ut hic capite periclitatus sit, & tu non capitis accusaveris. Præterea quam putamus fuisse causam conscribendæ legis hujusce? Hanc enim cum excusserimus, apparebit in istam quoque partem satis esse cautum. Si QUIS CAPITIS ACCUSAVERIT ET NON DAMNAVERIT, IPSE CAPITE PUNIATUR. Hoc, opinor, illi justissimi legis hujusce latores spectaverunt, ne quis impune alteri periculum afferret. Homicidii genus putaverunt: petere spiritum hominis, quem occidi non oporteret. Tu hoc feciſti: accusasti innocentem, si tibi creditum esset, periturus erat is quem accusasti. Judices eodem tempore de te pronuntiaverunt. Non potest omnino ista circumscribi religio & severitas judicii, ut non pœnam det pars utralibet. Hoc absoluto, qui periturus fuit, continuo id quoque consecutum est, ut tibi esset pœna patienda. At enim tertio tantum injuriarum accusavi, & tu bis damnatus eras injuriarum. Quid interest quæ res fecerit istud capitis judicium? Nam & tu crimen gravius objeciſti, quam priores objecerunt. Vis scire, quam hoc verum sit? Semel injuriarum damnato ignoscitur. Illud morte dignum videtur, si is qui bis jam damnatus est injuriarum, fecit. Jam hoc tale videtur quale hominem occidere. Ergo tu id objeciſti, quod lex morte dignum putavit, quod lex capite taxavit: capitis ergo accusasti. Hoc loco jure depulsi, ad convitia confugiunt. Bis tamen injuriarum damnatus est. Poterat mihi satis esse, quod tertio absolutus est. Sed animadvertitis

quales inimicitias sortitus sit: [1] scitis illum non innocentem accusari solere. Sed facilius fuit [2] ut traheret aliquid gratiæ, dum id fieri [3] sine periculo videbatur. Ideo intentius, judices pronuntiaverunt, posteaquam talis pugna commissa est, in qua perire alteri necesse sit. Omnia igitur ejus tulit qui reus capitis accusatur, periculum, solicitudinem, debet consentire iis etiam ultio.

### Sermo.

*Hæc ab accusatore existimo satis dicta: contra illa.*

## PARS ALTERA.

### Declamatio.

Lex eum qui capitis accusarit, neque damnaverit, capite puniri jubet. Capitis judicia certa sunt & vim suam habent: semper capitis judicia sunt his legibus constituta, quibus nemo potest damnari plusquam semel: [4] habent suam formam, suum judicium, numerum suum: Quæsitorem

1 *Scitis illum non innocentem accusari solere.*] Sic Pithœus, quum Thaddæus & Ærodius, *illum jam innocentem.* Si hæc dicerentur pro illo, qui tertio postulavit, probarem Pithœanum. Sed dicuntur pro absoluto: eoque legendum est: *Scitis illum etiam innocentem accusari solere.* Ut convicia adversarii diluat, & auctoritatem demat prioribus duobus judiciis, nolite, inquit, ex duplici damnatione judicare de moribus hujus: videtis quam graves habeat inimicos; ex tertio judicio intelligitis periculum etiam innocenti ei solere inferri. *Gron.*

2 *Ut traheret aliquid gratiæ.*] Scio Justini vel Trogi, *ut ab utrisque parem gratiam traheret.* Sed hic sententia requirit: *ut daretur aliquid gratiæ* ut non tam meritis causæ, quam gratia apud judices inimici ejus impetrarent damnationem in duobus judiciis prioribus, dum nondum capite periclitatur. *Idem.*

3 *Sine periculo videbatur.*] Primo videlicet & altero judicio. *Ærod.*

4 *Habent suam formam, suum judicium.*] Hæc omnia fere uno verbo Quintil. alibi complexus est lib. 3. c. 12. In publicis judiciis (inquit) Prætor (quem Quæsitorem hîc appellat) certa lege sortitur. Habebant igitur à lege capitalia judicia, sua propria nomina, quæ Macer enumerat: suum Quæsitorem, Parricidii, de Repetundis, inter sicarios, &c. qui omnes Prætores erant, sed per excellentiam Prætor Urbanus, Prætor appellatur: hi, Quæstores sive Quæsitores. Habebant & capitalia judicia numerum suum Judicum LXXII. quorum sortitio & rejectio fieret. Sua tempora: nam XX. dies dabantur accusatori, reo totidem. Ascon. in Verrem. Sed sæpius in hoc variatum est, ut in forma & ordine. Nova lege factum est (inquit Cicero de finibus) ut eodem die reus accusatori responderet. quæ lex fuit Pompeji Magni. hac duæ horæ accusatori, tres reo dabantur. Forma autem judiciorum publicorum erat in sortitionibus, subsorti-

torem ſuum, ſua tempora, ſua nomina. Reſponde igitur mihi tu qui accuſatum te capitis eſſe contendis, qua lege fueris reus. Injuriarum? Hic jam ipſos interrogare judices poſſum, an injuriarum actio capitalis ſit. Sed quid habeo quare interrogem judices? ex te ipſo quæro, Injuriarum damnatus utrum occidatur? [1] non ut opinor, ejus te futurum impudentiæ, ut hoc contendas: alioqui dicam, damnatus es ſemel, damnatus es iterum: non eſſe hoc capitis judicium, vel ex hoc ſolo apparet, quod vivis. Sed idem, inquit, effectura res eſt, quod ſi capitis damnatus eſſem: & proximo jure utendum eſt, & ſimilitudine quadam legis. Hic jam deſinit privata eſſe lis. Nam ſi accuſatori licet conſtituere jura, & leges ferre, ſi quod antea fieri per populum, per Senatum licebat, conſtituitur inter ſubſellia pro dolore cujuſque, vel pro auctoritate, ſupervacua erunt ſuffragia, ſupervacuus tantus ambitus in conſtituendo jure. Non de eo quæritur apud hos, an æquum ſit: nos venimus in judicium quæſituri hoc ſolum, an ego iſta lege tenear. At oportet, & juſtum eſt, ea quæ ſimilia ſunt ſimili pœna contineri. Adhibes ſenatum, adhibes populum: emendandum ſit fortaſſe jus: hoc interim vivimus, hoc utimur. Multa autem jura decipiunt, neque ideo conſcripta ſunt, ut ignorantia fallant.

## SERMO.

*Hoc eſt illud commune (ut dicebam vobis) cum ſcripto & voluntate.*

## DECLAMATIO.

Sed fingamus (ut has demus delicias) [2] ut ſimili lege utendum ſit. Quid hic ſimile dixit? jam illa lege aliud genus

ſortitionibus, rejectionibus, obſignationibus, interrogationibus, ampliationibus, comperendinationibus, primis, ſecundis, pluribuſque actionibus. *Ærod.*

1 *Non ut opinor ejus te futurum impudentiæ.*] Dele particulam *Ut.* Gronov.

2 *Ut ſimili lege utendum ſit.*] Ærodius: *in ſimili lege an ſimili pœna utendum ſit.* Scribe: *ut in ſimili lege utendum ſit. In ſimili*, puta, re, quæ non eſt expreſſa in lege, ſed ei, quam lex punit, ſimilis eſt. *Idem.*

nus auctionum, alium Quæsitorem, non eadem tempora, non paria, sed periculum par. Hoc si fit actione injuriarum, sane aliquam similitudinem habere videatur. Interrogo enim te, an si ego, qui tecum injuriarum egi, semel objecissem tibi hoc idem crimen, & tu antea damnatus non esses: num capite fueris periclitaturus? non, ut opinor. Non ergo ego feci ut tu capite periclitareris: sed illi, qui te ante bis damnaverunt. Neque enim senectutem affert summus dies, sed longus ordo vitæ: nec ebrietatem facit illa potio, postquam concidendum est, sed [1] tempestivum convivium, & aviditas nimia. Non ergo mea actione effectum est, ut periclitareris: sed illis actionibus, quibus jam damnatus es. Sed absolutus sum, inquit, tertio. Viderimus, quantum hoc ad gloriam tuam pertineat: interim damnatus es sæpius. Etenim de petulantia tua hoc illi primi judices senserunt, hoc secundi senserunt: nunc absolutus es. Nihil de religione eorum, qui pronuntiaverunt, querar. Erant tamen, quæ te adjuvarent: non illud dicebatur in judicio. Non est hic talis, in quo petulantia credenda sit, modestos mores habet, nemini unquam fecit injuriam. Sed dicebatur illud, Non jam injuriarum petitur ultio: capite periclitaturus est: etiam si quid commisit, satis tamen pœnarum dedit: ipsa hac sollicitudine circunscripsisti misericordiam judicum, si alterum occisuri erant.

## Sermo.

*In summa parte æstimabitur cui homini, & quanta ultio petatur.*

## Declamatio.

Ultio quæ petitur? quæ adversus homicidas scripta est, [2] quæ adversus eos qui bis injuriarum damnati sunt, scripta

1 *Tempestivum.*] Sic supra pro intempestivo. *Pithœus. Tempestivum convivium.*] Vide ad Decl. 260. *Gronovius.*

2 *Quæ adversus eos, qui bis injuriarum.*] Laborare locum vidit Ærodius: itaque fecit: *an quæ adversus.* Sed non hac parte laborat. Scribe: *quæ adversus eos, qui ter injuriarum damnati sunt, scripta est.* hoc est, capitalis. *Idem.*

scripta est. Neque ego ignoro unde isti hic animus: non enim spes fecit hanc litem: homo alioqui petulans quærit quo modo impune occidat, quo modo manibus suis permittat omnia. Hoc ergo privilegium habeant, qui bis injuriarum damnati sunt, ut tertio accusari sine periculo non possint: hoc æquum mortalium videri cuiquam potest? Vivit ille qui semel injuriarum damnatus est: [1] qui duabus partibus periit civitati: qui petulantia sua morti jam prope admovit. Hic occiditur quia questus est. Utinam mihi contingeret apud eosdem illos judices causam dicere, qui istum absolverunt, homines mites & misericordes, & qui turpissimos quoque cives tamen servare maluerint.

## CCCXXXII.

### *Divitis & pauperis, testamenta.*

Pauper & dives amici erant. Dives testamento alium amicum omnium bonorum instituit hæredem: pauperi jussit dari id quod ille sibi testamento daret. Apertæ sunt tabulæ pauperis: omnium bonorum instituerat hæredem. Petit totam divitis hæreditatem. Ille qui scriptus est hæres, vult dare tantum, quantum in censum habet pauper.

### DECLAMATIO.

[2] SI ad votum meum, judices, fata cessissent, optabilius fuerat mihi, ut is de cujus bonis contendimus, esset hæres meus. Ad hanc igitur petitionem invitus & tristis, & flens venio. Viderimus enim postea de judiciis: interim non dubitabitur, uter ex nobis illum magis amaverit. Postea jura excutiam, postea scriptum interpretabor; interim quod ad utriusque nostrum animum pertinet, non esset inter

1 *Qui duabus partibus periit civitati.*] Ærodius: *qui duabus paribus sententiis damnatus est, periit civitati: qui petulantiæ suæ mortem.* Sed scribendum: *Vivit ille, qui bis injuriarum damnatus est, qui duabus partibus periit civitati, quem petulantia sua morti jam prope admovit.* Est hæc descriptio adversarii bis injuriarum damnati. Hi homines per partes civitati pereunt, si ter in idem crimen recidant, & singulis judiciis perdit in eis quasi trientes civitas. *Idem.*

2 *Si ad meum votum fata cessissent.*] Ovidius in judicio armorum: *Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi.* Idem.

inter nos quæstio, [1] si utrunque eodem titulo reliquisset hæredem.

NAR-

1 *Si utrunque eodem titulo reliquisset hæredem.*] Si dives cum alio illo amico suo quem instituit, pauperem quoque instituisset, his verbis, *pro ea parte*, aut, *in id quod* ille sibi testamento dedisset: nulla esset controversia, quin tota hæreditas pauperi deberetur. Nam cum titulo hæredis divitis bona caperet, pro ea parte qua eum vicissim instituisset: sit vero hæreditas juris non corporum appellatio, certum esset, pauperem revera solum institutum videri, altero illo quasi sub conditione instituto, quæ in ejus persona defecerit. Cujus rei videamus an simile sit exemplum apud Pomponium. l. 29. ff. de hæred. instit. Hoc articulo, *Quisquis*, omnes significantur, & ideo Labeo scribit, Si ita scriptum sit, *Titius & Mævius quanta quisque eorum ex parte hæredem me habuerit scriptum, hæres mihi esto:* nisi omnes habeant scriptum hæredem testatorem, neutrum hæredem posse esse, quoniam ad omnium factum sermo referatur. Hæc erat opinio Labeonis propter particulam *quisquis*. Sed quia singulariter locutus est testator, *hæres mihi esto*, non *hæredes sunto*, & ad partes à se institutorum sibi relictas, institutionem suam retulit, ideo Pomponius ait, Sed humanius est eum quidem qui testatorem suum hæredem scripserit, in tantam partem ei hæredem fore: & per consequentias, in assem, ex l. si quis ita scripserit eo. tit. de hær. instit. Sed quid si unus pro parte, puta tertia: alter ex asse instituisset? Videretur hæreditas defuncti in tot partes distribuenda esse, ut si ad assem redigatur, qui ex asse instituit, octo uncias: qui ex triente, sit quatuor habiturus. l. interdum eod. tit. Verum si talis hic esset institutio divitis, qualem supra diximus: totum ad pauperem pertineret, nec duos asses aut plures partes faceremus. quia fingimus, si dives utrunque eodem titulo reliquisset hæredem, ita nuncupasse, *Titius hæres esto: Mævius pauper amicus meus ex qua parte me hæredem instituit, ex ea mihi hæres esto.* non sic, *Ex qua quisque parte me hæredem scripserit, hæres esto.* Similior igitur esset hæc institutio ei, quæ refertur à Papiniano l. qui non militabat. §. ult. l. seq. l. quod si Mævius. ff. de hæred. institut. Seius (inquit) Mævium ex parte quam per leges capere potuit, hæredem instituit: ex reliqua, Titium. Si Mævius solidum capere possit, Titius adjectus, aut substitutus non erit, &c. quod si Mævius nullius capax sit, in totum substitutus admittetur. Hæc si dives (ut ait Quintilianus) utrunque eodem titulo & judicio vocasset: nulla tum, aut certe non tanta esset controversia. Sed cum unum titulo vocet institutionis, alterum legati: in hoc quæstio est an voluerit dives comprehendi legato duntaxat, quantum pauper in bonis habeat, qui ei omnia sua reliquit, sed hæredis nomine: an vero fideicommissum universale esse interpretabimur, vel legatum quo universitas continetur. Nam sicut singulæ, ita universæ res legari possunt; & qui ab hærede recipit hæreditatem, legatarii loco habetur. Ulpian. tit. de legat. & tit. de fideicom. quæ omnia ex his verbis legis 12. tabularum proficiscuntur, UTI QVISQVE LEGASSIT, &c. Quid dicemus? Quæstio est conjecturæ & voluntatis, ut si ita senserit testator, quo modo sibi à paupere hæreditas relicta est, sic ei sua restituatur: id omnino sequi oporteat, salvo hæredi jure Falcidiæ aut Senatusconsulti. Sed in obscura testatoris voluntate, si quæras de me quid sentiam, præsertim in hoc legati genere: respondebo me pauperi astipulari, sive divitis mentem verisimilem mutuumque amorem consideres, sive ejus verba respicias, *id quod*, &c. quæ verba quia indefinita & generalia sunt, nemo dixerit jus per se, aut corpora continere, nisi pro eo ad quod referuntur. Hic verò quod relictum est à paupere,

## NARRATIO.

Habet autem hoc incommodi paupertas, quod quotiens ad amicitiam superioris accessit, affert aliquid dubitationis,

pere, jus est. jus igitur & universale quoddam continent hæc verba, non quantum quid & singulare. Plane si dives ita in testamento scripsisset, *Quantam pecuniam*, aut, *tantum quantum pauper mihi reliquerit, hæres dato*, quia ipsa verba sui proprietate (quam hic, ut orator, Quintilianus perpetuo non sequitur) quantitatem demonstrant, non quotam portionem. l. Paulus respondit. ff. ad Trebell. census habenda esset ratio, nec ipsius hæreditatis, quod jus est, sed ejus quod in hæreditate esset. l. qui concubinam. §. cum ita legatum. ff. de legat. lib. 3. At hæc verba, *id quod*, vel secundum ipsam Jurisconsultorum subtilitatem, nihil sui significatione demonstrant, nisi quod ad aliud facta relatione continent. Id ipsum jus est, ex quo ut individuum, quantitas nusquam deduci potest. l. cogi poterit. §. inde quæritur. ff. ad SC. Trebellian. Jus ergo non pars bonorum legato continetur. Atque id omnino meo judicio confirmat Scævola. l. ult. §. Lucius Titius. ff. de legat. lib. 2. l. Lucius Titius. ff. ad Trebell. Rogavit testator filiam suam, quam hæredem ab intestato reliquerat, item & uxorem, ut quicquid ipsæ haberent, inter eas commune esset. Confert in medium uxor bona sua, quæ longe minora sunt filiæ bonis, an uxor igitur ex bonis filiæ hactenus capiet, quatenus confert vicissim ex suis? Respondet Scævola dimidiam omnino percepturam. Jam vero si pauper divitem non ex asse, sed ex semisse aut alia parte instituisset: nemo dixerit, opinor, quia minus est in semisse pauperis, quam in eadem divitis parte, æstimationibus corporum quæ partibus continentur, rem ita moderandam esse, ut pauper è testamento divitis non semissem habeat, sed quanti suus esset semis. Igitur quæ de parte ad partem, de toto ad totum una & eadem ratio est. Nec enim quis huic loco adaptabit, quod longis post temporibus à Justiniano alia alibi ratione introductum est in dote & donatione propter nuptias, const. 92. de æqualitate dotis. Nec quod dicitur in l. Imperator. § ult. ff. de leg. lib. 2. Id enim eo fit, quia in majorem partem nemo gravari potest, quam testamento acceperit. Age, si nihil esset in hæreditate pauperis præter jus ipsum, in quo nomen hæreditatis subsistit, an diceremus inane & ridiculum legatum esse divitis & amici? cum multo magis verisimile non sit, divitem amicum beneficentiam suam, non uberiorem esse voluisse, quam pauperis esse potuerit erga se. Denique non video qua solutione evitari possint illa duo argumenta, quibus Quintilianus hic noster utitur. Prius in jure consistit, posterius in æquo & bono. Nam si posuerimus (inquit) eo modo testamentum feciisse divitem, quo pauper: contra pauperem, quo dives. si census non juris rationem habeas, an reposcet dives ab hærede pauperis, id quod, vel, tantum quantum ipse testamento suo pauperi dederat? atqui hæredem ex asse instituerat. Nec igitur id fieri potest, nec verisimile est, pauperem tanto legato hæredem suum onerare voluisse: cum si ad quantitatem bonorum, non ad titulum illum respiceret primi vel secundi hæredis, aut fideicommissarii, aut legatarii universalis, aut partiarii (quæ plena honoris sunt nomina) certo sciret, ut vel minima pars sibi à divite quocunque titulo relicta esset, hanc suas omnes facultates excessuram. Alterum argumentum (ut diximus) in æquitate positum est. Pauper nunquam mutavit testamentum. Sive auctæ, sive diminutæ fuissent ejus opes & facultates, atque ante divitem decessisset, totum hoc ad eum pervenisset, eodem titulo, eodem testamento. Cur

nis, fide an utilitatibus amet. Officia adversus se mea noverat dives, assiduum me hæsisse lateri sciebat. tenuitas mea afferebat hanc ei dubitationem, ut posset quærere an istud amicitia feciſſem. Itaque cum sciret mortem esse, quæ de animis diceret verum: testamenta, quibus omnem affectum fatemur: ita supremas tabulas ordinavit, [1] ut adversus me dicere vellet animo meo. Bona interim sua apud istum deposuit, dum sciri possit, quid de illo ipse sensisſem. Dari mihi jussit id, quod ego testamento meo darem. Si cogitationem intra angustias facultatum mearum tenuit præter id, quod ingratus videri potest amicus, non multum ejus interfuit, quid ego scripsisſem. Lectæ sunt tabulæ meæ: constitit fides amicitiæ: omnium bonorum institutus hæres erat: hoc plenior animus meus, quod sine exceptione. Igitur quod ad me pertinet, aperui pectus, & conscientiam protuli: & qua rerum natura patitur, viscera pene mea in conspectu vestro sunt. [2] Iste hæres adhuc non ostendit testamentum. Sed scio non esse præsentis temporis disceptationem, uter mereatur: satis enim voluntas defuncti comprehensa tabulis est. Institutus es primo loco hæres: non facio tibi istius honoris controversiam. Quæritur hodie, quid debeas mihi. Si judicia mea adversus amicum intra legatum stetissent, legatum à te peterem. Hæredem omnium bonorum habui, hoc ut sim postulo. Ut scriptum non esset, judices, iniquum erat offerri mihi quantum habeo, tanquam is qui defunctus est, dari mihi jusserit, quantum ego illi dare possem. Ingens autem horum differentia est. id mihi dari jussit, quod ego illi meo testamento darem. Non habet in hoc interpretationem modus, quantum pensatione constet, numerari potest, &

recipit

to. Cur ergo non idem in legato divitis servabitur? Sed commentaria non edimus, nec hujus loci est hanc controversiam tractare in utranque partem accuratius. *Ærodius.*

1 *Ut adversus me dicere vellet animo suo.*] Lege: *ut adversum se discere vellet animum meum.* Idem.

2 *Iste hæres adhuc non ostendit.*] Supple, pectus suum, nec conscientiam suam & amicitiam erga divitem protulit, qua mereretur institui. *Idem.*

recipit comparationem. Quod reliquit, quantum fieri potest, dari voluit. eadem rei natura est. Itaque si illi pecuniam testamento meo legassem, pecuniam peterem, nec ferrem te dantem pro pecunia aliquid, quod esset tantundem. Si mancipium reliquissem, mancipium deberes, nec diceres mihi, [1] Accipe quanto istud est. Id mihi dari jussit, quod ego illi darem. Quid ego autem dabam illi? hæreditatem, quid peto? hæreditatem, quid scripsi? bona omnia, quid vindico mihi? bona omnia. Voluit simile esse judicium suum meo testamento: & quodammodo invenit rationem, qua posset judicare post mortem. Istud vero quale est, quod offers? Reliquit mihi dives amicus paupertatem? Non statim de animo loquar: interim potestis permutata (ut sic dixerim) translataque invicem fortuna æstimare jus. Fingamus enim hoc aliquem pauperem scripsisse de divite. Quomodo causam explicamus? Alium fecit hæredem, jussit amico locupleti tantum dari, quantum ipse sibi testamento daret. Sit inventum tale testamentum, quale est meum, num ab hærede tantam pecuniam peteret, quantam ipse possideret? Non, ut opinor, nam ne posset quidem dari. Sed illud succurrit. Dari tibi jussit, quod titulo testamenti dabas: dabas autem hæreditatem, nihil ultra hæreditatem petere debes. Atqui jus idem est, verba eadem sunt: nec cum personis lex mutata est. Nunc ut animum quoque intueamur testantis: hoccine illum voluisse existimatis? ideo inquisivit meam fidem, ideo vitæ experimentis credere parum putavit, ideo in ipsum irrupit animum, & penitus intuendam omnibus hominibus mentem dedit, ut mihi hoc relinqueret quod habebam? Est quare aperias testamentum, est quare omnem spem tibi in posterum excidas. Sciunt propinqui mei nullum alium mihi cariorem fuisse: sciunt, si qui alii fuerunt amici, totam mentem meam deditam uni fuisse. Quid interest animi quantum sit quod totum est? Omnium bonorum

1 *Accipe quanto istud est.*] Immo, *quanti.* Gron.

rum hæres, quicquid habui, quicquid servavi, [1] quicquid longæ frugalitatis superfuit. Accessissent huic testamento subitæ opes, idem erat. Neque ego nunc divitias peto: paupertate consuevi, frugaliter vivere scio, nulla mihi gravis necessitas est. Illum illum titulum amplector omnium bonorum. Si quid inferi sentiunt, cognosce animum meum, sicut voluisti, tibi vixi, tibi moriturus fui, nulli alii in hoc pectore locus fuit. Hoc te omnium bonorum meorum hæredem instituit. Post hoc testamentum dicat aliquis se mereri.

## CCCXXXIII.

## *Pauper impensis divitis disertus.*

Patronum optare liceat. Ingrati sit actio. Adolescentem dives pauperem [2] impensis suis in Athenas misit. rediit ille disertus. Detulit divitem quidam reum proditionis, & optavit patronum pauperem illum, qui divitis impensis profecerat. Egit pauper: non tenuit. Accusatur à divite ingrati.

### Sermo.

*Intelligitis huic adolescenti cum summo respectu divitis agendum, ita demum enim videbitur id quod fecit, necessitate fecisse, si de illa queretur.* [3] *Et in totum hoc servare in omnibus controversiis, quæ ingrati lege continentur, debebimus, ut hi, qui rei sunt, in ipsa actione ingrati non sint. Raro valde intervenient controversiæ, in quibus hoc quæratur, an is, qui ingrati reus est, acceperit beneficium. Pleræque (sicut hæc) divertunt eo, ut quæstiones habeant, An quisquis acceperit beneficium, & non reddiderit, ingratus sit: an omnia*

1 *Quicquid longæ frugalitatis superfuit.*] Lege, *frugalitati.* Idem.

2 *Impensis suis in Athenas misit.*] Excidit vox. Scribe: *in studia Athenas misit:* Ut apud Vellejum lib. 2. Cæsar *Apolloniam eum* (Octavium) *in studia miserat* Idem.

3 *Et in totum hoc servare in omnibus controversiis.*] Eadem fere verba apud eundem Quintilianum lib 7. cap. 5. Ingrati quoque qualitatis actio est: in quo genere quæritur, an is cum quo agitur, acceperit beneficium: quod raro negandum est. ingratus enim est qui negat. An quantum acceperit, reddiderit: an protinus qui non reddiderit (ita enim legendum est) ingratus sit: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo sit. Quæ omnia hic præcepta adeo servantur, ut nullus jam negaturus sit meo judicio, has declamationes illius Quintiliani esse. *Ærodius.*

*an omnia quæcunque exigebantur, præstare debuerit: an potuerit. Gulosus figurarum ducet has species, ut hic pauper imputet diviti, tanquam prævaricatus sit. Id autem si intellexerint judices, vel propter hoc illum damnabunt, quod prævaricatus: vel propter hoc, quod hodie certe, ubi patronus non optatur, accusat illum quem vult videri prævaricatione dimissum. Ergo quod ad meum consilium pertinet, hic invitus egit: ea quæ dicenda accepit, pertulit.*

## DECLAMATIO.

EST videlicet, judices, hoc quoque in potestate fortunæ, ut in contrarium bona ipsa convertat. Maximum me à divite accepisse beneficium, quod mihi comsummare studia contigerat, quis negaverit? cum interim maximorum mihi malorum causam hoc ipsum attulit, quod videbar disertus. Adeo ut si mihi exuere hanc partem persuasionis liceret, amputare vocem, & velut omnem usum loquendi perdidisse [1]malueram, quam cum homine de me optime merito jam bis consisterem: & prioris tamen judicii manifesta excusatio erat: jussus loquebar, hodie quem modum teneam actionis, quibus vocibus optime (ut jam sæpe dixi) de merito satisfaciam, reperire non possum. Vera sunt enim illa quæ dixit.

## NARRATIO.

Pauper ego natus, & contra facultatum rationem mearum, infelicis hujus eloquentiæ studiosus, hujus liberalitate, hujus opibus peregrina studia, clarissima exempla, otium, quo plurimum studiis confertur, sum consecutus: utinam non usque ad invidiam. Nam mihi cogitanti, cur integerrimum virum, optimum civem, calumniator ille proditionis reum fecerit, nihil succurrit aliud, quod secutus sit, quam ut ego agerem. Habebat enim jus optandi patronum, & hanc leges dederant potestatem: & forsitan quærebat etiam contra absolutionem innocentis rei hunc colorem,

1 *Malueram quam cum homine.*] Scribe: *maluerim, quam cum homine de me optime merito jam bis consistere.* Gron.

colorem, ut videretur ideo dimissus, quia ego egissem. Hoc ei certe non contigit. Reum offendi, non me hercule super vacua asperitate verborum (ab hac ego enim me, quatenus fides agendi permiserat, [1] abstinuisse animum confiteor) sed perferenda fuerunt mandata falsa, verum criminosa: conficta, verum invidiæ tamen plena. Quod si quid esse in ratione dicendi videtur, si quis me infestam attulisse credit orationem, accedit hoc quoque gloriæ optimi civis, quod me accusante absolutus est. Ingrati reus sum. De prima parte causæ, judices, non faciam controversiam, neque fas est. Accepi beneficium, quantum maximum dare parentes liberis possunt. Non enim si fortuna infelicissima ad hoc officia studiis meis dedit, non tamen ista animo præstantis æstimanda sunt. Accepi pecuniam, votum, [2] spem futuram in posterum vitæ, infeliciter, etiam si mihi hic defendendus fuisset. Accepi beneficium, ne illud quidem inficiabor, non reddidi. Non tamen continuo sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum pensaverit, alioqui nemo est qui non calumniæ genus possit incidere. Nam ut hujusmodi omittam tempora, statim certe, ut accepit beneficium, accusari potest: nondum enim reddidit. [3] Quod si non continuo ingratus est, quia paria non fecit: superest, ut illa nobis intuenda sint, an omnia præstari iis, qui beneficium dederint, oporteat: an id, de quo cognoscitis, præstari oportuerit: ac postremo, an potuerit. Non omnia esse præstanda etiam parentibus dico: alioqui nihil est periculosius acceptis beneficiis, si in omnem nos alligant servitutem. nam etiam scelerum, si ita videatur his, qui nos meritis obligavere, afferunt

1 *Abstinuisse animum confiteor.*] Forte, *abstinuisse nimium*, Idem.

2 *Spem futuram in posterum vitæ.*] Lege, *futuræ*. Idem.

3 *Quod si non continuo ingratus, quia paria non fecit.*] Aristot. lib. 8. de moribus. Exigit (inquit) amicitia non quantum debetur, sed quantum præstari potest. Neque enim semper id fieri possit, ut erga Deos & parentes, quibus nemo parem unquam retulerit gratiam: & tamen qui quoad ejus fieri potest observat eos & colit, is vir bonus & gratus habendus est, &c. *Erodius.*

afferunt necessitatem. Quapropter illa in confesso erunt, neque facturum aliquid adversus rempublicam ex voluntate ejus, à quo beneficium acceperit, eum qui acceperit: neque impium erga parentes necessitate tali futurum, neque inhonestum, neque ea, quæ fieri non poterunt, præstaturum. Quod si luce ipsa, judices, clarius est, jam intueamur, an hoc, quod me præstare debuisse dicit, præstari oportuerit. Fortior sic ageret. [1] Advocationem negare contra reum proditionis non debui. Oportebat non deesse legibus vocem, oportebat esse aliquem qui in summis reipublicæ, ut tum videbatur, periculis excuteret veritatem. Dicebatur proditor aliquis: clamabat delator, si mihi vox esset, si quid eloquentiæ natura tribuisset, jam vobis ostendissem, quæ cum hoste commercia, quod discrimen totius reipublicæ, quam hæc omnia, quæ in conspectu sunt, in ultimo periculo essent. [2] Hiccine eum, qui accusari posse videbatur, tacere oporteret? Mihi aliter agendum est. Ego utilitatibus publicis contra stetissem: [3] ego vero hæc omnia supra me maluissem, quam tanta merita asperiore ulla voce violare: sed necessitati quid faciam? Delator jus habet. contra omnem meam deprecationem publica auctoritas nititur. [4] Conscientia mehercule facere hoc viderer: ac timuisse, ne si illi causæ vox contigisset,

1 *Advocationem negare contra reum proditionis.*] Cicero pro Sylla, Intelligebat hanc nobis à majoribus esse traditam disciplinam, ut nullius amicitia ad propulsanda pericula impediremur. *Idem.*

2 *Hiccine eum, qui accusari.*] Ærodius: *Hic me eum.* Potius: *Hiccine eum, qui accusare posse videbatur, tacere oporteret?* Gronovius.

3 *Ego vero hæc omnia supra me maluissem.*] Ærodius, *supra me esse maluissem:* aliis tribuit *supprimere.* Scribendum: *Ego vero hæc omnia supprimi maluissem.* Idem.

4 *Conscientiâ mehercule feciſſe.*] Hoc est, Delator ille & accusator, hoc conscientiâ suâ qui calumniose accusaret, feciſſe videtur ut ex lege, qua patroni in capitalibus causis ab accusatore desiderantur, me disertum & eloquentem à Prætore aut Proconsule posceret: ideoque timuisse, ne si divitis causæ & defensioni vox mea aut cujusdam alterius oratoris eloquentissimi & solertissimi contigisset, detegeretur ac prodiret in medium calumniosa & temeraria ejus accusatio. Quod tamen me accusante accidit: qua re lætor & gratulor. *Ærodius.*

gisset, in medium scelera prodirent. Ego vero suscepi causam,[1] nec timui ne vincerer. Non igitur objicere debes mihi, in quod coactus sum, illa quæ fuerunt in mea potestate si deprehendisti, ostende: si vultus infestus, si vox incitatior, si quid ultra necessitatem, neque ista ego imputo. Non enim poteram, neque erat adversus innocentiam tuam ingenio locus. Itaque discessi à judicio lætior, quam reus ipse: & velut editis necessitate operis ad[2] gratulationem cucurri. Nec me ei in reliquum eximo tempus, debere confiteor: da, quem defendam: da pro quo loquar. Si quid adversus illum nocentissimum delatorem invenire possumus, impera quod vis: in quantumcunque tua ista vox est.

## CCCXXXIV.

### *Proditoris accusator ex defensore.*

[3] Cum damnato proditionis patronus exulet. Affuit reo proditionis, absolutus est: ille petit ab absoluto pecuniam quam pactus erat: non dantem detulit reum proditionis: damnavit. Petitur in exilium.

### Declamatio.

Cum damnato proditionis et patronus exulet. Damnatum esse proditorem certum est, & hunc fuisse patronum, quo modo tamen defenditur? quo modo proditorem defendit. Hoc sic persuaserat, etiam ante experimentum, nullam esse ingenio suo malam causam. Non fui, inquit, patronus eo judicio, quo

1 *Nec timui, ne vincerer.*] Lege *vincerem.* Significat enim certum sibi fuisse fore, ut vinceretur ob innocentiam accusati. *Gronovius.*

2 *Ad gratulationem.*] Vet. cod. *graticulationem*, quod prætermissum novimus. *Pith.*

3 Quintilia. lib. 5. cap. 10. Lex est, *Qui patri proditionis reo non affuerit, exhæres sit.* negat filius nisi absolutus sit. quid signi? Lex altera, *Proditionis damnatus cum advocato exulet.* Cicero pro L. Sylla. Cæteris in causis etiam nocentes, viri boni si necessarii sunt, non defendendos esse non putant. In hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam contagio sceleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patriæ suspicêre. *Ærodius.*

quo damnatus est. Si verba legis intueri velimus, nihil hoc ad præsentem cognitionem pertinet. Satis est enim probare & illum proditorem, & te patronum fuisse quandoque. Sed videamus, quid secuta sit lex. Non mehercule tantum putem providisse legumlatorem, quantum adversus te probamus. Patronum enim voluit exulare, non conscium. Illa prorsus locutus cum advocatis videtur: Sane suscipitis alias temere causas, ubi privatæ leges erunt, & ad unius commodum pertinebunt: cum vero de proditione agetur, diligentius intuemini: etiamsi vobis nihil ipsi confitebuntur, at hoc, si non satis momenti publica pericula habent, vestri respectu capitis, inquirite. Hoc igitur quod de lege cautum est, proditor advocatum habuit, licet illi nihil profuerit. Nunc vero quam necessarium ex eventu ostenditur, proditor absolutus est. Has illi artes timuerunt, hanc calliditatem advocatorum. Constituit enim natura arma nequitiæ, per quæ abducantur judicum animi. Sed ipso, inquit, judicio, quo damnatus est, non fui patronus. Volo interim sic agere, tanquam nullam reipublicæ injuriam fecerit. Etiamnum hoc satis est: advocatus proditoris fuisti. [1] Fingamus igitur ampliatum fuisse judicium, & tantum primo judicio patronum illum: nonne damnatio sequeretur, quod omnino patronus fuisset? Non ergo tempus intueri debemus, sed causam, si homo idem est, si crimen idem, si lex eadem. Putemus ab alio esse damnatum. Non enim proderit tibi istud, quod imputas: tunc enim diceres, ignoravi: & idem me, quod judices, fefel-

1 *Fingamus igitur ampliatum fuisse judicium.*] Olim ita sæpius causæ ampliatæ sunt, ut quædam per octo patronos acta sit, imo ad duodenos perventum est, inquit Asconius. quod merito improbat Cicero in Bruto. Quid igitur si unus uno egerit, alter altero judicio? in hac re divisione uterer. nam si Judices ex lege Acilia, Glaucia, Servilia, aliisque hujusmodi, Amplius pronuntiassent, cum jam nihilominus videretur reus damnandus esse: tum utroque patrono defendente, damnatum proditionis reum existimarem: quare ambos legi obnoxios. non autem si ideo pronuntiaverint, quia iis revera non liquebat. Hæc forma jam nullis non est cognita. Sed de hac re vide potissimum Ciceronem in oratione pro domo sua ad Pontifices. *Idem.*

fefellit. Nunc proditorem sciens defendisti. [1] Nihil dico de advocatione: testem perdidi. Tantane lucri cupiditas? sic proditores corrumpuntur. [2] sic prorsus homo nocentissimus cum advocato suo locutus est: Ego quidem prodidi: sed magnam pecuniam accepi: & tibi sufficit. Quæritis, judices, quantum promiserit petenti? non potuit proditor solvere. Ergo quantum in isto est, proditor vivit? nec vivit tantum, sed etiam insidiatur, & ad hoc necessitate solvendi urgetur: addidisti homini nocentissimo pecuniæ necessitatem. Unde temporum mutata conditio est? [3] Pecuniam non accipiebas: ita nunc ille, quod punitus est, merces hujus vindicata est: pecuniam non acceperat.

## CCCXXXV.

### *Infamis in novercam, vulneratus.*

Infamis in novercam cum patre peregre profectus est: cum in latrones incidissent, fugerunt. Pater reversus adulteros inclusos in cubiculo deprehendit: occidit uxorem: adulterum vulneravit: is fugit, postea vulneratus filius venit. Interrogavit eum pater, à quo vulneratus esset: ille à latronibus dixit: curavit eum pater, & reddit causas mortis voluntariæ filius. C. D.

### Declamatio.

Adversus mala & injurias fortunæ, & gravem plerisque vitam, unum natura remedium invenerat, mortem. Nec quisquam potest tam crudelis legum lator fuisse, qui hominem [4] innocentem vita puniret: cum & hoc ipsum sit calamitatis genus, mori velle. Necessaria tamen vestra cognitio est, [5] ut non, quia istud liberum esse innocentibus non oportet, sed quia multi sunt, qui sic conscientiam emit-

1 *Nihil dicam de advocatione.*] Hoc est, de pacto advocationis. & *testem perdidi*, nempe proditorem exulem, qui de pacto testimonium dicat, quem de advocatione mercenaria, & patrocinii salario interrogem. *Idem.*

2 *Sic proditores corrumpuntur.*] Immo *corrumpunt*. Gronovius.

3 *Pecuniam non cupiebas.*] Hic locus sic fortasse restitui potest, *Pecuniam cupiebas, pecuniam non acceperas. Itanunc ille quod punitus est, merces hujus vindicata est.* Ærodius.

4 *Innocentem vita puniret.*] Dum ei necis adversum se potestatem adimeret, tum cum mors ipsa, jam vita beatior est. *Idem.*

5 *Ut non, quia istud liberum.*] Lege: *utique non.* Idem.

emittunt: & ideo [1] adjectum est damnum sepulturæ, ne se putent pœnas effugisse. Ideo ego hanc vitam olim invisam tam diu tuli, donec filius meus sanaretur, ne viderer aliqua conscientia mori velle. Mori volo: nihil me commisisse manifestum est. Et jam satis rationem videor reddidisse: mori volo senex: habet suos vita terminos. Dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt, [2] quotamquamque partem habeo viventis. Cum adhuc haberem uxorem, matrimonio inutilis eram: nec mirum, si quem concupivit juniorem: occidere adulterum non potui. Non miraretur me mori velle, si quis vidisset fugientem. Quam tarde feci? felicissimus fuissem, si me latrones occidissent. Accedit illud, filium habeo: mori volo, dum salvus est, dum illum relinquere superstitem possum: pene illum nuper amisi. Quid futurum erat, si non potuissem sanare? Bene, Dii, quod leve fuit vulnus. non accidet hoc mihi iterum. Ego scio, in quibus cogitationibus fuerim: si in majus periculum filius meus venisset, [3] non expectassem vos, ut perirem. Nondum de adversis loquor: hæc ipsa me ad mortem ducunt, [4] quæ ex voto contigerunt. Veniamus nunc ad querelas. Infelix sum: peregre proficisci volui: in latrones incidi: vivere me miror: accessit dolor, [5] à filio meo deductus sum. Non queror de ipso: omnis mihi ratio adversus fortunam est. Intervenerunt latrones: non

1 *Adjectum est damnum sepulturæ.*] Lex enim erat, Qui causas in Senatu voluntariæ mortis non approbaverit, insepultus abjiciatur. de qua infra. *Ærod.*

2 *Quotam quamque partem.*] Lege, *dum quotamquamque.* Idem.

3 *Non expectassem vos ut perirem.*] Hoc est, non expectassem ut causas voluntariæ mortis vobis Senatoribus approbarem. *Idem.*

4 *Quæ mihi ex voto contigerunt.*] Contigit enim ut inveniret filium suum adulterum non esse, nec infamem in novercam. Id cum ex voto contigerit, ideo tamen mortis ei causam & desiderium attulit, quod filium interrogando de adulterio, videtur hoc ipso, si non crimine, at suspicione criminis non leviter eum aspersisse. Martianus l. 3. ff. de bonis eorum. videri autem & patrem qui sibi manus intulisset, quod diceretur filium suum occidisse, magis dolore filii amissi mortem sibi irrogasse, & ideo bona ejus non esse publicanda Divus Adrianus rescripsit. *Idem.*

5 *A filio meo deductus sum.*] In cursu latronum à filio meo separatus & sejunctus sum. *Idem.*

non ſtetit mecum filius, cum pro me pugnarem: feci aliquid & ipſe ſcelerate: ſolus reverſus ſum, tanquam ſcirem filium ſalvum eſſe. Inſecuta eſt alia fortuna, uxorem adulteram inveni. Quid accidere gravius huic ætati potuit? velut exprobrare mihi viſa eſt fortuna, quare uxorem poſt juvenem filium duxiſſem. Ex eo, quod deprehendi, illud quoque colligo, diu adulteram fuiſſe. Paulo ante profectus eram, ſtatim in cubiculo adulter, tanquam ſciret me non reverſurum. Quantum hinc cœperim dolorem: deprehendi, quod ipſos adulteros puderet: tenebris abſconderunt, tanquam nefas. Non eſt hoc ad mortem ſatis? adeo me laboraſſe judicio, ut neſcirem, quam ducerem? adeo me neſciſſe, quid in domo mea ageretur, ut non fuerim deprehenſurus, niſi fugiſſem? Deſtituit me fides illa, quam ſperaveram fore ſolatium ſenectutis. demens ego, cum talem haberem uxorem, peregre profectus ſum. Abducebam mecum etiam filium. Mori volo, quia uxorem meam occidi: qualemcunque, licuit: ſcio. Sed non ſemper ad animum pertinent jura. Occidere adulteros lex permittit. Ego mihi ſic iraſcor, tanquam nefas fecerim: aut ſi quid in hac parte conſolari vultis, mori volo, quod adulterum non occidi. Hoc tantum me dicere putatis, quod me non vindicavi, quod neſcio quis fuerit: & forte perſtet hic mecum, & quod has manus evaſerit, gratuletur quod non occidi, vulneravi: ita ille & ſalvus eſt, & beneficio meo vivet. Pœnitet, quod non ab adultero cœpi: circa uxorem moratus ſum, tanquam illa plus ſceleris feciſſet: interim fugit ille juvenis & velox. Mori volo, quod adulterum non invenio. unde venit? quis hominum fuit? non inveniri in civitate hominem vulneratum? quos ego non domi medicos adhibui? omnes illos interrogavi: num quis alius? nemo erat, niſi quem latrones vulneraverunt. Et nunc ille me deridet ubicunque, & fortaſſe jam ſanus eſt. mori volo, ſatis juſta moriendi cauſa erat, ſi calamitas mea hactenus ſtetiſſet. Accedit huc, quod fortuna noſtra

ſtra dedit malis ſuſpicionem. Nihil eſt hoc loco, fili, quod me ſuſpicari putes. Non habebam cauſam parcendi homo periturus. Ego te vero innocentem puto: ac ſi hoc non credis, curavi, ſanavi: alioqui te & hodie occidiſſem. Conſtat tibi innocentia: ſed nunquam poteſt conſtare ſibi fama: vis ſcire quæ inimici noſtri loquantur? [1] Ira * actus me in latrones incidiſſe. ſolet fieri: ſummum eſt. Sequens ſcio: ſed nemo de hoc loqueretur, ſi uxorem non deprehendiſſem. Mirantur, quod patrem in illo periculo reliquiſti. ego te puto feciſſe ſapienter: & ſi crimen eſt iſtud, utrique commune eſt: nam & ego fugi: non eramus pares: quid attinebat periclitari? utrumque noſtrum feciſſe ſummo conſilio puto. In latrones incidimus, & receſſimus, fugimus: nemo perſecutus eſt. Quid ergo eſt? Ego gaudeo, qui non potui aliud majus beneficium dare, quam ut ſalvus eſſes. Sunt qui te putent pro me pugnare debuiſſe. Querebar paulo ante de infirmitate corporis: mihi ne mentem quidem ſatis conſtare credo. [2] Cum conveniſſem, uxorem adulteram occidiſſem, poſtea in domo viderem vulneratum, interrogavi, quis te vulneraſſet. Sed dignus ſum morte: infamavi te adulterio. In latrones incideramus. Ego te interrogavi, quis vulneraſſet: non, fili, maligne: ſed quomodo excidunt multa his, qui expaverunt. perculſus illo metu ignoravi, quid facerem. Mali iſtud aliter accipiunt. Iraſcor manibus meis, quod adulterum tantum vulneraverim: nulla ad te pertineret infamia,

1 *Ira actus.*] Sic vet. cod. cujus veſtigiis malim ita legere, *loquantur irati: me in latrones incidiſſe ſolet fieri: ſummum eſt ſequens, ſcio, ſed nemo, &c.* Pithœus. *Ira actus me in latrones incidiſſe.*] Ærodius de ſententia Briſſoni: *Mirantur me in latrones.* Quæ ipſa veritas eſt: nec debuit Pithæus aliud quid quærere. Quod deinde, graviter affectum eſt. Ærodius: *ſummum vitæ periculum eſt. Sequens ſcio.* Fortaſſe: *ſolet fieri: non novum eſt, frequens eſt, ſcio, & nemo de hoc loqueretur.* Quod de eo loquuntur, indicium eſt mirari. *Gronovius.*

2 *Cum conveniſſem.*] Ærodius: *Cur cum veniſſem.* Malim: *Domum cum veniſſem.* Intelligitur particula cauſalis, non modo ſæpe, ſed & eleganter ſic omitti ſolita. *Mihi ne mentem quidem conſtare ſatis credo.* nam *domum cum veniſſem,* & ibi iſta mihi contigiſſent, *interrogavi.* Hanc interrogationem fingit ſe accipere tanquam mentis parum ſanæ argumentum. *Idem.*

mia, si occidissem. Nunc congruere hæc inter se videntur falso quidem: videntur tamen: ego nescio quem vulneravit: tu vulneratus es. Non prodest nobis, quod noverca est. Hominum iniquitatem ne odio quidem defendimus. Ego te nunc si non curassem, viderer filium occidisse. Hanc ego infamiam ferre non possum: tua aliqua ratio est: tibi longa vita supereſt: poteris approbare innocentiam, cum duxeris uxorem, cum fidem illi maritalem præstiteris, [1] cum totius te vitæ gravitas resolvet. Ego enim si nolo mori, morior antequam adulterum inveniam. Vis adjiciam ad hoc causas moriendi? irascor tibi, nescio quem illum invenire non potes. Debet istud ignoſci meæ senectuti: tu nec quæsiisti.

## CCCXXXVI.

### *Ager communis, & novæ tabulæ.*

Pactus cum fratre majore, ut agrum communem paternum ille susciperet, & omni æri alieno satisfaceret: tabularum novarum lege lata partem agri petit, ille C. D.

### Declamatio.

AGer, quem communem nobis esse dico, patris nostri fuit. Is duos liberos reliquit, æquum utrique jus, eadem utrique onera æris alieni mihi (ut nunc est) nihil. Cessisti, inquit, mihi. Si hoc sine ulla conventione fecissem, si nulla opponi huic tuæ voci posset exceptio, dicerem. Circunscripsisti fratrem, nec difficile fuit, minorem. Quod si nulla vi coactus, nullis insidiis, [2] quod nobis solum pater reliquerat, tibi uni concessi, debes referre animo gratiam, [3] ut hoc fratri bene diceretur: sed quatenus exuis nomen

1 *Cum totius te vitæ gravitas resolvet.*] Scribe: *absolvet.* Idem.

2 *Quod nobis solum pater reliquerat.*] Forte: *quod nobis pater reliquerat, solidum tibi uni concessi.* Idem.

3 *Ut fratri bene diceretur.*] Tò *ut* non est Thaddæo, neque Ærodio. Et certe supervacuum est. Scribe: *gratiam. Hoc fratri bono diceretur: sed quatenus exsuis nomen istud, & nos ad jus, forum, vocas.* Idem.

nomen istud, & nos ad jus solum vocas, sub conditione cessi, sic enim tanquam alieni loquamur. [1] Stari voce mea sit æquum conventione pactorum. Quod quale fuit? ut agrum possideres. Ita, ut opinor, ut æs alienum [2] quod patris tui fuit, solveres. Nullam igitur hujus agri habuisti adhuc propriam possessionem. Quia quæcunque sub conditione traduntur, ita demum fieri possunt propria ac peculiaria, si conditio consummata est. Fuit igitur usque ad tabulas novas communis nobis ager. [3] Et ut facilius appareat, fingamus te æs alienum noluisse solvere, egisse pacti hujus pœnitentiam? num dubium est, quin ego venturus optimo jure in hanc fuerim possessionem? non quæritur, ut opinor. Nam etiam si hoc inter nos convenerat, ut tu æs alienum patris solveres, cogere eo tamen te non poteram, una solutio erat pacti inter nos facti, ut rursus omnia communia essent, id est, ut & agrum possideremus, & æs alienum duo solveremus. Ergo convenit, ut ager tuus ita esset, si æs alienum solveres. Nam solvisti, quo jure vindicare potes eam rem, cujus pretium non dedisti? Ideo, inquit, non solvi æs alienum, quia novæ tabulæ intervenerunt. Equidem querebar, quod non solvisti: cæterum nihil mea interest, qua causa non solveris, cum agrum ita demum habere potueris, si solvisses. [4] Sive istud tua voluntate factum est, sive liberalitate creditorum, sive (ut manifestum est) publica necessitate, non solvisti. Quid si hæ tabulæ novæ tam mihi factæ sunt, quam tibi? nam (ut paulo ante dicebam) communem agrum constat fuisse. Pater noster contraxerat cum multis: non erubesco, non retinendum agrum [5] habebamus. Habes, namque ego hoc ipso

1 *Stari voce mea sit æquum.*] Thaddæus: *Stari jure mea sit actum.* Ærodius: *Stari vero ei, quod sit actum, & conventioni pactorum oportet.* Fortasse: *Stari omnino est æquum conventione pactorum.* Idem.

2 *Quod patris tui fuit.*] Immo, *quod patris nostri fuit.* Idem.

3 *Et ut facilius appareat.*] Lege: *Id ut facilius appareat.* Idem.

4 *Sive istud tua voluntate.*] Malim *tarditate*, aut aliquid tale. *Idem.*

5 *Habebamus. Habes.*] Lege: *non retinendum agrum habebamus ambo hæredes.* Ærodius.

ipso quod tibi cessi, dominum egi. Igitur cum essemus hæredes patris nostri, debuimus ambo. Id sic colligo. Finge esse aliquem ex creditoribus petitorem: nunquid petere à te totam summam potest? minime, ut opinor. Duos enim pater noster filios reliquit: & necesse est, sicut bona, ita onera quoque esse communia. Partem ergo tu debuisti, partem ego: quo efficiebatur, ut partem solveres. Faciamus hoc manifestius. Finge esse aliquem ex creditoribus, qui partem crediti sui à me petat: quid respondere possum? agrum fratri dedi: cum fratre meo convenit mihi, ut ille solveret. Num dubium est quin dicturus fuit creditor: Partem tu debes mihi: patri tuo credidi, cujus ex parte dimidia hæres es. [1] Annon possum à te petere, semissem petere non possum? Ergo etiam si conventione æs alienum transferebatur à te, jure tamen & veritate erat & meum. Igitur tabulæ novæ factæ tam me debito omni liberaverunt, quam te. id enim remiserunt, quod ex parte à me peti poterat, ex parte à te. Sed animus tamen is fuit pacti hujus, ut totum æs alienum meum fieret. Spectemus ergo totum animum: neque enim ego negaverim id intuitos esse nos, & ita cogitasse, ut omne æs alienum tu solveres. Num alioqui dubium est, aut deduci omnino in controversiam potest? An ego tibi parte agri mei cessurus non fuerim, nisi si quod pretium soluturus videreris? Quin si ulla spes mihi novarum tabularum & hujus necessarii in civitate nostra remedii fuisset, [2] recepturus fuerim, id quod retineo. Ergo sive jus spectas, commune æs alienum fuit, tabulæ novæ utrique profuerunt; & tu non totam aliter possessionem habere debes, quam si æs alienum solveris: sive animum spectas, is utriusque fuit, ut tu venditione agri æs alienum solveres; ego æstimaram me onere

à te

1 *Annon possum à te petere.*] Thaddæus, *An possum.* Præclare doctissimus Erodius: *Assem non possum à te petere; semissem petere possum.* Nam quod τὸ sed interponit, ei condonandum. *Gronov.*

2 *Recepturus fuerim id quod retineo.*] Scribe: *retenturus fuerim id, quod repto.* Idem.

à te liberari, cui agrum dabam. nunc id quod tu mihi præstaturus eras, respublica præstat.

SERMO.

*Summæ partes sunt æquitatis.*

DECLAMATIO.

Pater nobis idem fuit, eadem onera nobis, eadem bona reliquit; cur tu locuples es? Apud te ager totus, pro quo nihil impendisti, nihil numerasti: ego nudus, ego egenus. Erat hoc tolerabile, cum viderer in hoc tecum positus. Aufers mihi civitatis beneficium, & me sic relinquis, tanquam pater præter æs alienum nihil reliquerit. Tum quoque invitus feci: ætatis meæ [1] infirmitati consului. Si hæreditate ager iste venisset; inhumane cum fratre non partireris. Non tantum sanguinis nos jura conjungunt: aliquid & ipsa necessitas, aliquid & ipsa societas.

## CCCXXXVII.

### *Seditio populi & exercitus.*

[2] QUI CAUSAS IN SENATU VOLUNTARIÆ MORTIS NON APPROBAVERIT, INSEPULTUS ABJICIATUR. Pauper & dives inimici, utrique domus & uxor, & liberi. Dux creatus bello dives, cum bis acie victus esset, processit pauper, qui & disertus erat, & dixit prodi rempublicam à divite. Impetus in domum divitis factus est à populo, & domus incensa, & interfecti liberi cum uxore. Vicit tertia acie dives, & in potestatem hostes redegit. Excercitus divitis domum pauperis incendit, & uxorem & liberos interfecit. Vult mori pauper ratione in senatu reddita. Dives C. D.

SERMO.

*Quotiens hoc genus materiæ dividam, necesse habeo id dicere, quod jam sæpe dixi,* [3] *me nullam voluntatem cujusquam contra themata*

1 *Infirmitati consuluit.*] Vet. cod. *infirmitatem.* Pith.

2 *Qui causas in Senatu.*] In vulgaribus Quintiliani declamationibus simile est fere huic argumentum, declam. 11. Cæterum de hoc genere causarum idem lib. 7. Instit. cap. 5. Simpliciores causæ injusti repudii: sub qua lege controversiæ illud proprium habent, quod à parte accusantis defensio est, & defendentis accusatio. Præterea cum quis rationem mortis in Senatu reddit: ubi una quæstio est juris, an is demum prohibendus sit, qui mori vult ut se legum actionibus subtrahat. *Ærodius.*

3 *Nullam voluntatem cujusquam contra*

*mata intelligere. Fortasse erunt aliqui, qui existiment à paupere id solum quæri, ut invidiam diviti faciat: quod illi contingere etiam citra mortis propositum potest. Hic ergo pauper apud me mori vult: agere debet ut moriatur. Quid ergo est? non aliter invidiam diviti faciet maximam. Prima quæstio illa est: an causæ mortis ideo tantum sint approbandæ, [1]ne turpes pateant.*

## Declamatio.

MOri volo. Nullam tam inhumanam quisquam crediderit esse legem, ut hominem innocentem & invitum detineat in luce. Sed ita scripta lex est, ut pœnam mortis constituat. Insepultus abjiciatur is, qui non approbaverit causas. Irascitur ergo lex ei, qui non approbatis Senatui causis perierit: quæ profecto non hæc existimavit, quenquam mori velle sine causa. Sed cum duplex genus causarum sit, alterum ex injuria fortunæ, alterum ex mala conscientia, hoc ipsum voluit approbari Senatui, causas non esse deformes. [2] Graves enim esse manifestum est, cum homo mori velit, inde Senatui non de hoc cognoscendum est, hæ graves causæ mortis, an non? graves enim imputat ille, qui mori vult. hoc satis est. Sed de eo cognoscitur, turpes sint causæ, an ex injuria (ut dixi) fortunæ proficiscantur. Aliquis metu judicii mori vult? dignus est, qui insepultus abjiciatur. Aliquis conscientia turpis alicujus flagitii admissi, [3] priusquam prodatur, mori vult? dignus

*tractamata intelligere.*] Hic locus sine ulla controversia ostendit, has vere Declamationes Quintiliani esse. Nam in Institutionibus hæc ejus propria sententia est, ut qui causas dicit voluntariæ mortis, hoc non fictione agat, nec quo magis alteri invidiam paret, ut aliud dicat, aliud velit. sed revera id optet, quod agit. *Idem.*

1 *Ne turpes pateant.*] Ærodius *petant.* Forte: *ne turpibus pateat.* nempe mors voluntaria. *Gronovius.*

2 *Graves enim imputat ille.*] Legendum: *Graves enim jam putat ille.* Idem.

3 *Priusquam prodatur mori vult.*] Merito addidit *conscientia turpis alicujus flagitii admissi.* Nam qui rei criminis non postulati, manus sibi intulerint, bona eorum fisco vindicantur, nisi propter metum conscientiæ postulationem anteverterint, ut Papinianus lib. 16. responsorum scripsit. Qui postulatus est, omnino si sibi manus afferat, pro confesso habetur, sive revera nocens, sive innocens esset, quare & ejus bona fisco vindicantur, & insepultus abjicitur. At qui nondum postulatus, mortem sibi conscivérit, non prius sua confiscat bo-

ria,

dignus est, qui insepultus abjiciatur. Adversus hunc scripta lex est: hac cavetur de hoc. Cæterum quidem tu ei, qui tot lenocinia hæc constituta vitæ contempserit, qui non detineatur his voluptatibus, dices: Non habes graves causas moriendi? Respondebit, Odi vitam, relinquere volo, tu me nocentem probes oportet, ne sepeliri debeam. Si tamen de hoc quoque querendum est, an graves causæ sint, videamus. Perdidi domum fortuito incendio, quomodocunque? tantum domum perdidi, ecquid possum videri justas habere causas moriendi. Penates illos, in quibus natus sum, qui mihi quotidiana imagine adhuc versantur ante oculos, illos penates in quibus sacri aliquid esse credimus, amisi. Hospes in civitate victurus sum. Perdidi liberos, quomodocunque? tantum liberos. Ecquid justa causa mortis est orbitas? & orbitas non simplex, nec tantum geminata, verumetiam in unum tempus collata. Afferant aliquid fortasse solatii mala divisa, & sicut onera facilius subeas, si partiaris, ita hoc graves causas allevare possis, si non ingruant, ac semel veniant. Uno tempore plures liberos. quid si & conjugem, quod si per se grave est, & quod liberos amisi, & eodem tempore amisi, erant satis graves causæ. Adjice nunc, hæc omnia simul amisi, & omnia hæc injuria amisi. Exercitus me expugnavit, sicut urbem hostis: & hæc ipsa causa satis justa erat voluntatis meæ. Odit me exercitus pars populi fortissima, pars populi optime de republica merita: illi milites victores, illi hostium spolia referentes non me occiderunt, sed liberos meos, conjugem meam. Puta illos his ætatibus hostium peperciſſe. Illa modo victa civitas nihil, quod ad fœminas pertinet, passa est præter captivitatem. Domum meam incendit: stant illæ, quas vicimus. Illud tamen inter omnia gravissimum est: cum hæc fecerint, existimant se jure

na, quam conscientia sceleris id fecerit: non si justa causa, licet videret futurum iri ut inique postularetur. *Ærodius.*

jure feciſſe. Omnia, inquit, hæc & ego paſſus ſum. Scio, quo pertineat, ut videar ego merito paſſus: eſt & hæc cauſa moriendi, ſi tantum peccavi, ſi eo me deduxit error, ut filios meos occiderem. Confitendum eſt de hac graviſſima calamitate: domum meam incendit exercitus, populus non defendit. Omnia tamen eadem & ego paſſus ſum. Poſſum dicere hoc tantum, ferre potius potes, gratulor animo tuo. Sed ne mirum quidem eſt, quod tu ferre potius potes: locuples es. Quid horum, quæ perdidiſti, magnopere deſideras? domum opinor (hinc enim incipiam) perdidiſti: infelix non habebis tectum, quod ſubeas? in publico tibi manendum eſt, & ſub cœlo. Fortaſſe etiam contulerint iſta detrimenta delitiis tuis: novimus animos veſtros, novimus faſtidia. Si non eſſet incenſa domus, ſubinde diruere, ſubinde mutare vos juvat, & aliquid ſcilicet experimentis adjicere. Domum perdidiſti: gravis injuria fortunæ, novam habitare. ſed uxorem perdidiſti: ne in hac quidem tibi multum deſiderii eſt. Quomodo enim vos, divites, recipitis matrimonia? recipitis: aliæ vos rapiunt voluptates, illa miniſteria, illi imitati fœminas pueri: inde fit, ut ne liberos quidem ametis. Ergo te poſſunt multa hortari: præterea ſubeunt ſolatia: & uxorem tibi inveniri facile eſt, & liberos tibi alios educare facile eſt: non relinquunt dolori locum tot circumfuſæ voluptates. Ego hæc omnia paſſus ſum pauper: ſi dicerem, Pauper domum perdidi: exutus tamen omni cenſu viderer. Quomodo enim illa apud me remanſerat? quia paterna erat. Pauper liberos perdidi, pauper uxorem perdidi: ſolus relictus ſum, ſolus deſtitutus ſum. Inimicum divitem habeo: adhuc odia illa, quæ contra me quotidie acuit, fortius ſubſtinebam ſpe liberorum. Jam mihi juvenes erant, jam patrem tuebantur: etiamſi quando me æmulatio noſtra in foro fatigaverat, erat, quæ exciperet, conjunx. Si in hoc conſiſteret tota lis, an mihi grave eſſet vivere, vel uno argumento probare poteram. Inimicus me vult vivere: hanc

unam

unam adhuc destinat odiis suis ultionem. Cur enim dicere aliquid ausus sum? cur mihi suspectum fuit, quod fortissimi milites vincerentur? cur indignatus sum eorum bis terga cæsa, qui potetant etiam bis victi tamen vincere? Intelligo aversis auribus accipi hanc partem orationis: vicit enim, & bene etiam meritus de republica habetur. Et hoc inter causas mortis est.

## CCCXXXVIII.

### *Lis de filio expositoris, & repudiatæ.*

[1] Quidam repudiata uxore, ex qua juvenem filium habebat, aut videbatur habere, duxit aliam. Frequenter jurgia erant inter privignum & novercam. Quodam tempore asserere cœpit juvenem pauper quidam, & dicere suum filium: is, qui pater videbatur, torsit nutricem: illa primis tormentis domini esse filium dixit. Iterum torta, dixit expositum esse ab illo, qui asserit: & inter hæc mortua est. Cedit illo pater. juvenem repudiata vindicat sibi.

### DE PROOEMIO ET EPILOGO.

### SERMO.

*Proœmium propriam formam, propriam legem, proprium modum habet:* [2] *neque narrationis forma cadit in proœmium, neque locorum. Uni parti declamationis solet esse simile epilogo: ideo autem simile, quod* [3] *utraque res frequenter extra quæstionem est. Nam & proœmium rem præcedit, & epilogus finita re dicitur.* [4] *Præterea utraque res idem vult efficere, conciliare sibi judicem. Hoc differunt. Proœmia præstare debent, ut intentum judicem faciant: hæc pars oneris epilogo remittitur: dixit enim,* [5] *præcedere interim solet epilo-*

1 Legatur Quintilianus lib. 4. Institut. cap. 1. & lib. 6. cap. 1. Facta omnium comparatione, licebit hic ipsum Quintilianum agnoscere. similiores tamen locos adscripsi lubens. *Idem.*

2 *Neque narrationis forma cadit.*] Nec argumentis autem (inquit lib. 4.) nec locis, nec narrationi similis esse in proœmio debet oratio, *Idem.*

3 *Utraque res frequenter extra quæstionem est.*] Proœmium (inquit) est pars ante ingressum rei de qua agitur. Ducitur tamen nonnunquam (ut ait paulo post) ex rebus, ex lite, ex causa & controversia ipsa. *Idem.*

4 *Præterea utraque res idem vult efficere.*] Contraque est interim (ait cap. de exordio) proœmii vis, etiam non in exordio. Nam judices & in narratione nonnunquam, & in argumentis, ut attendant & ut faveant rogamus. *Idem.*

5 *Præcedere interim solet epilogum.*] Forte: *repetere interim solet epilogus, quo memoria judicis renovetur.* Gronovius.

*epilogum, quo memoria judicis renovetur. Ita prima parte efficimus, ut omnia audiat judex: summa parte efficimus, ut meminerit eorum, quæ audierit. Epilogus deinde inclinationem animi in se præstare debet. Hoc illi cum proœmio commune est:* [1] *plus miserationis, & plus libertatis habet pars summa. Nam proœmium cum precari debeat judicem, fatigare non debet: nec epilogus quidem: nam & illud verissimum est,* [2] *Lacrymas celerrime inarescere. Proœmia ex personis ducenda erunt, aut nostris, adversariorum, aut ipsorum interim judicum: Nostris, ad conciliandum favorem: adversariorum, ad odium judici faciendum eorum, contra quos dicimus. Judicum personæ raro incidunt in scholasticas materias, in foro frequenter: Nonnunquam etiam de rebus permittitur dicere nobis, illa ratione, quia scholastica controversia complectitur, quicquid in foro fieri potest. In foro* [3] *proœmium aliquando ducitur ex rebus: si jam singulæ actiones propositæ sint, jam causam judex noverit. Quid ergo? jure facimus istud, quo illud etiam, ut narremus in iisdem declamationibus, &* [4] *contradictiones ponamus etiam à petitore?*

1 *Sed plus miserationis, plus libertatis habet.*] Miseratio quoque aliquando ex eadem causa venit, sive quid passi sumus grave, sive passuri. Nec enim (inquit) sum in hac opinione, qua quidam, ut eo distare proœmium ab epilogo credam, quod in hoc præterita, in illo futura dicantur. sed quod in ingressu parcius & modestius prætentanda est Judicis misericordia: in epilogo vero, licet totos effundere affectus, &c. & lib. 6. de conclusione, iisdem fere quibus hic verbis. Dividere igitur hæc officia commodissimum, quæ plerumque sunt (ut dixi) proœmio similia, sed liberiora plenioraque. Inclinatio enim judicum ad nos petitur initio parcius: tum admitti satis est, & oratio tota supereſt. In epilogo vero est, qualem animum judex in consilium ferat: & jam nihil dicturi sumus, nec restat quo servemur. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab adversario judicem, concitare affectus & componere. *Erodius.*

2 *Lachrymas celerrime inarescere.*] Nunquam tamen (inquit) debet esse longa miseratio: nec sine causa dictum est, nihil facilius quam lachrymas inarescere, &c. Igitur non speremus fore, ut aliena quisquam diu ploret. *Idem.*

3 *Proœmium aliquando ducitur ex rebus.*] Benevolentiam (inquit) aut à personis ducimus, aut à causis accipimus. & postea, Vitioseque in scholis facimus, quod exordio semper sic utimur, quasi causam Judex jam noverit. Cujus rei licentia ex hoc est, quod ante declamationem illa velut imago litis exponitur. Sed in foro quoque contingere istud principiorum genus, secundis actionibus potest. Primis quidem raro aut nunquam, nisi forte apud eum cui res aliunde jam nota sit, dicamus. *Idem.*

4 *Contradictiones ponamus etiam pro actore.*] Neque hic locus absque illo restitui, in Institutio. lib. 4. cap. 2. neque ille absque hoc facile intelligi potest. Ait enim eum morem esse Declamatoribus, ut statim post exordium, narrationem

*tore? Quod jam in foro non secundum meum consilium fiet: is qui primo loco dicet, & ponet causam, contradictionem ipse non sumet, nisi si quæ testationes præcesserint partis adversæ, ut exceptæ fuerint. In summa, nunquam erit contradictionis loco sumendum, quod adversarius dicturus fuerit, sed quod dixerit. Non est lis huic mulieri hodie cum marito suo. Neque enim judicium constitui potest inter eum qui cedit, eamque quæ sibi asserit. Adolescens asseritur à paupere patre:* [1] *ille cedit: mater non cedit.*

## DECLAMATIO.

ETiam si lis huic mulieri, cui adsum, judices, esset contra pauperem istum, infirmo loco pars nostra & dignior auxilio videretur; quia & per se imbecilla res est fœmina, & affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est. Huic etiam proprium illud accedit, quod in solitudinem conversa sunt, quæ præsidia fuerunt. Hæc enim quanvis maritum habere desiisset, atque esset [2] ea domo, in qua virgo nupserat, pulsa, non sine auxilio tamen videri poterat, cum haberet filium juvenem. Cum vero hoc ipsum deducatur in litem, & hoc tempore nihil matri præter sollicitudinem afferat: tamen hoc confiteor non eam cum ipso, quem ex diversis videtis subselliis, litigare: altior gratia premit. Esset quippe hæc mater in lite utcunque felicior, si maritus ejus contentus esset filio cessisse: [3] nunc adjecit testimonio auctoritatem, & infelicissimam nutricem, quam bis torsit, quia verum dicebat, adversum

tionem subjungant. Inde his etiam alia libertas, ut in eadem declamatione primum suo, secundo quasi partis suæ loco narrare videantur. Nam cum pro petitore dicunt, simul & expositione, tanquam prius agant (nam declamatio, non vera actio est) uti solent: & contradictione, tanquam respondeant. Neque id fit non recte (ita enim lego) nam cum sit Declamatio, forensium actionum meditatio, cur non utrunque protinus locum exerceat? Cujus rationis ignari, ex more cui assueverunt, nihil in foro putant esse mutandum. *Ærodius.*

1 *Ille cedit.*] Nempe qui pater videbatur. *Idem.*

2 *Ea domo, in qua virgo nupserat, pulsa.*] Scribe: *in quam virgo nupserat.* Gronovius.

3 *Nunc adjecit testimonio auctoritatem.*] Sic Pithœus. Thaddæus & Ærodius, *veritatem.* Scribo: *nunc adjecit testimonii auctoritatem.* De elegantia τῦ *adjecit* diximus ad Senecæ Troades & Livii librum decimum. Decl. 352. *pia arma cepisse, privatas quoque adjecisse vires.* Idem.

sum nos mori coegit. Cujus si vos auctoritas, judices, movet, illud unum in prima parte causæ dixisse contentus sum, vocem ejus ab utraque parte recitari. Quod si vindicari filium mallet, satis eum vel sola expositio causæ tueretur. Fuit enim aliquando cupidus liberorum, & propter hoc duxit uxorem, & ad spem statim futuri partus gratulatus est: & natum educavit, & in adolescentiam (quod satis est) sine ulla dubitatione perduxit. Libentius in gravissima mariti injuria, judices, invehar in novercam. Scio enim, quid vellet sibi, cum in domum senis jam & matrimonio occupatam, & in qua juvenis filius erat, irrupisset: scit hæc posse vacuari. Nolite quærere, quo consilio, qua ratione fecerit: sola est. Odia statim adversus adolescentem, nec hæc occulta aut dissimulata saltem, sed jurgia. Quod ipsum mehercule pro summa probatione esse, judices, potest: hunc juvenem sic oderat, tanquam novercа. Nec huic libertas ex fiducia deerat, nec inveniri poterat ullum crimen in vita, quo abdicaretur: inventum est novum exhæredandi genus. Vilissimum istud caput, & in quamcunque litem precio vile, testimonium adversus se primum tulit, expositse se dixit: videlicet ne istum esse malum patrem puderet. Testor Deos, testor vestram, judices, religionem: non satis putavit iste ipse, qui expellere filium volebat, [1] quasi aliquid sui credidisset, infeliciſſimam nutricem ([2] nam illam quoque oderat) omni crudelitatis genere laceravit. Quæritis, qua causa? scietis, cum iterum torquebit. Fatigaverant prima tormenta, & in voce una manserat fides: exprobraverat isti sanguinem suum: revocatus est tortor, repetiti sunt cruciatus. Manifestum est infeliciſſimæ fœminæ factum, futurum ut tamdiu torqueretur, quamdiu idem dixisset. Ego tamen illi non irascor: dum aliquid virium, dum aliquid animi fuit,

1 *Quasi aliquid sui credidisset.*] Fortasse: *quasi aliquid inquisivisset.* Ne videretur sine inquisitione facere. *Idem.*

2 *Nam illam quoque oderat.*] Velim *illam hæc*, aut *illa hanc*, nempe novercа, in cujus gratiam omnia facta vult. *Idem.*

fuit, perseveravit: non est in mendacium coacta, nisi moriens. [1] Victor his tormentis nihil aliud querendum putavit, nihil dubitavit. In tormenta (ut parcissime dixerim) [2] paria non vindico. Sed rogo, ut hoc velitis pertinere tantum ad ipsius causam. Filium matri vindico contra eum, qui asserere cœpit nuper. Ante omnia intelligitis, judices, nullum onus probationis ad me pertinere. Juvenem, de quo agitur, cum hoc homine inventum per tot annos, qui ad robustam usque ætatem perducere eum, de quo litigamus, potuerunt, nunquam dubitatur. Dicam nunc ego illa, quæ leviora sunt. Nupsit & concipere potuit: immo nisi concepisset, non credidisset illi maritus. Totum igitur onus redundat ad diversam partem. Adversarius multa probare necesse habet, habuisse se uxorem, concepisse uxorem suam, [3] peperisse marem, peperisse eo tempore quod ad ætatem ejus, de quo litigamus, congruat: peperisse, exposuisse, vixisse expositum: ab hoc, à quo repetit, esse sublatum, & contra subjectum: [4] ab hac quod præcedit, aut sterilis fuerit, aut id quod pepererat, amisisse. Sterilem fuisse non dices, credidit maritus amisisse: non est satis dicere, probandum est. Hæc exigeremus in causa, judices, si de mancipio, si de pecunia. Filium matri

1 *Victor his tormentis nihil aliud quærendum putavit.*] Divitem intelligit. nam potius victor fuit in causa assertionis, qui omnem modum abdicandi filii investigabat, quam pauper qui per calumniam, & prævaricatione divitis, filium alienum vindicabat. ait enim postea, *quo ne hoc quidem præstitit filio suo ut vinceretur*. Potest etiam dici victor ancillæ fuisse, quam tormentis ita superavit, ut falsum dicere cogeretur. Post quod testimonium non amplius dubitavit filium suum non esse: obscurum & incertum quia id exquirebatur, pro comperto habuit. ait enim infra, *Magna, hercule, tibi contigit victoria, perdomuisti mulierem anum.* &, *dum tu victor & hilaris adversario tuo quid egeris nuntias.* Ærod.

2 *Paria non vindico.*] Alii apud Ærodium: *nondum voco*. Forte: *nondum dico*. Gronovius.

3 *Peperisse marem, peperisse eo tempore.*] Non aliter Ærodius, nisi quod *matrem*. Sed hac distinctione vacat, quod sequenti versu est *peperisse*. Sic igitur interpunge: *concepisse uxorem suam; peperisse; marem peperisse; eo tempore, quod ad ætatem hujus, de quo litigamus, congruat, peperisse, exposuisse*. Idem.

4 *Ab hac quod præcedit.*] Nihil hic sani. Forsan: *ab hoc, à quo repetit, esse sublatum; & contra subjectum ab hac, quæ retinet, quod aut sterilis fuerit, aut id, quod pepererat, amisisset*. Sic mox: *ne huic quidem retinendi*. Idem.

matri eripere conaris, & partem viscerum avellis, & contra maternos gemitus, contentus es alterius parentis negligentia. Quid causæ, inquit, habeo, [1] cur affero alienum? Ut nondum reddam rationem, qua litiges, quod proposuisti dicere, illud est. Nam si tibi causa adserendi alienum filium non est, nec huic quidem retinendi. quinimo facilius est istud pauperi fingere. Quid enim fortunæ tuæ interest, an hæredem habeas? sed reddemus postea rationem, qua fingas: interim [2] instrumentum excutere causæ tuæ volo. Testimonio, inquit, nitor ejus, quem tu patrem dicis. Putemus istud esse testimonium: unus est, iratus est, alterius maritus est. Unus est, cum dico, succurrant vobis Catones & Scipiones, & tot clarissima civitatis nostræ nomina. Cum dico, iratus est, succurrat vobis, quicquid non experimentorum in civitate, sed in scenis fabularum est, quam multa fecerit hic affectus; quam multos transversos velut tempestate quadam egerit. Cum dico, alterius maritus est, duo simul dico, & habet causam, cur nocere huic velit, quam repudiavit: & habet causam, cur præstare ei velit, quam duxit. Hæc dicerem si istud testimonium esset illius. Testis tuus quid dicit, scire se aliquid. Sequitur, ut interrogem, unde? ex nutrice illa. nutricis ergo testimonium est, non testis, qui credit. Dimittamus in præsentia maritum, [3] reducamus illum loco suo. De nutrice dicamus. Si ab initio mentita esset (id, quod adversus hunc dicere audeo, magis auderem adversus nutricem dicere,) sola est. Nunc diversæ quæstiones duæ. Videamus, utram verum dixisse credibilius sit. Tortaturum esse filium dixit. Volo adjicere tormentis auctoritatem: Anus torta, una quæstio adversus hunc sexum, adversus

1 *Cur affero alienum.*] Lege, *cur asseram.* Idem.

2 *Instrumentum excutere tuæ causæ.*] Paulus lib. 2. sentent. Instrumentorum appellatione ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest. & ideo tam testimonia quam personæ, instrumentorum loco habentur. Ulpian. in l. notionem. §. instrumentorum. ff. de verb. & rer. sig. *Ærodius.*

3 *Reducamus illum loco suo.*] Scripsit auctor, *reducemus.* Gronovius.

adversus hanc ætatem non sufficit. [1] Sufficientes jam per se distendis artus, laceraſque verberibus jam non cohærentem cutem: & hoc dicis, Mentiris. Tandiu potest mentiri contra tuam voluntatem? etiam cum robustissimi torquentur, etiam cum animos asperrimus dolor tentat, plurimum tamen interest, quid responderi sibi velit, qui torquet. Dura non dico contra ignem, non dico [2] contra flagella, contra hactenus veritatis inquisitio est, [3] qua victum te speras, si verum dixerit. Cum vero repetas tormenta, cum reducas carnificem, quid aliud dicis, quam illud: Torque, donec mentiatur? Magna, hercule, tibi contigit magna victoria: perdomuisti mulierem anum: expressa vox est jam fugientis animæ. Miserere, non est tuus. [4] Jam parce: verum dixisti. Hic jam, credo, tortor admonitus, instaret perseveraretque, eamque adhiberet artem quæstioni, ut moreretur mulier, dum hoc dicit, dum tu victor & hilaris adversario tuo, quid egeris, nuntias. Rogo, cum mulier eadem in tormentis diversa dixerit, non est manifestum id te maluisse, quod credidisti? Cui non mortalium patet totus hic animus? quis non videt artes novercales, & pactum infelicis senis? miserebor enim, etiamsi nocet necessitate. Quæritis, quo credat animo? quo matrem filii adolescentis domo expulit, quo longam matrimonii concordiam, nullo maledicto, nulla suspicione dissolvit: quo adhuc in torum [5] uxoris prioris vestigio calente adducta est nova nupta: quo ne hoc quidem præstitit filio suo, ut vinceretur. Alia est videlicet horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes, quos liberis suis extra positæ vo-

1 *Sufficientes jam per se.*] Lege, *Deficientes.* Ærodius.

2 *Contra flagella, contra.*] Lege: *contra flagella, contra verbera.* Idem.

3 *Qua victum te speras, si verum dixerit.*] An *sperare*, hic est, timere? Forte: *qua victum te apparet, & verum dixit.* Gronovius.

4 *Jam parce: verum dixisti.*] Alii apud Ærodium, *dixi.* qui scilicet hæc quoque verba tortæ adscripserunt. Nec repugno. Possit tamen aliquis putare, esse patris ad tortorem, simulantis sibi esse satisfactum, cum revera voluerit torqueri, donec periret. Ita legendum foret: *Jam parce, verum dixit.* Idem.

5 *Uxoris prioris vestigio calente.*] Immo *calentem.* Idem.

tæ voluptates conciliant: aliter amant quæ pepererint: quæ memoriam decem menſium, quæ tot periculorum, tot ſollicitudinum recordationes ad vos, judices, affert. Numerate hujus adoleſcentis annos, breve nimium videatur: numerate omnes dies, ſingula temporum momenta: tamdiu mater teſtimonium dicit? Nulla poteſt eſſe tam longa ſimulatio. Si leges ſinant, permittatiſque vos, ſe torqueri volet, ſe imponi ignibus, ſe verberibus lacerari poſtulet. Quid agis mulier? temere facis: fœmina es, & anus, prima forſitan tormenta ſuſtineas, vincet dolor, & ad ſuprema deficies. O admirabilem, judices, vocem! Torqueat, inquit, modo mater ſim. Aliud eſt nutrix, & ancilla, & torquente domino. Age, cum in hac voce ſupremum poſueris ſpiritum, cui juvenem reddituri ſumus? Voleſne illum ad hunc patrem reverti, & ad illam novercam!

## CCCXXXIX.

## *Rogatio Demoſthenis.*

Rogationem fert Demoſthenes, ne illi qui apud Chæronam captierant à Philippo, & gratis remiſſi, conſiliis publicis interſint. CD.

### Declamatio.

PRiuſquam cauſas rogationis meæ perſequar, Athenienſes, ſuccurrit mihi [1] laudare vos, & adcognoſcere. Poſt adverſum prælium (quod quidem ipſi, qui rebus Philippi favent, dolore ac rumoribus in majus extollunt) non pacem petiiſtis, non de conditionibus ullis cum hoſte tractaſtis? ipſos etiam repetendo captivos, hoc oſtendiſtis curam eſſe vobis, ut bellum geri poſſet. Id cum feciſtis pro majorum veſtrorum opinione atque laude, ſervataque uſque ad hoc tempus gloria civitatis, tum etiam (ut arbitror) ratione quadam, quod nos victos, non tam virtute hoſtis, quam eorum, qui pugnare noluiſſent, timore exiſtimabatis. Quamlibet igitur obliquis actionibus pars diverſa, dum

1 *Laudare vos & adcognoſcere.*] Lege, *agnoſcere.* Idem.

dum tueri mille istos captivos videtur, pacem suadeat: animum virtutemque civitatis debilitare conetur: ego loquor apud eos, qui non defecerunt. Sed ' multa me dicturum, propter quod approbari possit rogatio mea, oratoriis artibus impedire pars diversa conatur. Negat enim rogationem contra leges accipiendam, negat adversus singulos: quorum ego utrunque confiteor. Verum neque adversus leges esse existimo, quicquid pro opinione ac pro dignitate civitatis patimur, & cui nulla lex scripta ex contrario extat. Nam si quod est jus, quo contineatur hoc, ut mali & jam turpes cives utique consiliis publicis interfint, videor fortasse hanc rogationem contra leges scripsisse. Si vero nihil est, quod ex contrario cogat, non potest videri hoc adversus id scriptum esse, quod non obstat. Illud vero aliquanto minus existimare possum, adversus singulos scripsisse legem, cum certe mille sint, de quibus agitur. Quanquam rationem etiam, propter quod non liceat rogationem contra singulos ferre, illam video, quod peccata singulorum videantur habere leges suas. Homicidium fecit aliquis, sacrilegium, injuriam, cæteraque his similia: suo jure punitur. Cum vero mille semel capiendos se alligandosque hosti præbuerint: hæc (ut opinor) superfunt, ut aut nulla castigatione dignam rem, qui contra dicunt, putent: aut si castiganda sit, ostendant legem, qua castigari possit: aut si non ostendant, nihil aliud quam rogationem supereſſe fateantur. Primum igitur hoc apud vos, Athenienses, dixisse contentus sum, æquissimum quidem ac justissimum esse, ut populo detur summa rerum potestas: consilium tamen non utique turba, neque tumultu, neque angustiis eorum, qui consulantur, constare. Utinam quidem fieri posset, ut ex universo populo rejicere, ac seligere liceret eos, qui parum prudentes, parum digni consiliis publicis viderentur. Sed quoniam istud deprehendi nisi expe-

1 *Multa me dicturum, propter quod.*] Cur non *propter quæ.* Ut & mox: *rationem etiam, propter quam.* Idem.

experimentis non potest, de his demum rogationem fero, qui experti sunt. Atqui si hoc apud vos non tale constitutum est, esse aliquos, qui consiliis publicis interesse non debeant: jam multo facilius ac pronius erit, ut doceam hos esse, qui etiamsi utiles consiliis futuri essent, indigni tamen propter dedecus proximæ militiæ. Ac mihi in hæc dividenda videtur ratio istius orationis, ut pars ad ipsos, de quibus loquor spectet, pars ad universam rempublicam. Adversus istos hoc dixisse contentus sum: Bellum adversus Philippum suscepimus pro libertate totius Græciæ, pro salute communi. Nam etiamsi in præsentia amicam civitatem, nobiscum olim conjunctam tueri videbamur, eventus tamen belli ad omnes pertinebat, & hoc nobis, Athenienses, vetus atque à majoribus traditum est, pro universa Græcia stare. Sic contra Persas semel iterumque pugnavimus, ac privatis viribus defendimus publicam salutem. Jam igitur ex hoc apparet profecto vobis, nunquam majore animo, nunquam concitatiore spiritu fuisse pugnandum. Non enim nobis [1] cum hoste Græciæ aliquo res erat, ubi quanquam victi, leges tamen similes, linguamque certe eandem pateremur: sed cum homine barbaro, cum homine crudeli, cum homine infesto. Quanquam quid necesse est ista diutius dicere? pugnare enim placuit & placet. In hoc igitur prælio, quod, ut dixi, pro universa Græcia susceperamus: nondum dico quantum nocuerit istorum timor: interim cujus propositi fuerit animus, attendite. Longe felicissimum in bellis est vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro causa mori, est tamen tertium aliquod inter dedecora: in patriam certe redire, & si vincere non detur, effugere. Potest enim credi, qui hoc fecit: ad secundam se aciem servasse, & victum adversis animum reposuisse. Illi vero, qui se inter virtutem hosti dedit, qui [2] abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem

1 *Cum hoste Græciæ aliquo res erat.*] Forte, *Græco aliquo*, Gronovius.

2 *Abjectis armis.*] Vet. cod. *abjectis*. Pithœus.

dem nobis spem in posterum facit? Atque ego, Atheniensis, eo tempore, quo recipi istos placebat, contradicturus fui: nisi quod poterat honestum ex his receptis exemplum fieri. Sunt igitur digni pœna aliqua, sunt ignominia, si hoc tantum ad ipsos referatur. Sed redeo ad publicam utilitatem. Nihil esse, quo magis disciplina militaris confirmari posset, Athenienses, quam exemplum adversus indignos, [1]nemo dubitavit. Quæ enim spes in bellis in milite nostro residua est, si nihil potius fuerit quam capi? Certum habeo nunc istos male sentire de his, qui in acie ceciderunt.

## CCCXL.

### *Novitius prætextatus.*

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Mango novitium puerum [2]per publicanos trajecit prætextatum: dicitur ille liber.

### DECLAMATIO.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Quærendum est nobis, quid sit in libertate esse: voluntate domini est in libertate quo volente liber est. Nos finimus ita: voluntate domini in libertate est, qui jus libertatis usurpavit domino volente. Id primum scripto ipso colligemus. Non enim difficile fuit ei, [3]qui hanc legem componebat, id scribere: QUI VOLUNTATE DOMINI LIBER FUIT. Nunc hoc scribendo, QUI IN LIBERTATE FUERIT, satis ostendit aliud esse, in libertate esse: aliud liberum esse. Excutiamus etiam causas legis hujus. Indignum putavit legumlator eum, qui in fortuna aliqua reipublicæ, qui in numero civitatis fuisset, redigere in servitutem. Sed hoc quoniam sibi nequitia interim asserebat, adjecit, ut hi

1 *Nemo dubitavit.*] Lege, *dubitabit.*

2 *Per publica vostra jecit.*] Lego, *per publicanos trajecit.* Pithœus.

3 *Qui hanc legem componebat, id scribere.*] Potius, *ita scribere.* Gronovius.

ut hi liberi essent: qui in libertate VOLUNTATE DOMINI fuissent. Vis scire, quanto aliud sit in libertate esse, aliud liberum esse? Eum, qui in libertate fuerit, jubet lex liberum esse. Tanta rerum differentia est in causis libertatis. In libertate est igitur, quisquis caret forma servitutis: id judices, ex hac ipsa lege manifestum est. Non enim legumlator putavit etiam eos, qui à dominis fuga abessent, esse in libertate, quod colligo scripto ejus, QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT. Apparet aliquos & non voluntate domini in libertate esse: quod si verum est, potest in libertate esse, etiam, qui liber non est. Nihil ergo prodest tibi, cum dicis, liberum eum non fuisse. Non enim quæritur, an voluntate tua liber fuerit: sed an voluntate tua in libertate fuerit. [1]Si voluntate tua liber non fuisset, quid nos postularemus? Depulsus hac pugna transcendit eo, [2] ut neget liberum tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus eum, qui in libertate est, quibus argumentis colligemus esse in libertate? Signavit aliquis tanquam liber: si id voluntate domini fecerit, etiamsi maxime illum servum esse dominus voluit eo tempore, manifestum erit in libertate: sic quisquis aliquid pro libero facit. Atqui hic puer non tantum pro libero, sed etiam pro ingenuo est, prætextatus fuit. Si talem illum ad judices perduxissem, hoc insigne non tantum libertatis modo, sed etiam dignitatis esset: equidem paves, ne scelus feceris. Et alius fortasse tantum usurpaverit libertatem, hic & approbavit. Quibus? [3] Publicanis hominibus (ut parcissime dicam) diligentissimis. In sum-

1 *Si voluntate tua liber non fuisset.*] Erodius: *liber, non in libertate fuisset.* Ego nihil aliud quam particulam negantem deleo. *Idem.*

2 *Ut neget liberum tunc saltem fuisse.*] Forte: *ut neget in libertate tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus? eum, qui in prætexta est, quibus argumentis colligemus esse in libertate?* Idem.

3 *Unus è Publicanis hominibus.*] Hic novitius puer non hoc loco liber est, quod ut quilibet alius libertatem usurpavit, & in libertate fuit volente domino, dum ab eo in foro prætexta indutus est: sed hoc ipsum ut liber sit & ingenuus, unus è publicanis diligentissimus, cum apud eum professio fieret, id approbavit, cujus alioqui interesat ingenuum

In summa velim ostendere totum tuum comitatum, quis habitus servorum fuit. [1] Ego tamen, inquit, non ea voluntate feci, ut hic liber esset, sed ea, ut publica non solveret. Sæpius eadem dicenda sunt: etiam gratulamur, si invito te liber est. Liberum esse noluisti, sed in libertate esse voluisti, nihil interest, qua caussa hoc feceris: id est, (ut propius ad verba legis accedam) nihil interest, qua causa in libertate esse eum volueris. Verum ista causa, quam prætendis, digna pœna est. Circumscribere vectigalia populi Romani voluisti, specie prætextati imponere publicano voluisti. Postmodum dicam quantum interfit hujus pueri: interim dicam, tua quid interest? [2] quod petieras, non contigit tibi, non fefellisti.

SERMO.

*Hæc circa jus: illa jam circa æquitatem.*

DECLAMATIO.

Quæ passurus est hic puer domino redditus, sine dubio novimus, istam negotiationem, & frequentissima in foro videmus judicia talium injuriarum. Fortasse etiam natus est ingenuus: fortasse rapto ex aliquo litore prætextam fortuna

ingenuum non esse: quia servi veneunt, non liberi homines, nec ejus rei quæ in commercio non est, vectigal solvitur. Igitur hic puer & voluntate domini, & præjudicio Publicanorum liber est. Quæ ad hanc declamationem ex jure nostro pertinent vulgaria sunt. Vide Justinian. tit. de latina liber. tollen. tit. Communia de successio. Ulpianum tit. de libertinis. de prætexta, Budæum ad l. ult. ff. de senato. ad l. sed si togæ. ff. de jure fisci. Novitiorum quoque ut variæ sunt causæ, varia appellatio est: si à mangone aut venalitiario veneant, aliter definitur. l. præcipiunt. ff. de ædil. edict. si à non negotiatore, ut quisque eum destinatum habet. l. ult. ff. eod. tit. aliter si apud Publicanos eum quis profiteatur. l. interdum. §. quoties. ff. de publica. sunt igitur leges illæ non contrariæ, sed diversæ. *Ærodius.*

1 *Ego tamen (inquit) non ea voluntate feci.*] Paulus l. 17. ff. Qui & à quibus. Non fit liber, si mentitus dominus, ne à Magistratu castigaretur, dixit esse liberum: non enim fuit voluntas manumittendi. Publicum autem pro vectigali accipi, nimis tritum est & apud Ciceronem & apud nostros Jurisconsultos. Cicero ad Quintum fratrem, & 6. Parad. Ulpian. l. 1. ff. de publica. l. ut in conductionibus. ff. pro socio. l. miles ex quib. cau. majo. l. fideicommissa. §. interdum de legat. lib. 2. *Idem.*

2 *Quod petieras, non contigit tibi, non fefellisti.*] Contrarium vult acerbâ ironia. *Tua quid interest? quod petieras, contigit tibi. fefellisti.* Id agebas, ut fraudares publicanos. hoc contigit tibi, eos fefellisti. *Gronovius.*

fortuna reddidit. Illud est tamen, quod nos magis confundat: videtur mangoni puer precioſus: timuit, ne magno æſtimaretur. Iſta ſpecies in quacunque ſervitute miſerabilis foret. Rogamus vos, judicetis, quam multa facere poſſit adverſus puerum mango iratus: aut illi fortaſſe precium exciſa virilitate producet: aut ob infelicis contumeliæ annos venibit in aliquod lupanar. Res est nobis cum homine, qui non erubeſcit: nihil reſervat: etiam periculoſe avarus est: quos cultus accipiet, qui prætextam habuit? Ego vobis allego etiam ipſum illud ſacrum prætextatum, quo ſacerdotes velantur, quo magiſtratus, quo infirmitatem pueritiæ ſacram facimus, ac venerabilem.

## CCCXLI.

## *Res furtiva improfeſſa apud publicanos.*

Quod quis per publicanos improfessum transtulerit, commissum sit. Quidam rem furtivam tranſtulit per publicanos, [1]non profeſſus eſt: deprehenſa res eſt. Publicani cum domino contendunt, [2] illi tanquam commiſſam rem vendicant: ille tanquam ſuam.

### Declamatio.

REm non profeſſam apud nos tenemus. Hoc jus quale ſit, poſtea videbimus. Quod quis profeſſus non eſt apud

1 *Non profeſſus eſt.*] Hæc verba poteſt aliquis, non auctoris ſed interpretis, putare. Nam ipſum illud, *trajeciſſe, tranſtuliſſe per publicanos*, eſt non profeſſum eſſe. Sic & Decl. 359. *Publicanus noluit ſcrutari. Tranſlatis manum injecit.* Gronovius.

2 *Illi tanquam commiſſam rem vendicant.*] Quæ hic pro Publicanis dicuntur, probabiliter & oratorie dicuntur. Cæterum alio jure utimur, vel ſi res furtiva non ſit. Nam iniquum eſt, dominum re ſua privari, abſque facto & culpa ſua. Paulus tit. de publica. Dominus navis (inquit) ſi illicite aliquid in nave, vel ipſe, vel vectores impoſuerint, navis quoque fiſco vindicatur. Quod ſi abſente domino id à magiſtro vel gubernatore, aut proreta nautave aliquo factum ſit, ipſi quidem capite puniuntur commiſſis mercibus, navis autem domino reſtituitur. Idem à Juſtiniano reſcriptum eſt conſtitutio. 131. §. ſi quis domi ſuæ. à Conſtantino. C. de falſa moneta. ab Accurſio notatum ad l. 2. C. de navibus non excuſan. Cauſarum tamen & criminum habenda aliqua ratio eſt. Sed ubi res non profeſſa, alio item vitio laborat, puta, furtiva eſt, aut ſervus fugitivus eſt, nulla jam dubitatio eſt, rem domino auferri non poſſe. Nam ex lege XII. Rei furtivæ perpetua eſt auctoritas,

apud publicanos, pro commisso tenetur. Ea res, de qua judicatis, in professionem non venit: omni jure conditionis nostra est. Mea est, inquit. Nihil istud contra jus nostrum est: alioqui nemo non hoc de re non professa dicere possit, Mea est: & is qui transtulit, alienam rem transtulit. Ante omnia, nulla lege comprehensum est, [1] ut alienam rem non profiteri liceret: alioqui publicum eversum est, leges permutandæ sunt, [2] ut transferantur aliena: an furtum profiteri debuit? At iniquum est meam pœnam esse, cum ille peccaverit. Iterum dicam, Si quid iniqui habet lex nostra, postea viderimus: interim lex est: non adversus homines, [3] sed adversus rem scripta est. Si jus accepissemus aliquod ab eo, [4] qui non transtulisset, exigendi: [5] sic quoque sine dubio esset nostra causa melior: sed tamen videretur de re ipsa esse contentio. Nunc lex hoc continet, ut rem teneamus, [6] quæ translata est, quæ professa non est: quid interest quis professus non sit? nobis res dedita est. hæc de jure. Sed jus ipsum iniquum est. Alio me vocas, de alio quereris. Dic istud reipublicæ, dic senatui, dic magistratui: ærarium P. R. vectigalibus iniquis

ctoritas, &c. de fugitivo servo à Divo Pio sæpissime rescriptum est. l. interdum. ff. de publica. Quid sit commissum, & unde fluxerit hæc appellatio, vide Asconium. *Ærodius.*

1 *Ut alienam rem non profiteri liceret.*] Licet institori, negotiorum gestori, procuratori, usufructuario, bonæ fidei possessori, sed in fure nec omissio, nec professio nocet, aut prodest domino. *Idem.*

2 *Ut transferantur aliena.*] Thaddæus, & Ærodius ignorant particulam *Ut.* Ego hæc verba puto ejus, contra quem agunt publicani, & sic constituo: *permutandæ sunt. Transferebat aliena: an furtum profiteri debuit?* Respondet publicanus: *At iniquum est.* Gronovius.

3 *Sed adversus rem scripta sunt.*] Hoc de rebus soli vere dici posset. Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt (inquit Papirius Justus) in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri. Sed in rerum mobilium merciumque professione, factum etiam delinquentis attenditur, & error & ignorantia. *Ærodius.*

4 *Qui non transtulisset, exigendi.*] Particulam negantem Pithœus addidit. Vide an fuerit: *Si jus accepissemus aliquid ab eo, quod non transtulisset, exigendi.* Gronovius.

5 *Sic quoque sine dubio.*] Hoc est, Si jus accepissemus non tam adversus rem, quam adversus personam, exigendi videlicet ab eo qui transtulisset, non etiam rei ipsius jure commissi retinendæ: sic quoque, &c. *Ærod.*

6 *Quæ translata est, ut professa non est.*] Scribe: *quæ translata est, quæ professa non est.* Vel *aut professa.* Nam, ut diximus, idem uterque sermo significat, sed posterior simplicius & clarius. *Gronovius.*

quis repletur & ſpoliantur provinciæ, & ſublatum commercium eſt. Nos conduximus id, quod locabatur. Sed reſpublica quoque, cum qua queri poteris, habet quod reſpondeat. Primum illud, neceſſaria eſſe vectigalia civitati, exercitus ſtipendium accipiunt, bella quotidie geruntur adverſus barbaras & bellicoſiſſimas gentes: defendimus ripas, & flumina, & litora: huc adjice & illud, templa extruuntur: multum impendiorum ſacra ducunt: [1] aliquid ad ſpectacula, opus eſt vectigalibus. Inter vectigalia porro quod æquius inveniri poteſt, [2] & ſine majore hominum querela? quanto illud injuſtius videri poteſt, [3] quo [4] partem hæreditatis ſibi vindicat? at plurimum in hoc vectigal confert negotiatio: quicquid eſt, de futuro lucro eſt. Præter id, quod non poteſt videri iniquum, [5] ad quod acceditur: & vectigal quidem ipſum neceſſarium, non iniquum. Nam hoc injuſta pœna eſt, in qua furta deprehenduntur, [6] qua lex vindicatur, qua fraus transferentium detegitur? Aliter ſtare vectigal non poteſt: eodem revertimur. Iterum hac ratione reſpublica locat, hac neceſſitate nos conduximus, & pretio vicimus. Et adverſus quales homines conduximus? quamvis pœna ſit, quamvis in commiſſum veniant ea, quæ quis profeſſus non eſt, tamen fallere nos volunt, tamen mille artibus circumſcribuntur. Quotaquæque res eſt, quæ deprehendatur? Poteramus tibi etiam imputare beneficium iſtud, quod tibi extorqueri quereris, non apud nos perdidiſti: interim (quod ſatis eſt) furem apud nos inveniſti: ignorares, niſi nos fuiſſemus, tranſlata

1 *Aliquid ad ſpectacula opus eſt vectigalibus.*] Poſtremam vocem pro ſpuria induco. *Idem.*

2 *Et ſine majore hominum querela.*] Fortaſſis: *& magis ſine hominum querela?* Aut, *& minore hominum querela.* Idem.

3 *Quo partem hæreditatis ſibi vindicat.*] Utrum ſubaudiri poteſt *reſpublica*, an ſcribendum, *quod partem.* nempe vectigal. *Idem.*

4 *Partem hæreditatis ſibi vindicat.*] Ut lex Julia & Papia & Memmia de viceſimis hæreditatum, aliiſque hujuſmodi. *Ærodius.*

5 *Ad quod acceditur.*] Vide ad Senecæ epiſt. 101. *Gronovius.*

6 *Qua lex ſecundum nos eſt.*] Scribe: *In ſumma parte (quia lex ſecundum nos eſt, æquitas ſecundum nos eſt) illud quoque dicendum puto.* Idem.

lata in aliam provinciam furta, inter ignotos homines, inter alienos. In summa parte: qua lex secundum nos est, æquitas secundum nos est. Illud quoque dicendum puto, qua sententia possitis parti utrique consulere. Quid est æquius, quam utrumque vindicari? Unus furtum fecit duobus: habet suam quisque legem: [1] nisi nos retinemus, nulla actione vindicari possumus: ille etiamsi non ipsam rem acceperit, pro re tamen accipere poterit. [2] Habet actionem de illa. Nam & in quadruplum litigat: non irascitur furi, qui re contentus est. Adversus invidiam illius privata agi actione potest: à nobis, publica. Ille vobis commendat sarcinas suas: nos commendamus vectigalia vestra, commendamus reditus civitatis.

## CCCXLII.

## *Ancilla in Archipiratæ nuptias missa.*

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Qui habebat patrem & sororem, captus est à piratis. Scripserunt piratæ patri, ut mitteret vicariam filiam futuram Archipiratæ uxorem. Misit ille matrimoniali habitu ancillam, remissus est adolescens. Illa ab Archipirata hæres omnium bonorum relicta, rediit in civitatem. Dicitur ancilla.

### SERMO.

*Similes quæstiones sunt prioris divisionis eadem finitio. Dicit enim is, qui petit in servitutem, Eum esse in libertate domini voluntate, quem liberum esse dominus voluerit. Nostra pars dixit, In libertate esse domini voluntate eos, qui aliquid pro liberis ex voluntate*

1 *Nos nisi retinemus.*] Hoc jure nostro falsum est. Nam commissi persecutio competit, ut adversus quemlibet possessorem, ita adversus hæredem. l. commissa. ff. de publica. vectig. & com. Quid igitur adversus furem? tanti in eum actio dabitur, quanti lis erit æstimata. arg. l. 4. §. ult. ff. de re judica. l. si quis in tantam C. unde vi. Quod sequitur, ut dominus pro re precium accipiat, eam quorundam fuisse opinionem ait Accursius d. l. 2. C. de navibus. non excusan. quos movit. l. item si verberatum. §. 1. ff. de rei vindicat. Sed verius & æquius est, dominum non delinquentem damno rei suæ non affici, qua plus quam precio ducitur. *Ærodius.*

2 *Actionem quidem de illa à natura.*] Furtum (inquit Paulus) est contrectatio rei fraudulosa, &c. quod lege naturali prohibitum est admittere. *Idem.*

*luntate domini fecerunt. Repellenda est nobis finitio partis adversæ : deinde nostra corfirmanda.* [1] *Finis partis adversæ sic repelletur.*

## Declamatio.

Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Si de his loqueretur lex, quos dominus manumisisset, & liberos esse voluisset, supervacuum erat. Nam etiam hac lege sublata, non dubitabatur, quin manumissi liberi essent. Præterea aliud esse, in libertate esse, aliud liberum esse, etiam ex eo manifestum est, quod eos, qui in libertate fuerint, liberos esse lex jubet. Ad quos ergo lex pertinet, ut ad nostram finitionem redeamus? Qui volentibus dominis fecerint aliqua tanquam liberi: ut puta, signavit aliquid volente domino servus? liberum esse vult: [2] iniquum enim erit tabulas auferri, & circunscriptum esse nescio quem, cui signatæ sint tabulæ. Judex inter duos convenerit, & sententiam tulerit volente domino? liberum esse hunc voluit, ut ea res, quæ judicata erat, haberet suum finem. Denique neminem, qui in aliqua formula libertatis fuisset, nisi fraude & culpa sua redire in servitutem voluit. In libertate

1 *Finis partis adversæ sic repelletur.*] Sic & Thaddæus. Ærodius, *Finitio.* Sed ipsum illud *finis*. Quintilianus lib. 4. Inst. 4. *Sed nonnunquam valde utilis est* narratio, *præcipue, ubi res defendi non potest, de fine quæritur: ut pro eo, qui pecuniam privatam de templo sustulit.* Sic enim libri vett. ubi subjiciunt *jure* aut *nomine*. Lib. 7. 3. *Ideoque in schola, ubi nobis ipsis fingimus contradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrimque optimi poterunt.* Et mox: *Maximus autem usus in approbando refellendoque fine propriorum ac differentium, nonnunquam etiam etymologiæ.* Ex quo apparet hic quoque scribendum: *Finis partis adversæ sic refelletur.* Gron.

2 *Inimicum enim erit.*] Hæc ratio non perpetuo vera est. Nam tabulæ nonnunquam firmæ & ratæ manere possunt, & testis ille nihilominus in servitutem peti. §. sed cum aliquis in Institutio. de test. ordinan. Servi quoque nullum arbitrium est, ut Ulpianus ait ad edictum de receptis arbitris. & tamen possunt valere quæ apud eum acta sunt, ut tamen liber non efficiatur. l. Barbarius. ff. de officio Prætoris. Sed cum utrunque volente domino factum erit, quæstio illa nascitur, an tacite ei dominus libertatem donasse videatur, ut cum eum tutorem dat, aut hæredem instituit: quæ non nisi liberorum sunt nomina. *Ærodius. Iniquum enim erit tabulas auferri.*] Forte, *aboleri.* Gronovius.

bertate autem putavit esse legumlator etiam eos, qui non voluntate domini in libertate essent: sicut eos, qui absentibus dominis aliqua pro liberis egissent, & ideo adjectum est in lege, QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT. Ergo etiam invito domino potest aliquis esse in libertate, invito autem non potest esse liber. Aliud est in libertate esse, aliud liberum esse. Hanc igitur, de qua quæritur, dico voluntate tua esse in libertate. hoc quomodo probo? quo uno probari potest. Fecit aliquid tanquam libera. Nondum dico, ad piratas pervenit: dissimulo & illud, qua causa volueris eam in libertate esse: interim & vidente te & spectante, habitu matronæ fuit. Hoc satis erat, etiamsi postea nulla essent consequuta. An vero majus in hoc putamus esse momentum, ut [1] circunverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit. [2] Hoc loco poni solet illud: Num igitur si in scenam misero, & mimi partibus tanquam matrona processerit, poterit videri mea voluntate [3] in libertate esse? Non est hoc porro simile, nam ipsa statim scena rem fictam esse testatur. [4] Stola illa mimi erit, non hominis: at eadem si hoc habitu extra scenam fuerit, & in civitate processerit: eadem illa, quæ solet mima esse, nihilominus erit in jure libertatis. Ergo habitu satis testata est libertatem. Quid si fecit aliqua tanquam libera? profecta

1 *Circunverteres mancipium.*] Persius, *Vappa & lippus & in tenui farragine mendax. Verterit hunc dominus, momento temporis exit Marcus Dama.* Cum servus manumittebatur, imposita ejus capiti manu vertebatur à domino, quo significaret eum jam liberum esse, ut ei quocunque liberet abire, liceat impune. Hunc morem notavit Appianus lib. 4. bellorum civilium, atque ad hunc alluſit Seneca ad Lucilium, Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem qui se illi subjecit, statim circumagitur. *Ærod.*

2 *Hoc loco poni solet.*] Est hoc sermonis. *Pithœus.*

3 *In libertatem esse.*] Sic Cicero, In prædonum esse potestatem. Plautus, Non vero mihi in mentem fuit. vide Gellium. *Ærodius.*

4 *Stola illa mimi erit, non hominis.*] Cur non *mimæ*? Nam quod præcedit, *mimi partibus*, potest tolerari, ut mimus sit ipsa fabula. *Gronovius.*

fecta est, parum est dicere quasi ingenua, [1] quasi honesta, quasi filia tua. Sed hæc omnia, inquit, fecit non ideo, quoniam eam in libertate esse volebam: Lex non ad causam nos voluntatis tuæ mittit, sed ad ipsam: in libertate esse voluisti: quare volueris nihil ad judicem, nihil ad voluntatem pertinet. [2] Tu tamen illam in libertate esse noluisti (ut parcissime dicam) maligne. Quid si credibile est, hanc etiam voluntatem tuam fuisse, ut illa in libertate sit? Quid enim? esse illam voluisti [3] ancillam, cujus non dubium est, quin hoc votum tuum fuerit, ut matronam approbaret? ut filiam tuam approbaret? noluisti eam in libertate esse, de qua nihil magis timebas, quam ne illa tibi tanquam ancilla remitteretur? Quanquam etiam si remissa esset, jam tamen tua voluntate in libertate fuisset. Sed processit ultra. dicebam, Habitum matronæ te volente sumpsit: iter tanquam matrona ingressa est: te volente ad piratas tanquam filia venit tua: te volente approbavit se liberam & ingenuam: te etiam volente in matrimonio fuit, tanquam libera: hæres relicta est, tanquam libera. Horum omnium jus à tua voluntate profectum necesse est, qui voluisti dimittere, qui voluisti tanquam liberam dimittere. Hæc dicerem, etiam si piratæ tantum vicariam petiissent: nunc vero cum adjecerint, ut eam vicariam mitteres, quæ in matrimonio archipiratæ esset, dubitari non potest, quin tu eam miseris tanquam liberam futuram? [4] Hæc quod ad jus: illa quod ad merita. Digna est, quæ sit libera, filium tibi restituit. Si tantum filii tui pretium fuisset, videretur tamen

1 *Quasi honesta.*] Vet. cod. *quasi hosta.* Pith.

2 *Tu tamen illam in libertate esse noluisti (ut parcissime.*] Ærodius *voluisti.* Melius Pithœus: sed interpunctio obscurat locum. *Tu tamen illam in libertate esse noluisti.* hoc est, Tu dicis te noluisse. nam occupatio est. Respondet: *Ut parcissime dicam, maligne,* nempe egisti, vel voluisti. *Gronovius.*

3 *Ancillam, cujus non dubium est.*] Et hoc non intelligitur sine distinctionis facula. Scribe: *Quid enim? esse illam voluisti ancillam? Cujus? Non dubium est, quin hoc votum tuum fuerit, ut matronam approbaret, ut filiam tuam.* Idem.

4 *Hæc quod ad jus, illa quod ad merita.*] Sunt & ista potius Sermonis & quod sequitur pagina sequente 4. *Quam causam, &c.* Declamationis videtur. *Pith.*

tamen bene meruisse. Nunc quam multa addit ad fidem? poterat & remanere apud piratas, & obligare illos hoc indicii sui beneficio. Sed non confessione tantum effectum est, ut filia tua videretur, quemadmodum complexa est illa catenatum? quotiens fratrem vocavit? quam veras lacrymas profudit? optime meruerat de te, & hoc ipso, quod reversa est.

SERMO.

*Hic parce quidem stringendus erit pudor patris, stringendus erit tamen, tanquam cupidi & avari & hæreditatem istam affectantis: hoc ideo non amare, nec districte, primum quod potest hic esse dominus illius, si ita judicibus videbitur: deinde quod nobis res cum eo est, cui gratias agimus, cujus voluntate dicimus nos in libertate fuisse. In summa parte advocationis, advocamus etiam adolescentem illum quasi advocatum, qui nostro beneficio redemptus est. Promittit præterea, ista quæ in hæreditate relicta sunt, illius esse. Quam causam revertendi habuit aliam? licuit illi, ignorante eo, in aliqua civitate subsistere.*

## CCCXLIII.

### *Circunscriptor pauperis, divitis raptoris socer.*

CIRCUNSCRIPTIONIS SIT ACTIO. Pauper & dives eandem puellam petebant in matrimonium: capta est illa, quæ petebatur: posuit conditionem petitoribus pater, ejus esset qui redemisset: pauper profectus est, & redemit virginem. Rapuit illam competitor dives, educta ad magistratus nuptias optavit. Circunscriptionis accusatur pater à paupere.

SERMO.

*Non tantum nobis in hoc laborandum est, ut circunscriptus sit adolescens, quantum in illo, ut circunscriptus sit à patre. Esse enim justam querelam ejus, qui redemit & reduxit, cum præsertim sub pacto redemerit, manifestum est. Eximitur ex parte diversa rei persona. Quod factum est, ne duceret ille, non pater fecit. Rapuit dives, optavit puella,* [1] *pater tantum promisit. Quomodo ergo fiet,*

1 *Pater tantum promisit.*] Forte, *permisit.* non curavit, ut raperet, non ut puella optaret: passus modo est hæc fieri. *Gronovius.*

*fiet, ut hic circunscripserit, si probat omnia facta hujus voluntate? alioqui, nisi hoc obtinuerimus, frustra plorabimus apud judices.*

## Declamatio.

Circunscriptum esse me probare prius volo, quam ab isto circunscriptum. Pactus sum: hoc pactum non servatur, nec potest repeti. Pecuniam impendi sub pacto: neque pecuniam repetere possum; neque id, propter quod impendi, habeo: navigavi, laboravi. Sic interim loquor, Quoniam promittebatur aliquid, hoc quod promissum erat, præstari non potest: circunscriptio est. Hactenus causa fundamenta cœpisset: sequentia illa sunt, ut probem me & ab hoc circunscriptum esse, & indignissime circunscriptum. Animadvertitis, judices, fiduciam circunscriptoris. Alius rapuit, alia optavit: ideo circunscriptio est. Neque enim unquam decurritur ad hanc legem, nisi cum rectum jus nequitia exclusum est. Si non alius rapuisset, ex pacto reprehenderem. sed nihil hæc cavillatio proderit tibi, qua crimen in generum & in filiam transfers. Nam si apparuerit judicibus, omnia te volente facta esse, qui promisisti: manifestum erit à te esse circunscriptum eum, qui tibi credidit. Igitur ab initio propensiorem te fuisse diviti, non suspicionibus probo, non eo quod credibile est. Capta filia tua, quam posuisti conditionem? ejus futuram, qui redemisset: id elegisti discrimen inter duos petitores, quod facilius posset præstare dives. [1] Deceptus es, in hoc ergo redemi ego, reduxi. Quo alio modo efficere potuisti, ne mihi nuberet, nisi hoc? Dico ergo tua voluntate factum esse, ut filia tua raperetur, hoc quibus colligo? Rapuit eam, qui non amabat. Petierit sane, non redemit: sub conditione hac non redemit. Cur diutius moror? mihi cessit. Non est ergo, quod illum cupiditate impulsum putes: carere illa poterat: adjicio non fuisse illum rapturum, nisi

1 *Deceptus es. in hoc ergo.*] Ærodius: *Deceptus es, ac ego: redemi ego, reduxi.* Scribendum: *Deceptus es in hoc. ego redemi, ego reduxi.* Idem.

nisi securum. Nihil loquor de patria severitate, nihil de lege, quæ pro pudicitia minatur, quæ mortem denuntiat. Ille rapuisset puellam alii destinatam, alii pactam, nisi fiducia tui? non est credibile. Sed ne illud quidem credibile est, filiam nuptias optaturam fuisse, nisi te volente. Primum, quod in nulla virgine tantum audaciæ, tantum confidentiæ est, ut apud magistratum, & de re summa audeat optare inconsulto patre: & illa utique non feciſſet, & noveram puellam, & propius in itinere cognovi. Adjice, quod nunquam tam ingrata fuisset puella, ut nuptias optaret ejus, à quo non erat redempta; relinqueret ejus, cui debebat libertatem, cui salutem. Hoc dico, præter illum injuriæ dolorem, cum id perpessa esset in civitate, quod non inter latrones, non inter barbaros illos: non est (ut dixi) credibile, ut aut [1] rapuerit ille sine fiducia tua, qui non amabat: qui plurimum timere debuerat: aut hæc optaverit sine auctoritate tua, & puella, & contra eum, qui de illa optime merebatur, & pro eo à quo & contempta erat, & rapta. [2] Existimo animum tuum fuisse manifestum: qui si apparet, à te circunscriptus sum. Jam venimus ad illam tertiam partem caussæ nostræ, in qua ostendam vobis, quam inique sim circunscriptus. Nuptias filiæ tuæ pactus sum. Non dico, [3] qua mercede pactus sum. Fides supremum rerum humanarum vinculum est: sacra laus fidei inter hostes, sacra (quod nuper comperi) inter piratas: tantæ etiam apud malos auctoritatis, ut cum tradere mihi filiam tuam nolles, negare aperte non sustinueris. Et qua mercede pactus eram? ut redimerem: non dico à quibus: nondum dico, quo periculo. Scilicet male tecum agebatur, si cui cœperat plus debere, quam tibi. In summa qualis sit ista conditio, sic æstimandum est, Tu posuisti. Hoc ad meritum pertinet, illud ad pericula. Navigavi ad piratas,

1 *Rapuerit ille sine fiducia tua.*] Lege, *tui*, ut paullo ante. *Idem.*

2 *Existimo animum tuum fuisse manifestum.*] Immo *esse*. Idem.

3 *Qua mercede pactus sum.*] Scribe: *Nondum dico, qua mercede pactus sim.* Id.

piratas, in quos incidere miserrimum est: quæsivi, omnes scopulos scrutatus sum, omnia littora excussi. Accedit aliquid ponderis huic merito meo: Pauper hoc feci: rem diviti gravem, mihi necessariam. Et quare negata est? ut collocaretur ei, qui non redemerat, qui contempserat, qui piratis reliquerat? Tantumne pecunia valet? tantum ille fulgor divitiarum contra veritatem potest? nunc ille melior. Non tamen ego feci. Quasi circunscriptio in hoc sit solo, quod non acta per testem: est in illo, quod promisisti; est in illo, quod me, donec ille raperet, distulisti. Non est hoc genus causæ, in quo omnia crimina transferre possis. Initium à te est: promisisti. Si non erat in tua potestate, statim circunscripsisti. Scilicet ego stultus, qui virginem reduxi, qui tantam curam egi verecundiæ, ut optare possem. Non in totum jactabo vobis, judices, continentiam meam. Sine dubio [1] proferre volui ad patrem integrum munus, nec corrumpere, quod præstarem. Aliquid tamen fecerunt & mores puellæ: severam videbam & asperam: ne me quidem tulisset.

## CCCXLIIII.

### *Redempta meretrix à divite pauperis filio.*

[2] Inscripti maleficii sit actio. Pauperis & divitis filii eandem meretricem amabant: leno conditionem posuit, ei traditurum se esse meretricem, qui pretium prior attulisset. Pauperis filium in solitudine dives flentem stricto gladio invenit. Interrogavit causam, ille dixit se mori velle ob amorem meretricis. Pretium ei donavit: redemit adolescens meretricem. Agit pauper cum divite inscripti maleficii.

### Sermo.

*De parte legis inter utrunque litigatorem confessum est.*

### Declamatio.

Inscriptum esse id, quod objicio, non negatur. Qua lege comprehendi potuit hoc nocendi genus, quod rem gravis-

1 *Proferre volui.*] Lege, *perferre.* Idem.

2 *Inscripti maleficii sit actio.*] Quintil. lib. 7. cap. 5. Præter hæc controversiarum genera, finguntur in scholis & scripti maleficii, in quibus aut hoc quæritur, an scriptum sit: aut hoc, an maleficium

gravissimam fecit specie liberalitatis? Omnia igitur ista, quæ-

ficium sit: rarò utrumque. Sive scriptum sive inscriptum legamus (sed hoc malim) non satis liquet, quid sit id quod dubitatur, an inscriptum, an maleficium sit, an utrunque. Imprimis illud observavimus inscriptum nunc simpliciter & separatim à maleficio dici. *Inscriptum* (inquit) *esse id quod objicio non negatur*, & postea, *to pertinet, ut appareat inscriptum esse quod objicio*, & in Institutionibus eo loco quem attulimus, *aut hoc quæritur, an scriptum sit*. Nunc copulative, & adjectum quasi substantivo, *inscriptum* aut *scriptum maleficium* appellari: *inscripti maleficii sit actio*. hic & apud Senecam lib. 5. declam. 1. & supra, prima declam. *Igitur & scriptum maleficium est adversus eum cum quo agitur: & maleficium non solum confessum, &c.* Necesse est igitur uno casu maleficium generalius accipi, quod tamen scriptum, aut inscriptum non sit. & rursus alio: Inscriptum, quoddam maleficium esse, hoc est damnum, quod tamen maleficium non sit: nempe nec sceleratum, nec impium, nefandum, aut denique vindicandum legibus, sed damnum absque injuria, fraude, & inimico animo. At hoc cuicuimodi sit controversiæ genus, scripti, vel inscripti maleficii, nusquam memini hac formula lege agi solitum, ut id omne revera existimem commentum fuisse Declamatorum, ducta nihilominus à judiciis forensibus aliqua similitudine, ut de abdicatione & exhæredatione, dementiæ & tutelæ controversiis antea diximus. Nam præter hæc finguntur (Quintilianus inquit) in scholis & scripti maleficii. Nec mihi propterea objice, in scholis omnia fingi. Id enim verum quidem sit de ipsis controversiarum thematibus, summis & argumentis. Sed ipsa actio, si legitima est, ut tutelæ, mandati pro socio, injuriæ, læsæ majestatis, non ipsa fingitur: at fictum ad eam genus facti accommodatur. Verum in scholis quædam sunt actiones, quarum ipsæ formulæ nusquam à Prætore, aut lege ulla propositæ sunt, ut abdicationis, dementiæ, mortis voluntariæ, ingrati, inscripti maleficii, in quibus omnia fingi, & ficta non facta recte affirmari possit, quanquam ex Græcorum aut aliarum gentium moribus, bonam partem earum liceat assumere. Igitur videamus quid sit inscriptum maleficium. Sane sic accipi potest pro eo maleficio quod scriptum non est, ἀγράφον, non legitimum, nulla lege comprehensum, ut Quintilianus ait lib. 3. cap. 8. alia esse scripta, alia inscripta: & Varro de re Rustica, Inscriptum pecus professum ad Publicanos. ut sit in scholis inscriptum (si quidem constet maleficium esse) quod in foro crimen Stellionatus, cum titulus criminis deficit, nullumque aliud crimen occurrat, cui legitimo crimini pœna sit legitima, ut Ulpianus scripsit lib. 8. de officio Proconsulis. Quemadmodum in proposita facti specie, numeratio pecuniæ à divite pauperis filio facta, ut redimeret perituro meretricem, in nullam legem cadit, ut huic, vel illi obligatus dici possit. Et item apud Senecam, præcidisse laqueum suspendenti se, certum est maleficium non esse: aut si sit, certe non legitimum, non definitum ulla ad hanc rem lege lata ac proposita. Huic interpretationi astipulantur illa verba, *An eum qui rem deformem aut inutilem effecerit, non esse maleficii lege comprehensum?* quanquam illic jam quæritur non an inscriptum, sed an maleficium sit. Fieri igitur potest ut quæratur, an inscriptum id sit quod objicitur (forte ut ejus pœna relinquatur arbitrio judicantis si maleficium appareat esse) & quod arguitur an idem maleficium sit: ut hic (nam inscriptum esse non negatur) aut contra: raro vero utrunque. Nam si reus negat inscriptum esse, fatetur scriptum esse maleficium: atqui fateri scriptum esse, & negare tamen maleficium esse, vix, ac ne vix quidem, accidere potest. plane sic, nec scriptum esse nec maleficium esse: ut prima de-

quæcunque ex adverso dicuntur, [1] Donavi enim pecuniam, & servavi: &, quo jure prohibetur, eo pertinent, ut appareat inscriptum esse, quod objicio. Hac parte finita & constituta transeamus ad eam, quæ reliqua est, [2] & ostendam esse maleficium. Nihildum de animo divitis loquor, nondum prodo causas, propter quas fecit. Solum fuisse filium meum credite amatorem meretricis: huic redemptam esse meretricem: dico hoc esse maleficium, & quidem omnium maleficiorum gravissimum. Levia sunt illa, quæ patrimonium populantur: levia etiam, quæ adversus corpus excogitantur. Hoc non est legis viribus vindicandum, quod sævit adversus animum. Utrum igitur dicis non esse deforme, non esse inutile meretricem domi habere? an eum, qui rem deformem atque inutilem effecerit non esse maleficii lege comprehensum? Cuicunque mortaclamatione, in qua negabat dives scriptum esse maleficium, quia filiam pauperis non stupraverat, nec ei videbatur maleficium esse, decem millia parasito dedisse. At si scriptum maleficium est (ut interpretamur) quod legitimum est, quod nominatim legibus publicorum aut privatorum judiciorum continetur, quare actio *Scripti maleficii* unde & simpliciter appellatur, non ex ejus criminis titulo & nomine quod scriptum est? puta adulterii, parricidii, de vi, &c. hæc ratio facit, ut existimem illo loco Quintiliani, *finguntur in scholis & scripti maleficii, in quibus hoc quæritur an scriptum sit*, corrigendum esse ex hac declamatione & illa Senecæ, *inscripti* & *inscriptum*, ut prima quoque declamatione supra sic legerem, *Igitur & inscriptum & maleficium est, adversus eum cum quo agitur.* nam quod raro quæri utrunque ait, an inscriptum & an maleficium sit, illic quærebatur utrunque. Quare ita concludit, *Igitur & inscriptum & maleficium est: & maleficium non solum confessum, &c.* Quid si quoque inscriptum maleficium sic interpretemur? Inscribere nonnunquam est attribuere, & quicquid factum est in alium, aut aliam rem transferre & derivare. Sit igitur inscriptum id, quod licet trahi possit in quoddam quasi maleficium: tamen ex officio, obsequio, pietate, liberalitate, actuque nec deformi, nec inutili profectum est. hoc est, quod ut maxime sit maleficium (sed de hoc quæri solet) tamen ei justa causa, æqua & speciosa prætenditur, & (ut Græci dicunt) μὴ κακῶς δικαιοσύνης ἢ ἀδικίας ἀδικεῖσθαι. Veluti in hoc loco, si per se maleficium est dare pecuniam adolescenti, ut meretricem redimat, non videtur hic esse, quia cæteroquin perituro data est. Idem de aliis exemplis prædictis dici possit. Et in hanc conjecturam nos adducent hæc verba, *quod rem gravissimam fecit specie liberalitatis*: & quod passim uterque & dives & pauper attendi volunt quo animo, qua causa id factum sit: dives à se bono: pauper, malo à divite animo. *Ærodius.*

1 *Donavi enim pecuniam.*] Puto: *donavi meam pecuniam.* Gronovius.

2 *Et ostendam esse maleficium.*] Utique, *& ostendamus.* Idem.

mortalium grave erat, domi habere meretricem. Hoc certe nomen suo loco tantum fortasse deforme est: translatum in domum, etiam periculosum. Dicam nunc ergo hic interceptam spem nepotum, inquinatam filii mei famem, futurorum quoque annorum spem esse sublatam. Hoc igitur, qui fecit, non potest non admisisse maleficium. Sed periturus, inquit, erat, nisi id feciſſem. Scio, quæ partes fuerint severioris patris: diceret ille, Mallem: levior ad me dolor perveniſſet ex morte. Infelices quidem, qui liberos suos ad rogum deflent: summum orbitatis est malum, desiderare. Hoc vero intolerabile est, lugere viventem: quotiens occurrit, flere: plenas quasdam ducere exequias dignitatis. Ego sane hanc tibi remiserim partem, qua colligis moriturum fuisse. Utrum amore periisset, non diu disputabo. Vivunt qui amaverunt. Itane? quid minus rationis habet, quam ut is mori velit, qui habet, propter quod vivat? [1] Stricto tamen gladio in secreto deprehendi. Jam mihi narras moras: ipsum illud secretum quærere, & putare interesse, ubi pereat, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista, nisi subito: nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente causa) spiritum ratione deposuit. Et stricto tamen gladio, & in secreto, quid facientem vidisti? aptantem jam jugulo mucronem? jam incumbentem? jam pene admotam usque ad sanguinem manum? nihil horum. Flentem, inquit, mirabar. Minus fuisse periculum crederem, si fleret, antequam stringere gladium cœpisset. Non est igitur, quod dicas te feciſſe causa mea, quod ego non feciſſem. Etiam hoc judici satis erat, nisi & inscriptum & maleficium est. Quacunque à te mente factum est, ego læsus sum. etiamsi non vindicta dolori meo deberetur, [2] debeatur tamen solatium. Videamus tamen & quare fiat ista res. Eandem meretricem amave-

1 *Stricto tamen gladio in secreto deprehendi.*] Quæ duo instrumenta sunt (Annæus inquit Seneca) alterum aptum morituro, alterum misero. *Ærod.*

2 *Debeatur tamen solatium.*] Lege, *debebatur.* Gronovius.

amaverunt duo juvenes filii noſtri. Quærebatur, utrius eſſet. Volo te conſulere, an cum ſcieris, pecuniam filio tuo dederis? volo ſcire, an cum vidiſſes filium meum (ut putas) mori volentem, tale aliquid de tuo timueris? Filius meus propter amorem dicit ſe mori velle: amat & tuus: hic deprehendam patrem. Tu ſi periculum mortis putaſſes, tum vero ad filium tuum cucurriſſes. Quæ fuit ergo ratio? non tu filium meum ſervaſti, ſed tuum emendaſti. Una erat ratio, credo, [1] illius ab eo quo flagrabat impetu ſi amor transferretur: ſi poteſtas illius deformitatis adimeretur. Vivit itaque filius tuus, & honeſte vivit, etiam ſine fabula vivit. At tu mihi nurum meretricem dediſti, tu domum meam lupanar feciſti: & ne parum ſit has injurias intuliſſe, etiamnum vis affirmare judicibus filium meum, niſi redempta meretrice, non fuiſſe victurum.

## CCCXLV.

## *Pauper ad tyrannicidium mercede conductus.*

Tyrannicida optet quod volet. Dives adoleſcenti pauperi dedit pecuniam, ut tyrannum occideret: & occidit: de præmio ambigunt.

### Sermo.

*Duo efficienda ſunt diviti, ut ſit tyrannicida, ut dignior ſit præmio. Ut tyrannicida ſit, non poteſt aliter efficere, quam ſi κατασφαγὴν dignum ſe præmio probaverit, & pro eo ſit, ac ſi occiderit.*

### Declamatio.

Quod primum dici oportet pro eo, qui præmium petit, Occidit tyrannum. num dubitari poteſt? num de hoc controverſiam ullam ſaltem adverſarius movet? Viderimus ergo, quæ ſit comparatio utriuſque meritorum: interim [2] etiamſi majora ſunt divitis, alia ſunt. Sit ille optimus civis, ſit egregie de republica meritus, hic tyrannicida

1 *Illius ab eo quo flagrabat impetu.*] Forte: *Una erat ratio, credo, illius ſanandi, quo flagrabat, impetus.* Idem.

2 *Etiamſi majora ſunt divitis, alia ſunt.*] Scribe, *aliena ſunt.* Ad hanc legem non pertinent. *Idem.*

nicida est. Hodie porro de eo præmio contendimus, quod lex tyrannicidæ constituit. Isti fortasse, quod fecit, profuturum sit, cum petet magistratum: interim vos ad hoc jus, [1] ad hanc legem consedistis: [2] interim rempublicam hic, pro quo loquor, verbis legis appellat. Et mihi satis erat hoc apud vos approbasse, si tantum de eo quæreretur, an accipere hunc oporteat. Sed quatenus in hanc contentionem descendimus, videamus, quo modo se tyrannicidam efficiat adversarius noster. De libertate patriæ cogitavit: nondum tyrannicidium est. Hortatus est aliquem, pecuniam dedit, omnia fecit, ut hic tyrannicidium faceret. Simile esse hoc tyrannicidio, ut confitear, hoc ipso tamen apparet aliud esse, quod simile est. Quis autem vobis permittit inclinare leges, & jura transferre? Constituta sunt semel, finita sunt suis finibus, suis verbis continentur. Et fortasse utcunque tolerabile esset quæri, an pro tyrannicidio habere deberetis voluntatem, si tyrannicida non esset. Nunc ut sit istud tyrannicidio simile, ipsi tamen præferri non potest, cui simile est. Ergo lex nobis dat præmium, tibi non dat. Quod ad religionem judicum pertinet, hactenus causam finiri satis esset. Sed [3] quare non jam etiam pactioni ejus respondeamus? [4] Cum illa quidem, judices, prima confessione esse istum bonæ voluntatis fatemur: cupidum libertatis concedimus: dum & ille fateatur, esse se parum

1 *Ad hanc legem consedistis.*] Hoc est, Non de meritis adversarii nostri, hic in universum quæritur: sed de præmio quod ei qui Tyrannum occiderit, lege constitutum est. *Ærod.*

2 *Interim rempubl. hic provoco.*] Sensus est: Etsi tyrannicidio ipso satis approbaverim, me decipi, fraudarique præmio non oportere, ut maxime de eo quæreretur: tamen quia hoc quoque venit in controversiam, ipsam Remp. appello, ut suis legis suæ verbis doceat, &c. Placet vero hic audacior esse, & (ut mihi quidem videtur) inversum ordinem suo loco reponere, hoc modo, *interim remp. hic provoco, ut verbis legis appareat, an decipere hunc oporteat. Et mihi satis erat me eum esse qui tyrannum occiderit, apud vos approbasse, si tamen de eo quæreretur. Sed quatenus, &c.* Idem.

3 *Quare non jam etiam pactioni ejus.*] Suspicor autorem scripsisse *jactationi.* Infra: *desisti fortunam tuam timere; desisti odisse, quicquid jactas.* Gronovius.

4 *Cum illa quidem judices prima confessione.*] Forte: *Cum illa quidem, judices, primum conditione esse istum bonæ voluntatis fatemur.* Quæ est ista conditio? nempe, *dum & ille fateatur, &c.* Idem.

parum fortem, fortaſſe vitio infirmitatis, vel naturali, vel quod ipſæ per ſe ſolent afferre divitiæ: ſimus voluntate contenti: non exigamus ab eo, quantum non poteſt, ut ſciatis hanc eſſe inter duos differentiam, [1] ut quicquid ille voluit, hic fecerit. Volo enim tecum loqui. Quid ad hanc legem tu conſcriptam audaſter venis? tyrannicidium tuum non dico: approba, oſtende, quid feciſti. Pecuniam, inquit, dedi. [2] Ita, judices, iſta lex emi poteſt? ad ſummum in republica noſtra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, ſed arca & diſpenſator. Bene hercule negotiaris, ſed excogitaſti non mediocre, non dico famæ atque opinionis, ſed patrimonii etiam tui, cum alioqui abundaret, compendium. Dic, dic [3] quanti emeris, quid velis. Tu mihi dicis, pecuniam dedi & ex otioſa jacente patrimonii parte aliquid numeravi: cum ego dicam, Arcem conſcendi, ſatellites ſtravi, nefarium corpus repetitis ictibus trucidavi. Pecuniam dedi, de tyrannicidio loquutus ſum. Rem feceras periculoſiſſimam, niſi in tyrannicidam incidiſſes. Satis ſit vobis, ô divites, hoc veſtras præſtare fortunas, quod per diſpenſatores fœneratis: quod familiam per procuratores continetis, quod pleraque poſſidetis abſentes, quod ignorantibus vobis & quieſcentibus, ſi quis eſt tantæ fœlicitatis labor, per alienas manus tranſit: contingat iſtud delitiis veſtris, contingat abundantiſſimæ plerunque luxuriæ: [4] non dabitis tyrannicidiis cognitorem,

1 *Ut quicquid ille voluit.*] Scribe, *ut quod ille voluit, hic fecerit.* Idem.

2 *Ita videlicet, Lex nihil poteſt.*] Ironice hæc dicuntur, quæ fœdiſſima & mirum in modum depravata ex his quæ ſequuntur aliqua ducti conjectura emendavimus. *Ante iſtud quod tu effeciſſe pecuniam putas, fecerat Reſpub. fecerat indignatio, fecerat ingenita virtus.* & poſtea, *Hic porro ſi quid avare, ſi quid cupide feciſſet, tua potius pecunia, quam ipſa lege ad tyrannicidium conduceretur?* Ærodius.

3 *Quanti emeris, quid velis.*] Aliquid excidiſſe videtur, & fuiſſe integrum: *Dic, dic, quanti emeris, ut optes, quod velis.* Gronovius.

4 *Sed non dabitis tyrannicidiis cognitorem.*] Sicut in aliis rebus privatis & domeſticis, cognitores, amicos, procuratoreſque gerunt veſtra negotia, ô divites, non ſic de tyrannicidio mandabitis, alieniſque tanquam procuratoris aut cognitoris manibus tyrannicidæ efficiemini, ut honor & præmium per alias perſonas nobis acquiratur. Si cognitorem

hic

rem, nec ad vos alienis periculis veniet fama virtutis. Velim narres judicibus audiente populo, quem sermonem cum hoc adolescente habueris, qua exhortatione sis usus. Premitur tyrannide civitas nostra: quotidie gravia atque indigna patimur: opus est aliquo viro forte, opus est aliquo bono cive, opus est liberatore tantorum malorum. Si te hæc cum maxime dicentem interrogem, cur non ipse facias: respondebis profecto, Non possum, non is animus mihi, non id virium est: & adjicies, Tu potes. Verum non contentus sibi acquisisse gloriam, etiam nobis detrahere conatur. Negas enim hunc juvenem ad tyrannicidium fuisse venturum nisi pecunia conductus esset. O quantum erras, dives, ac falleris, qui putas virtutem posse conduci, & animum pecunia fieri. In omnia enim sane lucro trahamur: ducat nos spes ad laborem, ducat ad patientiam. Nemo futuri temporis cogitatione [1] periculum subit. Iturus aliquis in id discrimen, ex quo evasurum se non speret, pecuniam spectavit? scilicet, ut locupletior periret: ut si destitutum in illis cogitationibus manerent tormenta, si tyranni ira, haberet illud intra conscientiam suam, accepisse se pecuniam, & paulo ante gravem argento manum fuisse. Ante igitur hæ versabantur in animo hujus cogitationes: ante istud, quod tu effeciisse pecuniam putas, fecerat respublica, fecerat indignatio, fecerat ingenita virtus. Nec tu nisi hoc intellexisses, ausus esses loqui, aut committere tam periculosum alieno secretum. Videras vultum, audieras, cum raperetur aliqua virgo, ingemiscentem. Verum tamen cur non reponamus hanc contumeliam? non pro republica dedisti. Scimus tyrannidem, præcipue ad divites pertinere. Illa, quam dederas, pecunia redimebas fortunas, pecunias tuas, imo salutem: quandoquidem plerun-

hic pro judice eove qui de aliqua re cognoscit generaliter accipias, sensus erit, Non dabitis tanquam Prætores judicem de tyrannicidiis, qui de facto unius, & voluntate pecuniaque alterius, inter tyrannicidas judicet. *Ærodius.*

1 *Periculum subit. Iturus aliquis.*] Lege, *periculum subiturus aliquod, it in id discrimen.* Idem.

plerunque perire vobis in lucrum crudelitatis alienæ, neceſſe eſt. Habes igitur ſatis magna iſtius liberalitatis tuæ pretia. Securus es, nunc dominus, nunc dives: deſiiſti fortunam tuam timere, deſiiſti odiſſe, quicquid jactas. Ego tamen, inquit, dedi, quod eſſet pro præmio. Ideo ergo exigis, ut reſpublica non reddat? & ſi quid tu privatus liberaliter feciſti, univerſam civitatem vis facere ſordide? Quanquam ne remittis quidem iſtud reipublicæ, ſed in te transfers: ut ne voluntati quidem tuæ obligati ſimus. ſi pecuniam ideo dediſti, ut præmium acciperes. Hic porro ſi quid avare ſi quid cupide feciſſet: tua potius pecunia quam ipſa lege ad tyrannicidium conduceretur. Tu illi dicis, Accipe pecuniam: Reſpub. dicit, Opta quod voles. Ut avarus ſit & cupidus, utrum plus eſt? Verum hic ſe affirmat, ne præmia quidem iſta ſpectaſſe, cum faceret. Oblitus ſum, inquit, ante omnia ſalutis meæ: commodum civitatis, univerſorumque ſpectavi, tum (ſi quid ad me proprie pertinebat) famam, ituramque in poſterum gloriam hujus, quæ ſubinde objicitur, paupertatis, ſiquidem facilius virtutem aluit.

## CCCXLVI.

## *Tutor filii ſui in adoptionem dati.*

Adversus patrem ne qua sit actio, nisi dementiæ. Quidam dedit filium in adoptionem: moriens ille, inſtituit patrem ejus naturalem tutorem, ille tutelam geſſit: rationes reddidit. Accuſare ille vult patrem tutelæ male geſtæ. Præſcribit ille, quod actio non ſit adverſus patrem, niſi dementiæ.

### Sermo.

*Natura rei fortaſſe hoc fecerat, ut hic pater, quem filius reum vult facere, iraſcatur, atque eo magis iraſcatur, quod de filio bene meruit, non tantum generando, ſed etiam dando in adoptionem. Sed non ſemper ſequendi ſunt affectus, & plerunque conſilium his præponendum eſt. Hic enim pater & ſi revera iraſcitur, diſſimulare hoc debet: & agere mitem & indulgentem. Nam cum præſcribat hoc, adprobare debet judicibus, idcirco præſcribere ſe, ne cum filio*

*gravius*

*gravius contendat: alioqui si hæc causa præscribendi non est, supererit ut diffidentia videatur in causa.*

## DECLAMATIO.

CUM PATRE ACTIONE QUA SIT, NISI DEMENTIÆ. Alio crimine me reum fieri manifestum est. Nemo dubitabit, quin id hac lege non liceat, si ego pater sum. Atqui ne de eo quidem dubitari poterit, quin pater sim. An hoc negas, me esse, qui genuerim, qui educaverim? & (ut aliquod argumentum ex eo ipso, quod contra me ponitur, ducam) me esse, qui dederim in adoptionem? Si hæc parum firma sunt, leges testamentum, quo tutorem accepisti, patrem tibi tutorem dedit. At enim dando in adoptionem, jus omne translatum est.

# CCCXLVII.

## *Absente marito rumor & nuptiæ.*

ADULTERUM CUM ADULTERA LICEAT OCCIDERE. Uxor peregrinantis mariti mortem rumore cognovit. Hæres inventa, nupsit adolescenti cuidam, & domum in dotem dedit. Supervenit maritus nocte: utrunque occidit. Reus est cædis.

## DECLAMATIO.

ADulteros fuisse in matrimonio constat, nemo negat. [1] Matrimonium duobus generibus solvitur, aut repudio,

1 *Matrimonium duobus generibus solvitur.*] Paulus addit, captivitate, vel alia contingente servitute. Sed servitutem morti comparamus: & præterea quod ad captivitatem attinet, exquisita potius & subtili ratione distrahebatur hoc modo matrimonium, ut Justinianus ait nova Constitut. XXII. eratque magis occasio quædam bona gratia divertendi post quinquennium, aut certo de mariti morte accepto nuntio, quam ut perpetuus esset ille solvendi matrimonii modus. Licet enim uxor captivi, mutata mariti conditione, non sit quasi in matrimonio, ut Tryphoninus scripsit libro 4. Disputat. tit. de captivis. tamen ita nuptarum loco est, ut alii temere nubere non possit. l. uxores ff. de divortiis. Sed sive hic maritus captivitate, aut servitute, sive militiæ expeditione, aut longinqua alia profectione abfuerit, aut quatenus abfuerit, quadriennium, quinquennium, aut septennium: & vel jure Civili vel Pontificio utamur, hæc nunc nihil ad hanc declamationem. Illa ex suis locis peti poterunt ex d. l. uxores, ex l. uxor. C. eod. tit. ex nova constit. de nuptiis. 22. & 117. ex cap.

pudio, aut morte alterius. Neque repudiavi, & certe vivo. Sed rumor de morte venit: hæc statim nupsit alio marito: Quid est hoc aliud, quam improbius adulterium? Meæ igitur nuptiæ manserunt, illæ non fuere legitimæ. Legitimum porro matrimonium, nisi soluto priore, esse non potest. An opinione contenti sumus? Isto genere etiam si cædis absolvar, omnibus tamen periclitor bonis: quippe testamentum meum lectum est, & uxor omnium bonorum hæres inventa est. Et ego scilicet testamento meo exhæredatus? Quod si jus domini post hanc opinionem retinui, retinui etiam mariti, mihi ad defensionem hoc satis est, licuit: Possitis occisorum fortasse misereri, quod decepti sunt, quod illos spes sua fefellit. Adulteri tamen fuerunt, etiamsi ignoraverunt. An ego si ignorassem, quod liceret, non occidissem? utrum domum meam non fui intraturus? [1]an me in alium cubiculum, juxta adulteros meos collocaturus: an cum veniissem in cubiculum, & jacentem cum adultero uxorem meam deprehendissem, excitaturus tantum? quid deinde recepturus ne, an cessurus? Si talem habiturus eram [2]animum, dii, gratias ago quod nocte veni. Vos profecto, dii conjugales, hanc illi mentem dedistis, ut domum in dotem daret, ut eadem familia excubaret: ut is janitor esset, qui me admitteret: ut reversus denique

ex cap. in præsentia de sponsal. & matrimon. At hic quæritur (de quo apud juris nostri interpretes magna contentio est) cum accepta morte viri, liceat uxori alteri nubere, an ad hoc sola fama, vox communis & rumor sufficiat, ut hinc certa & sat probata mors mariti dici possit. Quæ varie à variis tractantur in l. 2. §. si dubitetur. ff. quemad. test. aper. Sed me declamatio hæc persuasit, ut eorum sententiam sequerer, qui illud amplius in rumore & fama considerant, an statim profecto marito, rumor ille ortus sit: an statim uxor alteri nupserit, nullumque reliquerit rumoribus tempus, quo senescerent (ut inquit Tacitus) an nihil præterea prætermiserit, quo aliunde certiorari posset. Ait enim hic Quintilianus. *Sed rumor de morte venit. hæc statim nupsit alio marito.* & postea, *audita morte mariti, non inquisivit ubi periissem.* Quæ iterum tam cito nubit, non sine probri suspicione nubit. Qua ratione Julius Cæsar quasdam nuptias diremit, etiam cum præcessisset divortium. *Idem.*

1 *An me in alium cubiculum.*] Scribe, *in idem cubiculum.* Gronovius.

2 *Animum, dii gratias ago.*] Hic malim: *Si talem habiturus eram animum, diis gratias ago, quod nocte veni.* Idem.

denique nihil novi invenirem, præter adulteros. [1] Ergo uxor sic à me amata, testamento relicta hæres, audita morte mariti, non inquisivit, ubi periissem, non aliquos certiores nuntios, non [2] reversuros à supremis officiis servulos expectavit: sed festinato quoque nupsit, [3] & in novæ libidinis amorem, mea judicia protinus transtulit, in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto? adeo mariti prioris [4] etiam memoria abierat. Desii ista mirari, cum adulterum vidi juvenem, propter quem tamdiu vidua esse non posset, quamdiu peregrinari poteram ego, qui uxorem sic amavi. Temere profecto, temere in longius ituri iter conjuges nostras domi relinquimus: subito absentium obliviscuntur, & pene cum ipsis toris uxorum pectora refrigescunt. Mirer nunc ego, unde rumor? quæ tam maligno mendacio causa? cui fingere istud expedierit? Ille profecto in causa fuit juvenis, qui ad domum meam inductus est: quæsitus est locus. Jam vero bonorum meorum dira populatio, sicut notissimo Græciæ duci Ulyssi, qui felicior tamen, solam in adulteris ultus est gulæ voluptatem. Scio, judices, quam difficile sit alienorum malorum imaginem capere: [5] sit tamen, quantum cogitatione permittitur: unusquisque se illo loco ponat: ac primum illa, quæ intra animum meum volvo, mente concipiat: cum reverterer ex peregrinatione longa, quam mihi attulerit cogitationem primus aspectus.

## CCCXLVIII.

1 *Ergo uxor.* ] Pertinet & ad hoc l. uxor. C. de Repud. *Pith.*

2 *Reversuros à supremis officiis servulos expectavit.* ] Porcius de Terentio. *Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam; Saltem ut esset, quo referret obitum domini servolus.* Quod male mutavit Scaliger: *qui referret obitum domini, servolus.* Gronovius.

3 *Et in novæ libidinis amorem.* ] Puto melius *Mea judicia*, id est, quod ego ei testamento reliqueram. Ne facias cum Ærodio, *mea judicia eludens.* Idem.

4 *Etiam memoria abierat.* ] Credo è libro esse Pithœi. Alioqui non incommode Thaddæus & Ærodius, *memoriam abjecerat.* Idem.

5 *Sit tamen quantum.* ] Ærodius, *sic.* Malim: *Se tamen, quantum cogitatione permittitur, unusquisque, se, illo loco ponat.* Deinde, *volui.* Idem.

## CCCXLVIII.

### *Cum proditoribus carcer incensus.*

Imperator in bello summam habeat potestatem. Imperator proditionis suspectos in carcerem conjecit: ex transfuga comperit eadem nocte finitum iri proditionem. Incendit carcerem: perierunt illi, qui erant in carcere: hostes recesserunt Accusatur, quod de indemnatis sumpserit supplicium.

#### Declamatio.

Si ratione defendi non possem, jure defenderer. Imperator in bello summam habeat potestatem. Id quod objicitis ([1] ut nondum objiciam) propter bellum factum est, in bello factum est. Usus sum igitur lege: viderimus, quam utiliter constituta, & necessaria quoque. Imperator in bello summam habeat potestatem. Ante omnia non id tempus, quo judicia exerceri, quo leges retinere vim suam possint. ista pax spectat, & diligentiorem rerum inquisitionem securitas habet: non vacat in bello curam agere singulorum. Ad hanc rationem accedit illud quoque, quod administrare non potest bellum, nisi tantam potestatem habuerit imperator: tot millia conscriptorum militum in aciem educere, adsignare loca interim periculosa, tuendos cives, expugnanda hostium castella: non potest sola ratio, opus est & metu. Quid si pleraque accidunt, in quibus præsenti pœna castigare necesse est eos, qui peccaverunt? Ad hæc igitur omnia provisum atque prolatum est, ut imperator summam potestatem haberet. Quid tamen à nobis exigi oportet? bonam voluntatem. Erraverim sane, si id satis probationi existimavi, si hoc ad utilitatem civitatis pertinere credidi. Quis damnaverit eum, qui duabus potentissimis rebus defenditur, jure & mente? quid si etiam ratio hoc faciendi fuit? Forsitan & lente & nimium periculose fecerim, quod suspectos

1 *Ut nondum objiciam.*] Ærodius: *ut nondum proditionem objiciam.* Malim: *Id quod objicitis, ut nondum diluam, propter bellum factum est.* Idem.

spectos proditionis, tantum in carcerem duci jussi. [1] Nihil egeram, non satis civitati prospexeram: hostis idem speravit: tamen hoc ne ab accusatore quidem reprehenditur. Jam igitur de his, qui in carcerem duci debuerunt, levius est supplicium, quacunque ratione sumptum est. Nunc quare sumptum? Proditionis finis atque effectus omnis, in proximam nobis noctem denunciabatur, puta falsum: quis non ignoscit rem tantam timenti? Non enim discrimen paucorum [2] capitum agebatur. An aliquid esset hæc Civitas, an Templa, an vetustissimæ vestigium saltem urbis relinqueretur? an liberi vestri conjugesque traditam à majoribus per manus in hoc usque tempus libertatem semel perderent? Pro his animadvertere in paucos indignum est? [3] & exercitus partem dicimus, & in aciem ductis militibus,

1 *Nihil egeram, non satis civitati prospexeram.*] Sensus est, quantum ex his verbis colligi potest, Si quid in eo peccavi id fuit tum maxime, cum proditores non statim jussi interfici. Sed aliqua tamen adhuc hujus facti excusatio est, quæ tamen in majorem accusationem venire possit, si ab accusatore reprehenderetur. Quia videlicet nullum tam diligentem delectum militum habueram, nec ita civitati prospexeram, ut viris & viribus undique, & adversus omnem proditionis metum tueri posset: debueram (inquit) statim de suspectis supplicium sumere, nec expectare indicium transfugæ. *Ærod.*

2 *Capitum agebatur. An aliquid.*] Ærodius: *agebatur. Agebatur an aliquid.* Sensum procul dubio tenuit. Sed idem salvus est nihil aliud quam mutata distinctione: *Non enim discrimen paucorum capitum; agebatur, an aliquid esset hæc civitas.* Sic breviter & efficacius dicitur, quod integrum est: *Non discrimen paucorum capitum agebatur, sed agebatur.* Gronovius.

3 *Et exercitus partem dicimus.*] Vid. legendum, *& exercitus partem ducimus* (seu *decimamus*) *& in aciem ductis militibus certe innocentibus multum contigisse imperatori videtur, si etiam incruentam victoriam referat.* Pith. *Et exercitus partem decimari vidimus.*] Multos adhuc torquebit hic locus, si restitutio nostra non placeat. Decimari vero olim exercitum, nemo est qui ignoret. Vide Plut. in vita M. Crassi. Cicero pro Aulo Cluentio, Statuerunt ita majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam miles qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertimuit, potest idem postea & miles esse melior, & vir bonus & civis utilis. Quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior & mortis & supplicii metus est à majoribus constitutus. ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est. Quod autem hic dicitur, *Pro securitate, &c.* eodem pertinet, quo illud declam. 253. supra. Atqui ego etiam si plurimi vitam esse civium in hac civitate spectarem, bene tamen redimi capite unius civis pacem putarem. *Ærodius. Et exercitus partem dicimus.*] Ærodius:

tibus, certe innocentibus *, multum contigisse imperi videretur, etiam si non incruentam victoriam se ferat. Pro hac securitate [1] si perierunt aliqui (ut parcissime dicam) non ignoscerem? Equidem intelligo hanc esse conditionem omnium, qui administrationem reipublicæ aggrediuntur, ut ea, quæ maxime pertinent ad salutem communem, cum quadam sua invidia efficere cogantur. Quanta vi adversus me inimici consurrexissent, si istud sine causa fecissem? Quid si proditores fuisse manifestum est? Putemus esse judicium? & quatenus mavultis illos indemnatos dicere quam innocentes, excutite causam. Sane [2] non consummaverit primum suspicio, at certe transfugæ hoc mentiendi causa quæ fuit? homo relicto exercitu suo, in civitatem nostram transgressus, cum rem periculosissimam fecisset, mentiretur? cum ad probationem rei caput suum obligarer, eadem nobis nocte denunciat. Manifestum est autem fuisse hostibus propositum, civitatis nostræ per proditionem capiendæ. Qui proditores fuerint, recedendo confessi sunt. Quid enim est causæ, cur qui [3] ad illud usque tempus civitatis permanserant, post incendium carceris, post mortem suspectorum nobis civium, continuo discesserint? Hic ratio illa quoque est, quod sic exegi supplicium ab illis: si modo hoc est exigere supplicium. [4] Miratur aliquis si non timui

Ærodius: *partem decimari vidimus, & in aciem eductis militibus, certe innocentibus multam contigisse, si Imp. videatur: etiamsi non incruentam victoriam referant.* Aliter Pithœus, in quo cætera utcumque feras, sed tolerari non potest: *etiamsi incruentam.* Verum id alibi: immo laudabilius Spartæ; ab hoc loco alienum. Hic enim paucorum supplicium in bello ita excusatur, quod bellum plerumque sit δημόσιον: & rem magnam præstitisse imperatorem putare debeamus, etiamsi victor non paucos suorum perdiderit. Sed quid in hac parte attineat milites dicere *innocentes*, haud assequor. Itaque divinabam: *Et exercitus partem decimamus, sorte ductis militibus sæpe innocentibus. Multum contigisse imperatori videtur, etiamsi non incruentam victoriam referat.* Gronovius.

1 *Si perierunt aliqui, ut parcissime dicam, non ignoscerem.*] Lege: *non ignoscetis?* Ærodius.

2 *Non consummaverit primum suspicio.*] Lege: *Sane non consummaverint proditionem susceptam.* Idem.

3 *Ad illud usque tempus civitatis.*] Ærodius: *in obsidione civitatis.* Lege, *in civitate permanserant.* Gronov.

4 *Miratur aliquis, si non timui educere.*] Ærodius: *miratur aliquis? exercitum simul educere.* Scribendum est: *si timui*

timui educere, si cum tanta conspiratio in civitate nostra nocentium esse diceretur, ut prodere possent etiam ex carcere, vel cum tota sua custodia eos obrui malui? His illud quoque adjici potest, plurimum differre, utrum quis supplicium exigat ab indemnatis, an si aliquos securitatis publicæ causa occiderit, supplicium vocetur, quod civitas præstitit. Si vero hoc pro salute communi fuit, non odio illorum factum est, imperatoris fortasse consilium reprehendi potest, factum certe damnari non potest.

SERMO.

*In summa parte controversiarum talium quæri solet, ecquo animo fecerit hoc imperator? In hanc partem satis firmam caussæ fiduciam videtur habere: quid enim huic proferunt inimici præter odium commune omnium proditorum?*

## CCCXLIX.

## *Raptoris pater, dementiæ reus.*

RAPTOR, NISI ET SUUM PATREM EXORAVERIT ET RAPTÆ, INTRA XXX DIES PEREAT. Rapuit quidam: exoravit patrem raptæ: suum non exoravit: Dementiæ accusat.

SERMO.

*Non dubie pater hic intelligi vult, se filii sollicitudine esse contentum, & hanc xxx dierum moram pro ultione habere. Sed hoc si palam indicaverit, perdet artem: & si liberare filium sollicitudine semel*

*mui educere.* puta in forum, ut convincerentur apud judices, & tum demum lege cum illis ageretur. Sic Declam. 322. *Educendus tamen ad magistratus.* Ita enim ibi quoque scribo: non *Deducendus.* Declam. 270. *Pater alteram eduxit ad magistratus.* Gronovius.

1 Similis huic & ejusdem argumenti declamatio est apud Senecam lib. 2. declam. 4. & lib. 3. controvers. 12. Ex hac facies judicium. Item in Sermone observabis eadem hic præcepta tradi, quæ ab eodem lib. 9. cap. 2. Est latens (inquit) & illa significatio, qua cum jus asperius petitur à Judice, fitsei tamen spes aliqua clementiæ: non palam, ne paciscamur: sed per quandam credibilem suspicionem, ut in multis controversiis, sed in hac quoque, Raptor nisi intra trigesimum diem, & raptæ patrem & suum exoraverit, pereat. Qui exorato raptæ patre, suum non exorat, agit cum eo Dementiæ. Nam si permittat hic pater, lis tollitur: si nullam spem faciat, ut non demens, crudelis certe videatur, & à se Judicem avertat. *Ærodius.*

*semel destinavit,* [1] *brevius habet statim ignoscere.* [2] *Varianda erit ejus actio, ut filium dicat morte dignum: an posset ipse perseverare, dubitet. Non tamen prætereunda sunt illa quamvis communia cum aliis controversiis generis hujus, quæ circa ipsam quæstionem dementiæ versantur. Negabimus enim crimine uno posse deprehendi dementiam: & hoc propositum nostrum adjuvabimus finitione, ut dicamus, Dementiam esse ablatum rerum omnium intellectum: alioqui neminem tam felicem, qui non aliqua pœnitentia digna faciat, qui non subjectus sit errori: & hoc proprium non dementis esse, verum hominis. Atque ad hoc quod commune cum omnibus est, aliquid etiam proprie applicabimus, quod ejus generis dicitur dementia esse, de qua judicium est,* [3] *ut emendari uno verbo possit. Porro cum adeo confessum sit, dementiam non posse curari, ut ne illud quidem adhuc inveniri potuerit, quæ causa faceret dementiam,* [4] *ubi animus consisteret: profecto non poterit videri dementia, quæ est in hominis potestate.*

## Declamatio.

Si exoratus fuero, statim non modo sanus, verum etiam bonus pater & indulgens ero. Vis scire, fili, quid sit Dementia? Deducere se in periculum capitis cupiditate: non intelligere pacem, non intelligere leges: & si quid supra hac momenti fortuna præsens judicium habet, accusare eum, qui exorandus sit. Non est igitur dementia. Nec refert ad præsens judicium, neque ad vestram pronuntiationem, an ego durus pater, an ego nimium severus. Non

1 *Brevius habet statim ei ignoscere.*] Hoc est, non expectato legitimo tempore, quod fuit xxx. dierum. Agit enim hic filius præmature, & mediis diebus accusat, ideo quia exorato patre ejus quæ rapta est, statim suum exorari putavit oportere, si quidem sanæ mentis esset. Verum pater differt ob eam causam, quod (ut Junius Gallio dicebat) hinc injuria est, hinc natura: & facilius est injuriam donare, quam crimen. *Idem.*

2 *Varianda erit ejus actio.*] Id est, coloribus & ad speciem accommodatis verbis, exornanda erit ejus actio & oratio. *Idem.*

3 *Ut emendari uno verbo possit.*] Seneca ex Gallione, Tu non mecum agis, quod non exorasti: sed quæ non exoraturus es. Puta enim hodie me exorari demens, num ego demens videbor, qui uno me verbo sanare possim? Ita enim restitui. *Idem.*

4 *Ubi animus consisteret.*] Nempe illud est quod ex Ælio Fusco ait Seneca, Non possum exorare: tandiu novo more objicit dementiæ constantiam. *Idem.*

1 *Non*

Non de hoc quæritur: satis est, non esse furiosum. Non exoro te, inquit, cum rapuerim. Miraris? Hoc enim est, quod te in hoc impulerit: adhuc quid feceris, nescis. Non dico illa, quæ fortasse tibi leviora videantur, quæ ad materiam pertinent: Expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti, & puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent. Tu, qui in id te periculum demisisti, ut tibi exorandus esset pater, miraris, quod non exorasti patrem? Si incidisses in illos felicioribus seculis natos, cum quibus virtus magis commune bonum erat, non expectassent legem, [1] non expectassent tricesimum diem. Nunc me merito contemnis: flentem aliquando vidisti: non auderes accusare patrem, si timeres. Tu si incidisses in illum, [2] qui laudatas filii tui cervices amputavit, si incidisses in illum, qui judiciis propinquorum atque amicorum contentus fuit, opinor habuisses tempus querendi? habuisses tempus: non dico deferendi patrem, sed diutius rogandi? Illi vere fortes & viri fuerunt, qui cum hoc meminissent, liberos à se reipublicæ gratia procreatos, [3] bene impendi crediderunt exemplo. Ego tacere contentus sum, cum exorari debeam. Sic agis mecum, tanquam etiam, si præstitero tibi, plus alii debiturus sis. Confutabit, opinor, indulgentiam meam: Ille melior, ille mitior. Ego vero facilius frangerer, si ille irasceretur. Aliquis cum filia illius rapta sit, tam cito exoratus est? quis est ille tam demens? quid est istud, quod ille se accepisse injuriam non putat? quod omnia sic agit, tanquam exoratus ante tricesimum diem? Quid ergo, inquit, occides? Debeo,

1 *Non expectassent trigesimum diem.*] Quæ mora ob duriores & severiores patres lege concessa, ut hoc intervallo mitiores fiant & indulgentiores. *Idem.*

2 *Qui laudatas filii sui cervices.*] Nic. Faber mavult *laureatas*. Cui optimo & amicissimo viro lubens adsentior. *Pith.* *Qui laudatas filii sui cervices.*] Brutum, Cassium, Posthumium Tiburtum, Manlium Torquatum, Aulum Fulvium, & alios ejusdem notæ severitatis intelligit. *Ærodius.*

3 *Bene impendi crediderunt exemplo.*] Frontinus 4. Strateg. 1, 33. *circumacta ad litus universa classe comprehensum supplicio affici jussit, & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit.* Gronov.

Debeo, si quid in me fuerit fortis animi: si quid virtutis incorruptæ, faciam: duret tantummodo animus, non deficiam, non deflectar. Etiamnum fortis sum: etiamnum posse videor: sed supersunt dies. Non blandior tibi: quotidie me hortor: & instigo animum meum, & totam sceleris tui deformitatem pono ante oculos: & illud nescio quid, quod persuasioni meæ repugnat, volo perdomare. Bene facis, quod accusas, turpiter deficiebam, prodebamque necessarium civitati exemplum: jamque in eam venturus eram hominum suspicionem, [1] tanquam me permittente feciſſes. Hoc age: dic insanum, dic furiosum, dic longe ab intellectu sanguinis sui positum. Vide ne rogaveris. Quid enim acturus ad genua provolvendo, adhibendo amicos, flendo in pectus meum? [2] insanus sum, nihil sentio, ad illum patrem tuum.

## CCCL.

### *Aqua frigida privigno data.*

Qui habebat filium, amissa matre ejus, aliam uxorem duxit. Incidit in gravem valetudinem filius: convocati sunt medici. Dixerunt moriturum, si aquam frigidam bibisset: dedit illi noverca aquam frigidam: perit juvenis. Noverca accusatur à marito veneficii.

### Declamatio.

VEneficii ago. filium meum periisse, & ea potione, quam dederit noverca, periisse, non difficile probabo. Nam & datam à se potionem non negat: & eam periculosam fuisse, quæ prædicta sunt, ostendunt. Ne ignorantia quidem defendi potest: id quod accidit, denuntiatum est. Itaque non tam in defensione fiduciam habet, quam in lege: nec tam dicere potest, scelus se non feciſſe, quam illud,

1 *Tanquam me permittente.*] Quintil. supradicto loco, Nam si permittat hic pater, &c. Seneca lib. 2. decl. 4. Putas me accusatori permissurum, quod filio negavi? ita enim legendum est, non, promittendum, & postea, me miserum quia pene permisi, non, qua pœne. *Ærod.*

2 *Insanus sum, nihil sentio.*] Seneca, Ego moriar, inquit. hoc si reo dicis, non curo: si Judici, videbo: si dementi, non intelligo. In iis quæ sequuntur aliquid deest. *Idem.*

illud, impune feciſſe. Negat enim ſe teneri poſſe veneficii, quoniam non dederit venenum. Poſtea videbimus, & quomodo intelligendum ſit venenum, & an hoc, quod datum eſt, illo tempore fuerit venenum. Interim putemus nullam legem huic ſceleri proprie eſſe conſtitutam. [1]nonne proximo utendum eſt? Non ignoro eſſe frequentem hujuſmodi in judiciis minoribus duntaxat contentionem, [2] ut pecuniam excidiſſe formulæ, ut aliter quam potuerit agere dicatur. Sed hæc tunc valent, cum oſtenditur jus aliud, quo agendum ſit. Itaque ſi dicis, qua lege alia accuſare debuerim, merito excludis hanc, qua lege ago. Sed neque hanc actionem meam admittis, neque aliud demonſtras, quo recedam ab hac lege depulſus: hoc contendis, ut iſtud, etiamſi ſcelus ſit, facere licuerit. Atque hoc etiamſi non proprie conſcriptum, conſuetudine judiciorum conſequens eſt, quotiens aliqua propria actio in rem non detur, uti proxima & ſimili. Nulla tanta eſſe potuit prudentia majorum (quanquam fuit ſumma) [3] ut ad omne genus nequitiæ occurrat. Ideoque per univerſum, & per genera ſingula conſcripta ſunt jura. Cædes videtur ſignificare ſanguinem & ferrum. Si quis alio genere homo fuerit occiſus, ad illam legem revertemur: ſi incideret [4] in latrones, aut in aquas præcipitatus, ſi in aliquam immenſam altitudinem dejectus fuerit, eadem lege vindicabitur, qua ille, qui ferro percuſſus ſit. Igitur & alia ſimilia lex de aqua frigida ſcripta non erat, redeamus neceſſe eſt tamen ad eam, quæ [5] venena coërceat, cum aqua frigida id effecerit, quod venenum. Hæc, ut remittam non fuiſſe hoc veneficium: nunc

1 *Nonne proximo utendum eſt.*] Haud dubie *proxima*. nempe lege. *Gronovius.*

2 *Ut pecuniam excidiſſe formulæ ut aliter.*] Ærodius: *ut pecuniariis an excidiſſe formula qui egerit aliter.* Conjiciebam: *contentionem de pecunia, ut excidiſſe formula, qui aliter, quam potuerit, egerit, dicatur.* Idem.

3 *Ut ad omne genus nequitiæ occurrat.*] Regula loquendi præcipit, *occurrerit.* Idem.

4 *In latrones.*] Al. *latrinas* fortaſſe rectius, vel *lautumias.* Pithœus.

5 *Venena coërceat.*] Vet. cod. *noceant.* Idem.

nunc vero venenum quomodo interpretari & intelligere possumus? Ut opinor, potionem mortis causa datam. Non quæritur qualis sit, sed quid efficiat. Nam ipsorum venenorum plura genera, plura nomina sunt: diversi etiam effectus. Aliud ex radicibus herbarum contrahitur, aliud ex animalibus mortiferis reservatur, sunt quæ frigore sanguinem gelent, sunt quæ calore nimio vitalia exurant, omnia tamen hæc sub unam legem veneficii veniunt. Quin illud etiam in rerum natura manifestum atque deprehensum est, alia esse aliis venena, quædam mortifera nobis, etiam in remedium quorundam animalium cedunt: quædam quæ in voluptates etiam & luxuriam adhibentur, multis animalibus adferunt mortem. Similis ratio & remediorum est. Cur igitur non sit differentia cum veneno, etiam temporis, nihil interest, [1] qui faciat? alias nunc venenum est. Quomodo enim comparare ista possumus! Ante omnia animo dantis, deinde effectu. [2] Animus dantis qualis fuerit non probavimus: interim de effectu constat. Vultis æstimare? adeo certum fuit hoc venenum esse, ut prædictum sit. In summa, quid plus pati potuerat adolescens, si venenum bibisset? Ponamus ex altera parte illam potionem, cujus tu nomen subinde jactas: pone ex altera, potionem quam tu dedisti: de utraque idem medici dicent. Si nihil interest mortis, nihil interest criminis. Hæc ad jus: sed ad ream legi suæ applicandam, sane scrutemur & animum. Non dico, quæ sit, quæ dederit: interim hoc respondeo, Aquam frigidam dedit: [3] sane medici non vetuerunt, non timuerunt, satis est, non permiserunt. Personam non onero, denuntiationem dissimulo.

1 *Qui faciat alias, nunc venenum est.* Idem.

2 *Animus dantis qualis fuerit, non probavimus.*] Priores, *probabimus.* Scribe: *mox probabimus.* Mox enim: *sane scrutemur & animum.* Gronovius.

3 *Sane medici non vetuerunt, non timuerunt.*] Ærodius: *hoc vetuerunt, hoc timuerunt.* Lege: *Sane medici non vetuerint, non timuerint: satis est, non permiserunt.* Pone, fac non vetuisse, non timuisse: satis peccasses, si dedisses illis inconsultis. *Idem.*

mulo. Dediſti ægro, quod pater non dediſſet. Si unus aliquis ex medicis nocituram tantum potionem eſſe dixiſſet: dicerem tamen, Fortaſſe moriturum non putaveris? nocere voluiſti, hoc inter omnes medicos conſtitit, periturum eſſe, ſi aquam frigidam bibiſſet: dediſti, poſtquam certum erat. Velim ſcire, an aliquid tale in valetudine ejus & ante feceris; nam ſive feciſti, apparet, quomodo ad tantum periculum deductus ſit: ſive non feciſti, apparet fuiſſe cauſam, propter quam faceres. Non putavi, nec credidi medicis. adeone ignota medicinæ experimenta ſunt egenti vita bona?

# M. FAB. QUINTILIANI
# Finiunt coloratæ, incipiunt[1] ejuſdem Tractatæ.

## CCCLI.

### *Exul index tyrannidis.*

EXULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. EX SUSPICIONE TYRANNIDIS SIT ACTIO. Exul, apud quem dives fuerat hoſpitatus, ſcripſit Senatui ſe facturum indicium tyrannidis, ſi reditus ſibi decerneretur. In Curia cum ageretur, ſolus dives contradixit. Decreto tamen reditu, exul ille intra fines eſt occiſus. Dives tyrannidis reus eſt.

SERMO.

*Exulem illum, qui occiſus ſit, dicemus, antequam damnaretur, fuiſſe civem ſeditioſum, omnibus ſceleribus confeſſum: ſed in illis quoque diu non fiducia innocentiæ, verum audacia neſcio qua omnia fingendi atque diſſimulandi, latuiſſe, & quemadmodum multos ſimiles ſui amicos habuerit, ſic non pauciores habuiſſe inimicos. vix quidem illum, quamvis in manifeſtis ſceleribus, neſcio qua audacia repugnantem damnari potuiſſe. Expulſum autem (quod fere ſceleratis pectoribus eveniat) graviter tuliſſe pœnam: ac*

1 *Ejuſdem tractatæ.*] Vet. cod. *Coloratæ.* quod ordo ipſe non patitur. *Pith.*

*ac præcipue auctoribus ejus fuisse infestum, quibus ut referre gratiam posset, quæsisse occasionem reditus: quod ut posset contingere, prius* [1] *conterrere voluisse patriam, ut in communi servitutis metu, non tanti unius exulis reditum, quanti securitatem omnium judicaret. Dictitare igitur cœpisse, apparari tyrannidem, instare patriæ gravem servitutem, quædam se comperisse. Has ejus voces frequentes, cum forte eadem iter faceret, ad divitem perlatas: & protinus motum tali rumore, certius aliquid ex ipso voluisse scire, quidnam exul loqueretur: an arma aliqua apud eum, an vestigia saltem tyrannidis reperiri possent. Sibi quoque exulem dixisse, apparari tyrannidem, sed nihil præter quam inania verba se apud eum comperisse, illum autem hoc ipso accensum, quod fabulis suis judicaret etiam à divite haberi fidem, non distulisse, quod diu cogitasset: misisse ad Senatum indicii epistolam. Ad nuntium tam atrocis rei attonito universo Senatu, divitem indicasse, quid ipse comperisset: quemadmodum sibi quoque eadem denuntiasset: intellexisse vanam illius, sine ullis argumentis, vocem: itaque dixisse nihil scire exulem: supervacuo revocari. Cæteros autem, qui attoniti erant, decrevisse, tanti non esse unius exulis reditum, ut diutius tali metu sollicita teneretur civitas. Hoc decretum Senatus non omnibus fuisse notum, etenim festinatione quoque in ejusmodi metu, præcipitari solere omnia: legem illam, quæ exulem intra fines juberet occidi, nemini fuisse ignotam. Eum igitur qui multos inimicos haberet, non omnibus decreto Senatus, omnibus jure exulis noto, intra fines occisum, non esse mirandum. Multum adjuvat in defensione personæ divitem, quod est integer: in qua parte etiam gloriari potest, ut dicat se odisse etiam aliena scelera.*

## Declamatio.

TYrannidem paro: vides enim: cum sceleratis mihi convenit: revocari exules volo, [2] non etiam ficta illorum consilia deprehendo. An ego si hoc cogitassem, tam aperte omnia egissem? [3] & ipse potissimum ad exulem misissem?

1 *Conterere.*] Lege *conterrere.* Idem.

2 *Non etiam facta.*] Vet. cod. *ficta,* rectius. *Idem.*

3 *Et ipse potius ad exsulem misissem.*] Immo *iuissem.* In Themid. *apud quem dives fuerat hospitatus.* Gronovius.

fiſſem? protinus me ac propoſitum meum nocenti aperuiſſem? non hoc ipſum timere debui? Adjeciſſem huic ſuſpicioni ſententiam meam, ut viderer timere indicem? Nihil debui minus, quam in metu, ipſum metum prodere.

## CCCLII.

### *Reus tyrannidis, qui deliberavit victor arma deponere.*

EX SUSPICIONE TYRANNIDIS SIT ACTIO. Quædam civitas, quæ bello laborabat, cum duobus præliis victa eſſet, adoleſcens dives nobilis, cum ſervorum & clientium manu armata proceſſit in prælium: fugavit hoſtes. Populus redeunti portas cluſit, cum aperturum promitteret, ſi arma poſuiſſet: reſpondit dives ſe deliberaturum: triduo deliberavit: rediit in civitatem, poſitis armis: reus eſt tyrannidis.

SERMO.

*Divitem hunc dicemus natum honeſta domo, patre militari, forti viro: à primis ſtatim annis adſueviſſe ſtudio armorum, magnum per ſe militiæ uſum collegiſſe. Cum autem ſubito bellum incidiſſet, factum alium ducem non judicio, ſed quodam caſu, & incerta populi aura, nec ſane vacaſſe tam ſubitum delectum ducum agere: factum ducem, qui nullum militiæ uſum haberet, nec aliunde victam duobus præliis urbem. Tum demum intellexiſſe populum, qualem haberet ducem: & ante omnes amicos paternos frementes veniſſe ad divitem palam queſtos de duce: adjeciſſe, Pater tuus ſi viveret, pro patria arma cepiſſet: non eſſet paſſus vexari rempublicam & hoſtium armis, & imperitis ducis conſiliis. Accenſum his vocibus, pro ſalute, ac libertate omnium, pia arma cepiſſe: privatas quoque adjeciſſe vires: urbe egreſſum, ſolutos lætitiæ victoriæ hoſtes, & nihil minus, quam eruptionem timentes, oppreſſiſſe. Hac victoria accenſum, quaſi in æmulatione, gravi dolore exarſiſſe ducem, cum diceret malo exemplo militare privatos: & cum omnes amici divitis cum divite eſſent, non difficile perſuaſiſſe, ut portas cluderet. Milites autem confecto prælio ad gratulationem redeuntes, portas cluſas obſtupuiſſe: poſteaquam vero juſſi ſint arma ponere,*

*aliquanto gravius exarsisse, veluti parricidas se excludi, & armatis hostibus inermes objici. Hanc seditionem volentem sanare divitem, tempus petiisse non magis deliberandi, quam rogandi: & triduo illo nihil aliud egisse, quam modo singulos, modo universos rogasse: illos quoque securiores fuisse, posteaquam ex toto recessisse hostem crediderint. Rediisse autem se à bello ad judicium, & in conscientia maximi meriti gravissimum sibi crimen objici, ut qui solus rempublicam defenderet, opprimere voluisse dicatur.*

## CCCLIII.

## *Dispensatores torti.*

Quidam ab inficiante petebat depositum. Dispensatores utriusque torti. Contraria dominis dixerunt: de integro lis est.

### Sermo.

*Petitor necesse est infamet dispensatorem suum, & dicat ab adversario corruptum: & ea fiducia esse illum inficiatum, cum promitteret dispensator negaturum se etiam in tormentis: itaque ab adversario natum, cum lis esset, Dispensatores torqueamus. Alterum hunc dispensatorem sani proposiți decet, qui semper accepisse se palam dixerit, & statim cum datus sit in tormenta, hoc sibi proposuerat, Quid? ego quo præmio mentiar? confessum esse. Et hoc in locis valens est, Tuus dispensator accepisse se ait, meus dedisse negat: hujus potentior vox est, potest enim etiam per alium numerata videri pecunia. Initio autem dicet hic sibi placuisse servum: & ideo supra rationes esse positum, sed postea & licentia sua & securitate domini qui illi plurimum crediderit, isse in vitia à multis corruptum, antequam ab hoc: & ideo se deposuisse. Hanc sibi deponendi fuisse causam, cum videret in malo statu rationes esse. Hoc necesse est adjicere, quia urgetur per interrogationem, quam causam deponendi habuerit. Inficiator dicat oportet, dispensatorem suum finem tormentorum quæsisse: ideo confessum ut dimitteretur.*

CCCLIV.

## CCCLIV.

### *Morietur antequam nubat.*

Quidam nubilem filiam habens, uxorem secreto loquentem cum adolescente vicino formoso deprehendit, quæsivit, quid loquuta esset: respondit mulier, de nuptiis filiæ se loquutam. Ei maritus filiam despondit: mater ait, morietur antequam nubat. Ante diem nuptiarum puella subito perit: livores & tumores in corpore fuerunt. Mulier rea est.

SERMO.

*Dicet hæc mulier juvenem illum nunquam sibi placuisse, & repugnasse se, cum videretur illi puella destinari: illum autem utique volentem hanc uxorem habere, ad satisfactionem venisse, tunc vero minus placuisse matri generum. Itaque cum desponsam audisset filiam, quotidiana consuetudine vulgi iratam dixisse, Morietur celerius, quam nubat. Cæterum de fato puellæ, una cum accusatore queretur.* [1] *Causam fati crudelitati fingitur.*

## CCCLV.

### *Tutor lenocinii reus.*

Pupillus cum tutore agebat tutelæ, Tutor cum pupillo, adulterii. Remiserunt invicem actiones. Lenocinii tutor reus est.

SERMO.

*Fuisse quosdam utriusque inimicos, hic tutor dicet, qui ab initio moleste tulerint: non ipsis potius relictam esse tutelam: & quoniam ab hac præda excluſi sint, distulerint spes suas in diem ultimum tutelæ, ut rudem & imperitam pupilli ætatem fraudibus suis circumscriberent. Se autem tutelæ rationes, ut debebat, reddidisse. Cæterum metuentem, ne dimissus à se pupillus fraudibus & insidiis inimicorum circumscriberetur, velut alteram ejus tutelam gesturum, in domo retinuisse. Tunc vero consurrexisse illos, qui tutelam ipsis non commissam moleste tulerant, & graviter excanduisse, ne peracto quidem tutelæ tempore, à domo tutoris pupillum dimitti: nullam occasionem*

1 *Causam fati crudelitati fingitur.*] Malim, *cruditati affinget.* Pithœus.

*casionem ad despoliandum imperitum juvenem dari. Cogitasse igitur, quemadmodum pupullum, ac tutorem mutuo dolore distraherent. Nam si rationes tantum infirmarent, videbant futurum, ut optima conscientia tutor non expectaret ultimam contentionem judicii, sed per communes amicos, propinquosque pupilli, satisfaceret: inveniisse illos rationem, [1] qua mutuo dolore distraherent. Summisisse qui dicerent, male tractatas à tutore rationes: non omnia nosse pupillum qui taceat: si litigare velit, futurum, ut sua recipiat. Per alios inde internuntios sollicitatum maritalem animum, qui pupillum falso crimine adulterii inquinarent. Se utique maritum credulum [2] nihil tanti putasse, ut suspicioni suæ satisfaceret. Diu hac fraude inimicorum, pupillum tutoremque deceptos: sed posteaquam veriores amici intervenerint, & se interrogaverint, quam actionis haberet fiduciam: pupillum item seduxerint, & querelæ causas quæsierint: tum demum apparuisse mutuum errorem: & se quædam certius etiam ab uxore quæsisse. Detecta igitur fraude inimicorum facile depositas, quæ nullis fundamentis niterentur, actiones, & reditum in gratiam: sed tamen nondum inimicos effugisse, à quibus reus factus sit. Accusator autem non committet, [3] si in pupillum dixerit. Id enim crimen illi objiciet, quod ille noluerit diluere. Dicet ergo propter amorem adulteræ, illum in domo tutoris remansisse. Nam ante quatuordecim annos, incredibile est crimen, [4] remansisse ergo amorem, nec illam indulgentiam in retinendo pupillo fuisse tutoris, sed conscientiam, cum sciret male redditis rationibus, non esse offendendum pupillum. Mulieri autem multa donata: quæcunque desideraverit, concessa. His sceleribus invicem cognitis, primo utrunque*

1 *Qua mutuo dolore distraherent.*] Malim *distraherentur*. Gronovius.

2 *Nihil tanti putasse, ut suspicioni suæ satisfaceret.*] Si τὸ *suæ* in codice suo reperit Pithœus, admittimus. Nam Thaddæus ignorat: Ærodius quasi ab sese interposuit, sic tamen: *ut* [*suæ*] *suspicioni satisfaceret*. Sed alia hic fraus. Si enim intellexissent illud, *Est tanti*, quod alibi quoque male perceptum monuimus, vidissent utique scribendum: *nihil tanti putasse, ut non suspicioni suæ satisfaceret*. id est, nulla re deterreri potuisse ab inquirendo. Vulgata contrarium significat, nempe nulla re perpelli potuisse, ut ob suspicionem aliquid faceret, aut inquireret. *Idem.*

3 *Si in pupillum dixerit.*] Aut hæc corrupta, aut aliquot verba exciderunt. *Idem.*

4 *Remansisse ergo amorem.*] Potius, *propter amorem*, aut *ob amorem*. Idem.

*utrunque excanduisse: deinde tutorem ex conscientia rationum, omisisse potius matrimonii vindictam, quam mutuis caderet actionibus. Sic pares acceptasque factas actiones.*

## CCCLVI.

## *Filius pro meretrice patris, suam redimens.*

Quidam luxurioso filio, amanti meretricem, dedit pecuniam, ut sibi emeret eam meretricem, quam ipse pater amabat: ille eam redemit, quam ipse adolescens amabat. Abdicatur.

### SERMO.

*Hic senex dicet filium fuisse luxuriosum, & non sine maximo patrimonii ac famæ damno amasse meretricem; cui malo voluisse mederi patrem, sæpe objurgatum filium: sæpe secreto, sæpe etiam palam castigatum. Cum jam nec sumptibus, nec verecundiæ finis imponi posset, habuisse cum cognatis consilium, quidnam se facere oporteret. Abdicaret: sed tanto liberior fuisset luxuria. Castigaret: sed nihil castigando profecerat. Succurrisse cognatis & amicis rationem, qua putarent juvenem posse emendari, si simularet pater amari à se meretricem, & daret pecuniam potissimum ipsi filio ad redimendam: quod si fecisset, futurum ut meretrix, redempta altera meretrice, deinde ab ipso adolescente redempta, indignaretur, & illum amare desineret. Nam initio statim dicendum est, & culpæ meretricis juvenem hæsisse: & ideo quæsitam, quæ avocaret, & illa ratione datam juveni pecuniam. At illum protinus cucurrisse ad meretricem suam: patrem autem, quoniam nullo modo sanare filium potuerit, ad ultimam ultionem confugere: Abdicare filium, quia emendare non potest.*

## CCCLVII.

## *Uxor non relinquens ob adulterium cæcatum.*

ADULTER EXCÆCETUR. UXOR VIRUM IN CALAMITATE NE DESERAT. Quædam patri de marito ter questa, & tacere jussa, postea ab excæcato ob adulterium viro, quia non recedit, abdicatur.

### SERMO.

*Hæc mulier dicet acceptum à patre maritum, se ab initio amare cœpisse: adolescentem, lenociniis adulteræ illius usque eo captum esse, ut revo-*

*ut revocari à cupiditate non posset. Ut necesse erat, modeste se tulisse, & eo magis, quod maritum diligeret: voluisse ergo experiri, quid de adulteris pater sentiret: indicasse ei adolescentis errorem: respondisse illum, esse quædam ætatibus concessa, nec reprehendi lusus in ejusmodi juventa debere. Tum vero cariorem sibi virum factum, posteaquam lusibus ejus patrocinari etiam senex cœperit. Sed cum videret nequissimæ mulieris illecebris maritum teneri, & jam vindictam adulterii, atque occasionem captare adulteræ maritum: iterum ad patrem venisse, ut illius saltem auctoritate emendari adolescens posset. In eadem voce illum perseverasse iterum ac tertio. Miserrimum ergo juvenem fraude & insidiis deceptum, eam fortunam sustinere, quam illi semper uxor timuerit. Accessisse novum amori suo sacramentum, [1] & judicio patris factum juvenis affectum. Hoc colore optime defendetur mulier, alioqui lege imbecilla. Nam ex contraria parte infinitum potens est illud, maritum esse damnatum.*

## CCCLVIII.

### *Expositio pulsatori amputatæ manus.*

Talionis sit actio. qui patrem pulsaverit, manus perdat. [2] Quidam expositio, quem in locum filii sustulerat, pulsatus, tanquam pater manus incidit. Agnitus ille, advocato naturali patre, talionem petit.

### Sermo.

*Hic adolescens jure infirmus est. Nam quod lege agitur, non solet vindicari lege. Cur enim potius ab educatore, quam à carnifice, petatur talio? Sed præter quam lege agitur, etiam facto laborat: quod quamvis educatorem, tamen patris loco pulsaverit. Dicat tamen educatorem fuisse hunc ab initio crudelem, & hinc suspicatum juvenem, non esse illum verum patrem. Sæpe amicis questum: quibusdam etiam mandasse. ut inquirerent, qui aliquando infantes exposuissent. Hac re validius offensum senem: itaque dedisse operam, ut se*

1 *Et judicio patris factum juvenis affectum.*] Forte: *factum juvenis excusatum.* Gron.

2 *Quidam expositio.*] Omnino, *ab expositio.* Idem.

*ut sepulsandum præberet: deceptum certe ab eo etiam tempore ipso juvenem, incidisse in eum, quem minime provocatum injuria vellet. At illum confestim tanquam de alieno non de liberasse sanguine: & quia redditurus esset expositum, debilitasse. Certe eum lege patris usum, qui sciret nec se patrem, nec hunc filium. Adolescentem autem, quia nondum perspectum illo tempore patrem habuerit, certe quia probare non potuerit, tacuisse: nunc petere talionem.*

## CCCLIX.

## *Lis publicani de unionibus.*

PRÆTER INSTRUMENTA ITINERIS, OMNES RES QUADRAGESIMAM PUBLICANO DEBEANT. PUBLICANO SCRUTARI LICEAT. QUOD QUIS PROFESSUS NON FUERIT, PERDAT. MATRONAM NE LICEAT ATTINGERE. Matrona iter faciens, cum ad publicanos veniisset uniones habens cccc. in sinum abdidit: hos cum requireret publicanus, matrona scrutandi potestatem fecit, publicanus noluit scrutari. Translatis manum injecit, & suos dicit.

### SERMO.

*Quæstiones sunt, an instrumenta itineris videri uniones possint? an etiamsi non possint videri, tamen quoniam ad usum, & ornamentum matronæ parati sint, in commissum venire potuerint? an in usum parati sint? an si in usum parati sint, non ostensi teneri possint, cum ostensi nihil debuerint? an quamvis scrutari matronam non liceat, & ipsa permittente & publicano licuerit, perinde sit scrutationem permisisse, ac rem ostendisse? an dimissa res peti possit? an hæc dimissa sit? Dicit enim publicanus non rem, sed controversiam dimissam.*

## CCCLX.

## *Lis de dotibus, socrus & nurus.*

PRIMA RATIO DOTIS HABEATUR. Quædam apud filium amisso viro, dotem reliquit. Adolescens, ducta uxore dotata, decessit. Res solvendo non est. Contendunt socrus & nurus, utra primum dotem accipiat.

### SERMO.

*Mulierem illam socrum nurus dicet hanc ruinam patrimonii post mortem viri statim sensisse: non sumpsisse dotem, ne & filium decoloraret,*

*loraret, & dotem quoque perderet. Itaque etiam dotatam filio quæsisse uxorem, quo facilius posset ruentis patrimonii rationem sulcire. Addat, donasse illam filio petitionem, hodie, quia decessit, retractare. Sed & præscribat.*

Declamatio.

SEro petis, & aliud patrimonium est. Dudum hæres mariti tui erat. à filio petere debuisti, ego ex bonis mariti mei repeto. Nam duæ mortes maritorum, diversas successiones habent. Bona mariti mei, morte ejus facta sunt: dum viveret, patris fuerunt. Dos est, si à viro, aut ab hærede ejus repetatur: tu amisso viro, cum dotem non petiisti, feciſti creditum ex dote.

Sermo.

*Circunscriptam se nurus queretur: & in ultimo quæret, in quem usum anus dotem desideret? Contra illa dicet, hanc mulierem ambitiosam & profusam fuisse, non minime propterea ad egestatem perductum virum.*

Declamatio.

Nurus oportet à viro dotem repetat, socrus à patrimonio.

## CCCLXI.

### *Depositi rapti quadruplum.*

Qui depositum perdiderit, juret, et sibi habeat. Quidam cum depositum furto amisisset, juravit: postea furem damnavit, exegit quadruplum: Dominus hoc quoque petit.

Declamatio.

MEÆ pecuniæ accessio ad me pertinet. Quid si enim cognitor meus, quid si procurator hoc idem respondeat? denique, quid si damnatus fur, non totum solvisset? nempe meum damnum erat. An jacturam debeo sentire, accessionem non debeo? Ego enim à te recessi, cum jurasti, jam cum fure mihi negotium est; hic quicquid solverit, ad me pertinet.

Sermo.

SERMO.

*Contra, ille suo nomine egisse se dicet: investigasse, laborasse: illud præterea potens est pro illo; non potuisse dominum illum furti agere. Itaque judex quid pronuntiavit? nimirum mihi furtum esse factum.*

## CCCLXII.

## *Invicem pulsatores patrum.*

QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS EI INCIDANTUR. Duo adolescentes æquales juraverunt, ut alter alterius patrem cæderent. ceciderunt. petuntur manus: patres vindicant.

SERMO.

*Fuisse duos sodales: patribus ex austero indulgentibus, sæpe coisse ad lusum, frequenter una fuisse. Quodam tempore cum alter ex his serius in convivium venisset, dixisse alterum, Fortasse te, ut solet, ille senex retinuit, sed non feret impune: ego illum verberabo: hunc deinde respondisse, Et ego tuum cædam. Cum alternis verbis jactarentur minæ; & uterque metueret, ne inultum haberet patrem, jurasse in ultionem magis parentum, quam injuriam.*

## CCCLXIII.

## *Vestiplica pro domina.*

MALÆ TRACTATIONIS SIT ACTIO. Quidam pauper formosæ maritus, à peregrino vicino negotiatore, ter de stupro uxoris, adjecto pretio appellatus, vestiplicam dominæ habitu misit. Malæ tractationis reus est.

SERMO.

*Maritus illo colore defendendus est, ut dicatur fuisse diligens custos pudicitiæ uxoris: natura quoque sollicitus & sedulus. Cum esset de stupro uxoris appellatus, admiratum tantam peregrini negotiatoris audaciam: cum deinde etiam repetitus, suspicari aliquid etiam de uxore cœpisse, quantum nunc appareat, suæ naturæ potius vitio, quam culpa uxoris. Cum vero tertio quoque instaret adulter, non*

*potuisse dissimulare suspicionem & sollicitudinem suam: itaque quia putaret aliquid ante cum sua uxore loquutum adulterum per vestiplicam, advocasse illam, & quæsisse, num aliquid de adulterio sciret: illam respondisse, innocentem esse dominam, & ne notam quidem negotiatori: denique si dubitas, me uxoris tuæ habitu mitte: videro, an possit discernere.*

## CCCLXIV.

## *Conviciator pauper occisus.*

Pauper ad divitis domum nocte conviciari solebat. Quodam tempore, dives processit, & insanire eum dicens, decem servis imperavit, ut eum domum ducerent. Cum iisdem occisus postero die inventus est. Dives cædis reus est.

### Sermo.

*A parte divitis color ille introduci potest, ut dicatur pauper fuisse factiosus, aut turbulentus: habuisse hujusmodi furoris sui comites, quibus in insidiis dispositis, ipse tantum ad concitandam rixam se ostenderet: cæterum illos in præsidio haberet, si quid forte dives moliretur. Et hoc ipsa rei conditio monstrat: cum sit incredibile pauperem solum, & præterea nocte ad convitium diviti faciendum venisse. Quare enim die tacuit? quare in foro non maledixit? Apparet illum noctem expectasse, quo facilius comites absconderet. Paratum ergo ad rixam cum telo venisse. Divitem nihil tale suspicatum, magis insanire credentem, dedisse qui deducerent. Tunc vero pauperem quasi custodia excanduisse: accessisse & cæteros ejus conscios, qui dum eripere pauperem vellent, rixam concitaverint, & fortasse illum pauperem silentio occiderint, ne postea comprehensus pauper auctores facinoris cogeretur fateri. Et hoc dubie ponendum est: quæ constitutio in reliqua quoque causæ parte servanda est: nihil enim pro certo adfirmare debemus: sed tantum suspicionem judicum à nobis alio prævertere. Ergo ab illis videri factam cædem, qui adhuc beneficio temporis latent: divitem super damna patrimonii, & tot servorum cædem reum esse.*

CCCLXV.

# CCCLXV.

## *De vi septem judices.*

DE VI SEPTEM JUDICENT. QUOD MAJOR PARS JUDICUM STATUERIT, REUS PATIATUR. Duo ignominiam statuerunt, duo exilium, tres mortem. Petitur ad mortem.

### DECLAMATIO.

QUOD MAJOR PARS, inquit, JUDICUM STATUERIT. Ego existimo majorem partem esse, in qua plures idem sentiunt, eandem pœnam pronuntiant, in eadem verba jurant. Et hoc verum esse ab ipsis verbis legis disce, QUAM POENAM. Non de pluribus suppliciis, sed uno loquitur: etenim nemo potest plura supplicia unus nocens ferre. Scrutare & alia verba, STATUERIT, inquit, nonne tibi consentientis per omnia partis illius videtur unam vocem includere? QUAM POENAM STATUERIT, id est, quod genus supplicii placere sibi pronuntiaverit, qua pœna nocentem affici voluerit. Sed quatuor, inquit, judices me noluerunt mori. Tu nunc indicas, quam pœnam transierint, non quam statuerint: lex autem certam illorum sententiam exigit. Quid enim aliud dicerres, si nondum pronuntiassent? si negassent liquere sibi de supplicio tuo? nunquid sententias illorum numerares? minime. Horum enim primum jam verba signavi: illorum quatuor quæ signabo? dubitare illos? nescire quid pronuntient? etiamnum ergo suspensos? cur dimitti postulas, si judex deliberat? Plures, inquit, me mori noluerunt. Quid igitur velint, pronunties oportet: illorum sententiam signare volo: accusator recitare his judicibus volo, ut habeant quod sequantur. Duo, inquit, exilium mihi injungunt. Jam igitur aperte ex una plures facis: jam turbam istam, quæ universa noceret, dividendo extinguis: duo exilium, duo ignominiam pronuntiant. Vis ego illos jungam, qui se ipsi dividunt? Revertere nunc ad verba legis, ut paulo ante. QUAM POENAM, inquit, MAJOR

PARS JUDICUM STATUERIT. Partem intelligimus eidem numero applicatam, quemadmodum sententia conjunctam, sic turba: alioqui si miscere tibi & in genere dissentientes licet, cur hos tres separas? Quomodo enim hi ab illis quatuor discrepant, sic illi inter se pugnant. Ergo non idem sentientes non potes jungere: idem sentientes compara. Ego qui mortem pronuntient, tres habeo. Produc illos, qui exilium pronuntiant: vinco: produc qui ignominiam: æque vinco. Dubitari potest valentiorem esse partem, quæ composita neutri succumbit, utramque superat? Quid si enim quatuor illi [1] in totidem disputarent sententias: nunquid illos pro una parte opponeres? Nemo sine dubio cum tribus meis staret, sed nemo alteri esset adjunctus: nunquid ex quatuor sententiis unum corpus efficeres? minime. At quid interest bini an singuli dissentiant? æque numerari pars non potest, si in partes scinditur? Quid si duo ignominiam pronuntiarent, duo exilium, duo mortem, unus (ut plerunque evenit) taceret? sine dubio pares essent sententiæ. Si ergo detracto uno, pares essent: adjecto, non sunt superiores? At enim, ut scias non utique duas partes legem exigere, verba inspice, QUOD STATUERIT, inquit, [2] non utrum potuerit. Denique, judices, breviter agendum est. Reus damnatus, quam tandem pœnam pati debet, [3] si mortis pœnam relinquit? quam? scilicet exilii. Ergo cum tribus sententiis quatuor non cedant, duabus quinque succumbent? At eadem est iniquitas. [4] Quid acturus es? pœnarum controversia utrunque ferre non potes, sive ignominiam sustines, in patria

1 *In totidem disputarent sententias.*] Lege, *discreparent.* Ærodius.

2 *Non utrum potuerit.*] Ærodius, *non utraque pars statuerit.* Immo: *Quod statuerit, inquit, non Utrum statuerit.*

3 *Si mortis pœnam relinquit.*] Forte, *pœna remittitur.* Gron.

4 *Quid igitur acturus es? &c.*] Ærodius: *Quid igitur acturus es in hac pœnarum controversia?* Valde corruptum agnosco locum, cujus sententiam tamen videor mihi exprimere posse. *Atque eadem est iniquitas in altera pœnarum.* nempe ignominia, ut duabus quinque succumbant. *Sine controversia utramque ferre non potes. sive ignominiam sustines, in patria morandum est: sive expelleris, patriam relinquis.* Idem.

in patria morandum est, sive expelleris, patriam relinquis. Quid ergo, inquit, moriar, cum tres tantum me perire voluerint? [1] Quid enim autem iniquum est te mori damnatum, confessum, etiam tuo judicio supplicio dignissimum? Cui enim te reservabimus? videlicet egregium exemplum civium futurus es, qui sic vivis, ut damnari potueris.

## CCCLXVI.

## *Legatus filius proditoris occisus.*

LEGATUS SACROSANCTUS SIT. PRODITOR CUM LIBERIS EXULET. Cujus filius legatus erat, proditionis damnatus est. Revertentem legatum quidam occidit: cædis reus est.

### SERMO.

*Fatetur eadem reus, sed jure defendit.*

### DECLAMATIO.

EXulem, inquit, occidi. Exul ille quando factus est? quis illum accusavit? quis damnavit? quis expulit? Atqui sic fieri exulem, pater illius exemplo est: & inde exul quoque dictus est, quasi ex solo patrio expulsus. Pater, inquit, illius proditionis damnatus est: lex autem exulare & proditoris liberos jubet. Ut omnes lex puniat, huic tamen ignoranti, damnatio patris nocere non debuit. Puta in privatum compendium peregrinatum: non ante exul erit denique, quam scierit se esse exulem. Aliquis pœnam sustinet, quam ignorat, & ejus est conditionis, cujus se esse nescit? Quem talem sacrilegum audistis, quem homicidam, quem veneficum? novi generis nocentem producis, tam securum, ut se ne nocentem quidem sciat. Sed quod paulo ante remiseram, nego. Non omnes lex punit, sed conscios, sed participes sceleris: illis irascitur, qui cum patre peccant. Neque enim innocentes ulla lex punit. Et hic non solum innocens, sed etiam honoratus fuit. Legatus

[1] *Quid enim autem iniquum est.*] Lege: *Quid enim? an tam iniquum est.* Rod.

tus fuit: ut proditoris filium licuerit occidere, legatum non licuit. Quid enim lex ait? Legatus sacrosanctus sit. An hoc dubium est fuisse legatum? creatus est, missus est. atqui si fuit legatus, non potuit, antequam renuntiat legationem, desinere, tanquam magistratus intra suum annum, tanquam sacerdos. Patris, inquit, damnatione desiit esse legatus. Ad alium forsitan filium pertineat paterna damnatio: ad legatum non pertinet. Ante enim legatus hic factus est. Ita in eo jure fuit, in quo illum respublica ante jusserat: id est, ante legatus fuit, quam damnati filius. Sed puta licuisse: non oportuit.

Sermo.

*Hic de injuria publica querendum, quod ignoretur, quid renuntiaturus fuerit. ultima descriptio erit, qua nihil tale merens occisus sit, etiam inter hostes tutus.*

## CCCLXVII.

## *Luxurioſi pater fortis.*

Luxurioſi pater fortiter fecit: præmium non optavit ex lege. Dementiæ reus fit à filio.

Declamatio.

Dementiæ reo quid objicis? usitata fortasse crimina. Tractas per publicum vestes, non reddita salutantibus nomina, non discretos ab inimicis amicos, aut dissipata luxuria bona, & aliena ætati vitia. Habet hoc crimen domus nostra, si reum mutas. An vero desidiam objicis? Bellum non sentio? hostem non intelligo? patriam non vindico? Præmium, inquit, non optas. Puta me rationem non posse reddere. Non est unius criminis dementia. Ut hoc sit argumentum dementiæ, infirmum est, quia solum est: deinde nunquam in uno dementia deprehenditur, objice & alia. Sed quid sine hoc quidem objici potest? Quid? tu liberalitatem, dementiam vocas? Non expedit tibi, adole-

adoleſcens, hanc legem introducere. Non optas. Age quiſquis non eſt avarus, demens eſt? Varii ſunt mores. Puta me nolle optare, non concupiſcere præmium: non invenio, quid optare poſſim: deinde patriam onerare nolo bello afflictam. Deinde gratuitæ debent eſſe virtutes: deinde hoc eſt præmium, intueri debitorem populum. Licet differre: permittes & tua cauſa, uxorem tibi opto, honores opto. Statim, inquit, opta. Ergo ſi facio, ſanus ſum. En crimen, quod ſtatim tolli poteſt? Quid vis optem? opto ſtatuas? vultum contrahit: dies feſtos? iraſcitur. Quid igitur? pecuniam? & ſi hanc deſideras, cur non fortiter pugnabas? deſcende in aciem: an ego pro te pugnavi? Si perſeveras in foro potius militare, quam in prælio, abſolutionem opto: tolle judicium.

## CCCLXVIII.

### *Alens patrem rapta abdicata.*

Rapta invito patre nuptias optavit. ob hoc abdicata, tacuit: egentem patrem quia invito marito alebat, eſt repudiata; ingrati agit adverſus maritum.

### DECLAMATIO.

BEneficium dedit, vitam donavit. Magnum beneficium eſt, lucem dare: ideo ſunt parentes cariſſimi: & illi vitam dant non ſentientibus. Quid, quod beneficium dedit, cum accepiſſet injuriam? Jam non tantum vitam tuam donavit tibi, ſed etiam ultionem ſuam: nec tantum non exegit ſupplicium, ſed etiam conceſſit matrimonium. Quid his vis adjiciam? exorata eſt. Solent dolere raptæ: & contineri non poſſunt, nec à patribus. Dedit ergo beneficium. Quid ſi etiam contra patris voluntatem te ſervavit? Illum offendit, ut tibi parceret: & quam graviter? etiam abdicata eſt. Cum tibi beneficium dat, ipſa accipit injuriam. [1] Donavit tibi etiam teſtamentum patris. Accepiſti ergo beneficium,

1 *Donavit tibi etiam teſtamentum patris.*] Quidam apud Ærodium: *etiam contra mentem patris.* Sed hi non intellexerunt vim τῦ *donare*, de qua diximus alibi.

neficium, non retulisti gratiam. Quid si feciſti etiam injuriam? Expectatis, ut dicam: Cultus negavit, viduam fecit: quantum est vestis & ornamentum? Matrimonia sunt ab ipsa rerum natura inventa. Sic mares fœminis junguntur, ut imbecillior sexus præsidium ex mutua societate sumat. Puta illam habere patrem, ad quem se recipiat. infamata est, nunc bis vidua est, mendico patre. Ergo maritum eripis, quem tandem maritum? quem tantopere dilexit: ut patri præferret. Potuit tibi controversiam facere de nuptiis juris sui, si ad ingratum reverti vellet Quid his objicis? Patrem, inquit, alit: accusas quod miseretur. Patrem ali non solum oportet, verum etiam necesse est. Sed me, inquit, perire voluit. Ecquid ignoscitis, judices, [1] si talem oderat, qui ante cognoverat? nam hæc ignoravit. Perire voluit merito: rapueras. Lex te occidebat, non hujus pater. Sed non defendo illum, qui non ad te venit. Peccavit: idem te non rogat: filiam rogat, te uxor. Nempe hæc ei petit cibum seni, cui alieni porrigunt. Nec multum est, quod detur, & hæc misericors est. Sed expellis, & cum patre mendicare cogis, non es ingratus? ergo matrimonium eripis: [2] quid? quod matrimonium? juris sui poterat injusti repudii agere: vellet. Inimicum, inquit, meum

alibi. Hoc dicit, in tuam gratiam caret hæreditate patris. Sic Decl. 360. *Addat donasse illam filio petitionem.* hoc est, in gratiam filii non petisse, petitionem remisisse. *Gronovius.*

1 *Si talem oderat, qui ante cognoverat.*] Sic & Thaddæus. Ærodius: *quem ante non cognoverat.* Sed sententia est. An non videtur vobis pater raptæ jure exosus fuisse hunc raptorem, & merito voluisse, ut rapta mortem optaret, qui sciebat hunc tam pravo esse ingenio, quam nunc ostendit? Sequitur: *nam hæc ignoravit.* id est, huic tamen etiam ignoscendum raptæ: nesciebat enim tam mali moris maritum se optare. Ærodius: *nam hoc ignoravit*: & ad marginem: Supple, à filia raptorem diligi. *Gronov.*

2 *Quid? quod matrimonium? juris sui poterat.*] Non aliter Ærodius. Distinctiones omnem abolent sensum. Reforma: *Matrimonium eripis.* - *Quid quod matrimonium juris sui?* Ut paulo ante: *Potuit tibi controversiam facere de nuptiis juris sui.* Tales erant, quas raptæ optaverant. Deinde: *Poterat injusti repudii agere: vellet.* Hic aut addendum, aut intelligendum τὸ *si.* Solet enim non ineleganter sic dissimulari. Tantum abest, ut totum huc inculcari debeat è superioribus: *si ad ingratum reverti.* Idem.

meum alebat. Miraris? misericors est, & hoc accusas forsan non personam æstimavit, sed fortunam. Est hoc vitium illius: nuper & raptoris miserita est. Sed quid tam valde iste peccavit, ut mori debeat? Me, inquit, perire voluit. Imitaris, quod arguis. Ergo peccavit, idem facis. Crudelitatem & accusas & imitaris. Sed ille merito: quippe raptorem. Puta peccasse: satisfecit, rogat, miser est, hostes quoque parcunt. Denique hæc meruit: hanc respice. Te quoque, inquit, abdicavit. Relinque æstimationem ipsi doloris sui: [1] sine ipse vindicet. Sed cur vindicet? merito abdicata est. Te servaverat, meruit exulare. Sed puta injuste abdicasse, pater est. Non respicimus in ejusmodi fortuna, quid meruerit. Denique quid faciet mulier, cum ad januam venerit? & quantulum est, quod præstat? Quo nunc se misera conferet? cum patre nimirum mendicandum habet. Facile tamen maritum inveniet: tantum ne impune læsa sit, solatium petit.

## CCCLXIX.

### *Armis sepulchri victor.*

SEPULCHRI VIOLATI SIT ACTIO. Quidam arma de sepulchro viri fortis, suis consumptis, sustulit, victor reposuit. Reus est violati sepulchri.

### DECLAMATIO.

POtui inficiari, quod objicitur. Detracta arma dicis? Nego: mentior? eamus in rem præsentem, adnumerare volo: si quicquam defuerit, damnari volo. Sed non corrumpam gloriam meam, ut dissimulem, propter quod vir fortis honoratus sum. Sed quid faciam? non licet mihi ista narrare: instat livor: & id, quod salvus est, odit. Sepulchrum, inquit, violasti. Non utcunque attingitur sepulchrum, violatur: alioqui [2] nec inferre mortuos liceret, nec

1 *Sine ipse vindicet.*] Lege: *sine ipsa vindicet.* rapta dolorem abdicationis. *Idem.*

2 *Nec inter mortuos.*] Fortasse melius, *nec inferre mortuos.* Pithœus. *Nec inter mortuos licet.*] Scribe: *nec inferre mortuos liceret.* Gronovius.

nec collapsa reficere, nec ornare. Aut si utcunque attingitur, violatur, bis ergo peccavi, & cum sustuli, & cum reposui. Sed non ita est: & mens absolvitur. Sic Romani gloriose spoliarunt Jovem: sic Saguntini fecerunt parricidium. Si ergo mens in factis spectatur, meam inspicite: quare violo? inimici sepulchrum est: immo etiam commilitonis amici: credibile enim est similes propositis amicos fuisse. Deinde, ut etiam vivo nocere voluerim, mortuo tamen parcendum est. Deinde, quo tempore? bello inter pericula odiis vacua. Sed quid sustuli? aurum credo, aut defossam pecuniam? Arma. Ista virtutis instrumenta, non sceleris sunt pretia, quibus præmia merui. Nisi illa sustulissem, non accusasses: non haberes leges. Sustuli, confiteor: sed publicæ salutis causa. Miraris? ipsorum sepulchrorum ruina si possem, hostem repellerem: tecta in subeuntes, & sacra, quin etiam templorum fastigia, desperantium tela sunt. Certum est omnia licere pro patria. Denique vos interrogo, quid faciam? magna pars exercitus in me cessat. Armati sunt interim etiam inertes, etiam mortui: solus nudus steti. Quanquam quod quæro, habeo: sententiis vestris honorastis, & sciebatis his me armis vicisse, nec sane aliud dedissetis consilium, quam locus & tempus. Visus est mihi emergere tumulo vir fortis.

## CCCLXX.

### *Rapta competitrix divitis filia.*

Inscripti maleficii sit actio. Qui ingenuam stupraverit, det decem millia. Pauperis & divitis filiæ petebant sacerdotium. Rumor erat pauperis filiam futuram sacerdotem. Eam parasitus sub diem comitiorum rapuit. Dives offert pro eo decem millia: inscripti maleficii reus est.

### Declamatio.

Non est, inquit, inscriptum: quia certa lege comprehensum est. Hoc diceret raptor, si cum illo agerem. Sed aliter mecum tibi consistendum est. Rapere enim usitatum est: subjicere raptorem, novum. Nunquam hoc timuere majores.

CCCLXXI.

## CCCLXXI.

### *Viri fortis pater, reus proditionis.*

ABDICARE LICEAT. VIR FORTIS OPTET QUOD VOLET. Qui proditionis patrem reum habebat, fortiter pugnavit. Rogante patre, ut optaret abolitionem suam, non optavit, sed in judicio, reo affuit. Absolutus pater abdicat filium.

#### DECLAMATIO.

QUid peccavi, cur abdicer? num adversus patriam iners sum? luxuriæ deditus? bella fugio? An adversus patrem impius? reor. In qua parte filii cessat officium? Non optasti, inquit, quod volui. Jam excedis legem tuam: pater filio debes imperare, forti non potes. potes peregrinationem, potes militiam: sed [1] non sententiam judicii, non decretum magistratus, non præmium forti. Quid enim lex ait? FORTIS OPTET. Me nominat, & æquum est hoc mihi contingere: pugnavi. Cum quo mihi res est? cum patre: non est contumaciter agendum. Ego vero etiam viri fortis optionem remitto, si æquum petis. Quid petiisti? ut abolitionem optarem. Memento non omnia, pater, nos posse petere: præmium accipimus, non regnum. Nescis quantum sit abolitionem petere, accusatori silentium indicere, reum eximere, leges tollere. Nec pro te tenuissem, & præmium perdidissem. Sed cujus abolitionem? meam, inquit. Animadvertitis quodammodo parricidii reum. Agam potius causam. Hoc præmium primum turpe est: deinde supervacuum. Turpe: damnaberis tuo judicio in perpetuum: quanto gravius est à se damnari? tamen alii possunt dicere, gratia victi sumus. Deinde supervacuum: innocens eras. At enim dubia est judicii fortuna: sed nobis non timenda. Diluendum judicium est: [2] invidia tantum criminis fiducia erat & in timore tuo.

1 *Non sententiam judicii, non decretum magistratus.*] Voluit auctor: *sed non sententiam judici, non decretum magistratui, non præmium forti.* Idem.

2 *Invidia tantum criminis.*] Ærodius: *invidia tantum fuit: criminis fiducia.* Malim: *in invidia tantum criminis fiducia erat & in timore tuo.* Idem.

re tuo. Itaque apparuerunt judicibus una omnia, & profuit tibi, quod abolitionem non optavi: apparuit certa innocentiæ fiducia. Ergo advocatum tuum abdicas, participem laboris? de me facile est, inveniam patrem: sed tibi timeo, soles enim periclitari.

## CCCLXXII.

## *Pulsator educatoris expositus.*

Qui patrem pulsaverit, manus ei incidantur. Talionis sit actio. Quidam expositum sustulit, pro filio educavit. Pulsatus ab eo, tanquam pater, manus incidit. Agnitus est adolescens: advocato naturali patre, cum educatore agit talionis.

### Declamatio.

SCeleratissimus omnium, judices, juvenis, ingratus, vel quia lucem beneficio meo accepit: vel quia in patrem bis parricida est, semel domi, iterum in foro, quam merito cruentas perdiderit manus, si quis adhuc dubitabit, aspiciat: iterum me in conspectu vestro pulsat: etiam truncus ac debilis, sola rabie integer, in miserum senem incurrit. Quid si haberet manus? ac ne quis illum coërcitum pœna putet, etiam audacior factus est. Debilitatem meam concupiscit, & ei præcipue corporis parti irascitur, per quam vivit. Fateor, judices, fateor præcidendas fuisse has manus, sed cum istum tollerent. Nec erubesco (quod ab isto minimum est) male audire, & crudelitatis quoque reus fieri. [1] Sane crudelem me vocet: dum se ostendat: non timeo, ne istud in me crimen credibile sit, cum misericordiæ meæ adversarius ipse monumentum sit. Nam quod pater parricidæ adest, non miror: debilem non timet, [2] aliquando crudelior, cum exposuit. Neque enim dubito

1 *Sane crudelem.*] v. c. *sane crudelitatem me vocet, dum ostendat.* Pithœus. *Sane crudelem me vocet, dum se ostendat.*] Potius *ostendit.* Gronovius.

2 *Aliquando crudelior.*] Forte: *aliquanto crudelior.* Nisi malis: *At quanto crudelior, cum exposuit.* Idem.

dubito quibusdam illum somniis & prodigiis commotum, quia videlicet [1] istum parricidam defungi utique in patrem fatale erat, ut se metu liberaret, projecisse. Ille ergo crudelis, judices, quem solus iste carnificem vocat, accessi miti vultu: misertus sum: ad summam, alienus sustuli, quem projecerat pater, nec contentus, filii loco habui. Quid hac indulgentia, quid, profecerim quæritis? effeci, ne deesset, qui pulsaret senem: ille quem præsidio sustuleram, ille quem vindicem etiam adversus alienos speraveram, tam aperte pulsaverat, ut ne inficiari quidem posset. Stultus, eadem indulgentia etiamnum perseverabam, & quærentibus amicis, à quo essem pulsatus, mentiebar. Quid tu, inquiunt, expectas, donec occidat? rapuerunt me in forum: ostenderunt verberati oris notas Iste fassus est: judex damnavit: carnifex manus abstulit nihil in illo judicio meum, nisi fletus, fuit. Dum jactatur tota civitate parricidium, invenit impietas originem suam: en, ut videtis, iterum pulsat. Talionem, inquit, peto. Quid agis? crudelitatis arguis? quem saltem pulsavi? misereri soleo etiam alienorum. Ego te, cum meus esses, debilitavi: num per vinum? num per furorem? num iratus? Talio, injuriæ ultio est. in hoc scripta est lex, ne quis impune petulans sit. Hoc ergo dicis, Me injuria abstuliisse: lege incidi: nec ego, sed carnifex. Quicquid lege factum est, vindicari lege non solet. Et qua lege? QUI PATREM PULSAVERIT. Sed tu, inquit, pater non fuisti: puta: Judicia tamen judiciis rescindi non possunt.

## SERMO.

*Hic de sanctitate judiciorum.*

## DECLAMATIO.

Sera post damnationem, innocentiæ defensio est. Istud quod nunc dixisti, ante dixisses: sed non potuisti dicere. Pater tuus eram, jure præsentis conditionis. Abdicare itaque

[1] *Istum parricidam defungi utique in patrem.*] Scribe: *parricidio.* Idem.

que potui: occidere potui: omnem poteſtatem, tanquam in filium, exercere. Miraris? nec ille potuit contradicere, qui pater erat. Non eras, inquit, naturalis. Tanto igitur plus merueram: alienum ſuſtuleram, cum eſſent, qui ſuos projicerent. Sed ut non fuerim, tu tamen putaſti patrem. Lex autem mentem punit. ut ſcias verum eſſe hoc, impetravi. Sed tu, inquit, ſciebas non eſſe filium tuum. Poteram quidem ſcire: ſed meritis pater eram, ſed tu tanquam patrem cecideras. Sed teſtor, nolui: expoſitum quoque collegeram: indignati ſunt amici: ipſe faſſus eſt. Quid nunc facies? præcides manus, quæ te ſuſtulerunt?

## CCCLXXIII.

### *Ornamentis redemptus.*

Abdicare liceat. Sepulcri violati sit actio. Amiſſa uxore, & defoſſis in ſepulchro ejus ornamentis, ſuperduxit filio novercam. Captus à piratis pater, de redemptione ſcripſit. [1] Morante filio, uxor à ſepulchro prioris uxoris, eruit ornamenta, & miſit. Ob hoc à privigno ſepulchri violati accuſata, & damnata eſt. Pater redit, & abdicat filium.

### Declamatio.

Antequam parricidium, inertiam objicio. Non es peregrinatus, etiam me peregrinante. coactus ſum tuas vices ſuſtinere. Sed dices non totam domum in periculum committi debuiſſe. remanſiſti, ut redimeres patrem captum: deſeruiſti: maximum crimen, imo parricidium. Quantum in te fuit, occiſus ſum, & graviſſimis quidem tormentis. Neque eſt, quod paupertatem excuſes: impietas fuit. [2] Moraris: & quid facis? ut ſciam occiſum accuſas. Hoc vacat? & quam accuſas? uxorem meam. Sepulchrum, inquit, violaverat. Quid ad te? mea injuria eſt: ego

1 *Morante filio.*] Vet. cod. *orante*, male. *Pith.*

2 *Moraris. & quid facis? ut ſciam occiſum.*] Rhodius: *Moraris: ſed ad quid hoc facis: ut ſcias me interim à piratis occiſum. Quid poſtea? ſepulcri violati accuſas. hoc adeone vacat.* Anceps & periculoſa hæc corrigendi ratio. Fortaſſe: *Moraris. & quid facis, ut ſciam te non otioſum? Accuſas. hoc vacat?* Gronov.

ego vindicabo. Sed ne ego quidem debeo: recte violavit. Ut scias, inquit, peccasse, damnata est. Miraris, absente viro? Ego te uxor damnavi, optima fœminarum: sed vindicabo.

## CCCLXXIV.

## *Abdicatus hæres ob tyrannicidium.*

[1]ABDICATUS DE PATERNIS BONIS NIHIL HABEAT. Quidam hortatus est in tyrannicidium filium, nolentem abdicavit. Moriens scripsit hæredem, qui tyrannum occidisset. Abdicatus occidit: petit bona.

### DECLAMATIO.

ABDICATUS, inquit, NE QUID DE BONIS PATRIS CAPIAT. Paterna hæc esse bona constat: abdicatum te esse æque patet: quæ ultra quæstio est? Hæredem, inquit, scripsit tyrannicidam, ego autem tyrannum occidi. Nihil refert, an aliquod jus postea acquisieris: filii perdidisti. Lex enim, quæ abdicatis paterna bona negat, per omnia illos amovet. Supervacuum namque erat, abdicatum submovere, qui alioqui perdiderat paternam domum. Igitur lex ista scripta est, ne qua lege reverti in domum

1 *Abdicatus, de paternis bonis nihil habeat.*] Hujus legis meminit Quintilianus lib. 3. Institut. orat. capite, Quid sit status, ad finem. Quoties (inquit) aliud alii petitori opponitur, dissimiles esse status necesse est, ut in illa controversia, Testamenta legibus facta, rata sint. Intestatorum parentum liberi hæredes sint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat. Nothus ante legitimum natus, legitimus filius sit: post legitimum natus, tantum civis. In adoptionem dare liceat. In adoptionem dato redire in familiam liceat, si pater naturalis sine liberis decesserit. Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, sustulit nothum: instituto hærede abdicato, decessit. Omnes tres de bonis contendunt, &c. Diserte & paucis hanc controversiam illic tractat, & adeo ex harum declamationum more, genere loquendi, & modo & ratione legum, thematis, & locorum seu argumentorum, ut facile has Quintiliani declamationes esse quilibet affirmare audeat. Similis quoque est illa, lib. 5. cap. 10. Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisse Thebanos continebatur, &c. Illa item controversia (quæ quasi ex hoc declamationum volumine, si omnes haberemus, transcripta videretur) de rustico & diserto lib. 7. cap. 3. & alia de eo qui meretricem in matrimonium duxit, & ex ea natum abdicavit lib. 11. cap. 1. Si ergo hos locos cum illis, & Quintilianum ipsum, cum aliis declamatoribus comparaverimus, apparebit, & quam sit hîc sui similis, & reliquos quam longe superarit & vicerit. *Ærodius.*

domum posset. Licet ergo sis tyrannicida, non prodest tibi. Nec ulla lex reducit, quem aliqua excluſit: & ſemper, judices, potentior lex eſt, quæ vetat, quam quæ permittit. NE QUID, inquit, EX BONIS CAPIAT. Hoc etiam in magiſtratuum poteſtate ſervatur: & plus poteſt, inquit, unus qui vetat, quam omnes qui jubent. In permittente enim, libera poteſtas: in vetante, pœna eſt. Deinde hæc lex publica eſt, ad omnes pertinet: teſtamentum privatum eſt. Potentius eſt, quod in albo lego, quam quod in teſtamento. Sed pater, inquit, voluit me eſſe hæredem, & ideo tyrannicidam ſcripſit, quia ſciebat me facturum tyrannicidium. Falleris: te namque minime voluit: nam ſi voluiſſet, ſcripſiſſet, Filius meus, ſi fecerit tyrannicidium, hæres mihi ſit. Nunc autem apparet dolentem, iratumque ſcripſiſſe: & adoptare in locum filii, tyrannicidam voluiſſe, quia in virtutem tyrannicidæ, filium excitare non poterat. Iratum timido fuiſſe: abdicavit. Nunquam leviter excandeſcunt patres: & qua cauſa? quod tyrannum non occideras. Vides, quemadmodum inertiam execratus ſit, [1] ne judiciis quidem malis excitatam. Tantum abdicavit? imo non reduxit. Paſſus eſt exulare: ne moriens quidem miſeritus eſt: etiam teſtamento exhæredavit, etiam alios adoptavit.

SERMO.

*Ultimæ partes æquitatis.*

DECLAMATIO.

Tamen, inquit, tyrannum occidi. Puta te meruiſſe: habes præmium à republica. Illud virtutis præmium debet eſſe, hoc inertiæ ſupplicium. Sed quando occidiſti? teſtamentum te excitavit.

SERMO.

*In ultimo tuenda mortuorum judicia: commendabimus judicibus teſtamenta. Nullam autem majorem illi fieri poſſe injuriam quam ſi hunc hæredem habuerit.*

CCCLXXV.

1 *Ne judiciis quidem malis excitatam.*] Lege, *ne publicis quidem malis excitatam.* Idem

## CCCLXXV.

### *Fortis, filius proditionis rei, frater desertoris.*

Proditionis reo patre, alter ex filiis deseruit, alter fortissime pugnavit. Rogavit pater, ut abolitionem suam optaret. Ille fratris impunitatem optavit: & in judicio affuit patri. Pater absolutus abdicat. ille C. D.

### DECLAMATIO.

FAteor, non possum lusus arguere, qui donari ætati possunt. Non est luxuriosus, sed contumax: hæc minus ferenda sunt vitia. Dicas licet fortissimum. quid mihi prodest, [1] si magis patrem non temnis? Mea, inquit, lex est. Quicquam tibi me vivo tuum est? Ego te in aciem misi, mea est virtus, mea lex, mea optio. Non iniquam rem postularem, si dicerem, Amicum reum vindica: [2] quid si patrem, etiam innocentem? Urget conspiratio. Sed turpis est, inquit, abolitio. Quid ad te? Ego meæ conditionis arbiter sum. Sed, inquit, supervacua erat: innocens eras: quid autem? Ego quia nocens eram, petieram? verebar fortunam judiciorum & exempla. Sed fratris, inquit, salutem optavi. Jam ergo noli dicere. Supervacua abolitio fuit: alium enim mihi prætulisti: & innocenti nocentem: reo damnatum, qui certo perire debebat. Si misereris tuorum, eos saltem adjuva, de quibus judex etiamnum dubitat. Quid ergo, inquit, periisset? Si me interrogas, occupatus sum, non audio. Si patriam, desertor est. Quædam, judices, comparatio minuit: per se crudele fuit, perire fratrem: sed comparatum mihi, tolerabile. Quid ergo? Ego periissem? Fratrem, inquit, servavi. Itaque [3] nunc frater te abdicat: ille beneficii gratiam debet,

1 *Si magis patrem non temnis.*] Ærodius: *patrem contemnis?* Forte: *si magis patrem hoste temnis.* Nam fortis viri est hostem temnere hactenus, ut eum non metuat. *Gronovius.*

2 *Quid si patrem, etiam innocentem? Urget conspiratio.*] Sic & Ærodius. Ut sensus appareat, distingue: *Non iniquam rem postularem, si dicerem, Amicum vindica: quid si patrem? Etiam innocentes urget conspiratio.* Idem.

3 *Nunc frater.*] Vet. cod. *fra.* vid. leg. *pater.* Pithœus.

debet, ego peccati pœnam. Sed quid si non pietati serviſti, ſed ut me occideres? quantum in te fuit, damnatus ſum. Adfui, inquit, [1] alioqui abdicareris tantum.

## CCCLXXVI.

### *Expoſitus juratus ob nuptias educatoris filiæ.*

[2] Quidam moriens adoleſcenti, quem pro filio educaverat, indicaturum ſe veros parentes pollicitus eſt, ſi juraſſet ſe filiam, quam relinquebat, ducturum uxorem: Juravit adoleſcens: [3] ille deceſſit: poſt mortem educatoris, à naturali patre receptus, quia non vult orbam divitem ducere uxorem, abdicatur.

### Declamatio.

ABdicat tam cito? ſi non eram idoneus, non eram recipiendus. Tam exiguo tempore quid peccare potui? etiam ſi quid peccavi, ignoſce: nondum novi mores tuos. Novitiis etiam ſervulis ignoſcitur. Sed quid objicis? Uxorem, inquit, non ducis, quam volo. Quid tum? neſcis noſtri arbitrii eſſe matrimonia? Affectus noſtri vobis non ſerviunt. Non potes efficere imperio, [4] ut vel amem quem velis, vel oderim. Matrimonium vero tum perpetuum eſt, ſi mutua voluntate jungitur. Cum ergo quæratur mihi uxor, ſocia tori, vitæ conſors, in omne ſeculum mihi eligen-

1 *Alioqui abdicareris tantum.*] Ærodius: *Affui (inquit) alioqui. abdicaveris tamen.* Rectius Pithœus. Senſus: ſi non adfuiſſes, abdicareris tantum. non etiam reſponderes. nihil foret, cur recuſares abdicari. *Gronovius.*

2 Quintilianus lib. 7. cap. 2. Quædam in ſcholaſticis controverſiis ponuntur, ad conjungendam modo actæ rei ſeriem: ut, Pater, expoſitum qui agnoverit, ſolutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare. Qui expoſitum recepit, imperat ei nuptias locupletis propinqui: ille ducere vult filiam pauperis educatoris. Lex de expoſitis, ad affectum pertinet, judicium pendet ex lege abdicationis. *Ærodius.*

3 *Ille deceſſit.*] Sup. pater educator. nam *duxit*, pro *dixit*, reponere omnino non poſſumus: cum ex ſequentibus, & ex adducto illo à me Quintiliani loco, appareat, non id agi, ut eâ, quæ jam ducta ſit, repudiata, orbam divitem ducat: ſed pater unam ducere filium jubet, vult filius alteram. At ut vero ita legendum eſt, *Ille dotem dixit:* quantacunque videlicet à paupere educatore dici potuit. Ulpianus tit. de dotibus, Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur, &c. Cicero pro Flacco, Quæcunque ſine tutore auctore dos dicta eſt, nulla eſt. *Idem.*

4 *Ut amem, quem velis.*] Immo *quam velis.* Gron.

eligenda est: alioqui quid proficis invitum cogendo? repudiabo. [1] At enim, inquit, lege cogeris orbam ducere. Quid? tu illius patronus es? sine me illi respondere. Si potest, lege illa cogat: interim noli mihi patriam majestatem opponere. Sed nimirum non potest cogere, & ideo non cogit, alioqui forsitan illi responderem, [2] non habere orbas privilegium, sed vacuis, inducere nuptias non occupatis. Quid ergo, inquit, orbam non ducis? Gaudeo, pater, quod misereri fortunæ potes: & hæc orba est, & hæc patrem perdidit. Fortuna similis, indulgentia propior est. In eadem domo educati sumus? novi mores, probo vere-

1 *At enim* (inquit) *lege cogeris orbam ducere.*] Quintilianus lib. 7. cap. 5. Huic parti subjungit Virginius causas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbarum nuptias indicentium. Lex fuit Athenis, qua utroque parente orbata, cui opima & opulenta successio evenerat, eam, ut ordinum dignitas familiarumque salva esset, proximus agnatus, aut cognatus ducere cogeretur: lex item altera, ut si qua indotata & egens orba esset, eam aut uxorem ducerent agnati & proximi, aut dotatam alii collocarent. Quem morem conqueritur Aristoteles lib. 2. Politic. cap. 7. suis adeo temporibus vix observari, & orbam cuilibet jam, neque ex lege collocari. Gr. ἐπίκληρος ἡ ἐπικληρία appellatur. Demosth. κατὰ στεφάνου, ὁ νόμος κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῇ ἐπικλήρου ἀπτοσῶν καὶ ξένων καὶ ἀστῶν. & postea, τῇ ἐπικλήρου ὅστις τὸ ἀγχιστεῖον τελεῖ, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγυτέρω γένους, ἐκδιδότω ἐπίδικος, &c. Terentius in Phormione,

*Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,*
*Eis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.*
*Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam, &c.*

Item act. 2. sc. 1.

—— *Verum si cognata est maxime*
*Non fuit necesse habere: sed id quod lex jubet,*
*Dotem daretis: quæreret alium virum.*
*Qua ratione inopem potius ducebat domum?*

G. *Non ratio, verum argentum deerat, &c.* Ex his apparet cur Virginius has causas orbarum nuptias indicentium, materias officiorum appellaret. Hîc vero juvenis abdicatus respondet, se ab orba illa divite cogi non posse, vel quia proxima non esset, nec generis ejusdem aut familiæ: vel quia si orbæ id ex lege possunt, non tamen inter eas, una majus altera privilegium habet: hîc vero utraque orba est, licet non ambæ divites. nec si privilegium habent, eo adversus eum utuntur, qui jam alii mulieri pactus est, aliisque nuptiis occupatus: qualis hic est, fide jam maritus & sacramento. *Ærodius.*

2 *Non habere orbas privilegium, sed vacuis.*] Ærodius: *sed agnatis indicere.* Præclare *indicere.* Reliqua ita sunt concinnanda, ut aut deleatur particula negandi, aut pro *sed* scribatur *nisi.* Utroque enim modo constat sensus, qui requiritur. *Non habere orbas privilegium, nisi vacuis, indicere nuptias.* Et, *responderem, habere orbas privilegium, sed vacuis, indicere nuptias, non occupatis.* Et hoc posterius magis placet. Fortasse & malis *indicendi.* Gronovius.

bo verecundiam, probo genus. Quid si mihi à patre commendata est? quid si rogatus sum? quid si etiam juravi? vis me fidem non præstare? & cui? qui me sustulit, qui patrem egit, qui te mihi patrem dedit: quemadmodum rogavit, non est quod dicas. Ego cogo: æque tamen pejero. Et quales futuræ nuptiæ, quæ perjurio junguntur?

### Sermo.

*Ultima comparatio puellarum: illam esse divitem, facile inventuram maritum: hanc, in totum destitutam: & nunc vero orbam, si eam hic quoque deserat? referendam esse gratiam expositos colligentibus.*

## CCCLXXVII.

### [1] *Vocatus à patre in militiam, venenum terens.*

Parricidii sit actio. Pater filium in militiam vocavit, ille ornatus donis ad patrem rediit, adhibitis amicis petit à patre, ne se amplius mitteret: non impetravit. Iterum fortissime pugnavit: rediit: terens venenum à patre deprehensus est. Interrogatus, dixit se mori velle. Parricidii reus est patri.

### Declamatio.

PArricidii reus sum. Quædam crimina ipsa magnitudine fidem non impetrant. Parricidium aliquando legem non habuit, nec immerito. Quis enim facile vinclis naturæ exolvat? Vos estis, qui nascentes excipitis. Itaque ad tantum nefas, magna oportet serie parricida veniat, & per hominum Deorumque contemptum, ad ultimum nefas conscendat. Quid hoc est, judices: maximum omnium reo crimen objicitur, & solum: non circunscriptus amicus: cessant etiam familiaria adolescentiæ crimina: & ne in scortis quidem reus male audio. Plus fortasse quam putatis, judices, pollicebor: non quemlibet ex illis subselliis, sed accuratorem ipsum, laudatorem dabo: nunquam abdicavit. Quid ni non abdicaret? cujus non solum innocentiam, sed

1 *Vocatus à patre.*] Vet. cod. *Locatus.* Pithœus.

sed etiam virtutem cognoverat? Facinus indignum: inter speciosa militiæ opera, impietatis privatæ reus sum, sponsor salutis publicæ. Non sunt ejusdem pectoris vitia & virtutes. Etiam pro alienis patribus dimicare soleo. Sed forsitan non solum puram, sed etiam speciosam innocentiam gravet in parricidium causa: nunquid abdicaveras, & exuere naturalem indulgentiam prior docueras? An etiam hæreditatis cupiditate volebam te occidere? scilicet immensis luxuriæ oneratus damnis. An infeliciter te jubente pugnaveram & inertiæ pœnam verebar? Imo, inquit, invitus militabas. Sic fit ergo, ut quisquis hostem timet, patrem occidat. Ergo iners sum: atqui parricida non solum audax debet esse, sed etiam temerarius invitus. Quid ergo? rogare non possum, [1] ad preces decurrere, non ad venena, iterum allegare amicos non possum? denique perseveras, mori non possum. Finge enim qualem te velis esse, crudelem? & hunc judex vindicabit: & propter hunc occidit filium. Sed melius ego de te judico. Puto te omnia indulgenter imperare filio. Avida est gloriæ paterna pietas. Nostra tyrocinia timidiora sunt. Nunquid offenderis, si te laudo. Sed ne tali quidem patri parco. Quemadmodum occidere volo? conducam percussorem? insidiabor peregrinanti? nihil horum est. Meas manus inquino, & sic paro venenum, ut deprehendar? Secreta sunt parricidarum scelera. Cur ergo, inquit, venenum habuisti? O miseram liberandæ adolescentiæ meæ sortem, & malis quoque ipsis tristiora remedia! Excusandum est, quod ne diluerem, mori volueram: & ultimæ cogitationes revocantur ad judicem. paulo minus quam post fata arcessor reus. Sed ne fallam te, pater, respondebo verbis fortunæ meæ, respondebo quod soleo, id est, non alius reus quam filius mori volo. O quanto facilius tibi mortis causas, quam parri-

1 *Ad preces decurrere, non ad venena.*] Sic Pithœus. Nam Thaddæus: *decurrere non ad venena iterum.* Erodius: *non ad preces decurrere, non ad genua.* Scribe: *rogare non possum? ad preces decurrere non audeo? iterum allegare non possum?* Gronovius.

parricidii reddam! imo passim objectas & publicatas, tantum non transibo. Mori volui. quæris quare? quia natus sum ad miserias hominum, incendia, naufragia, bella. Felices, qui suo arbitrio moriuntur. Scipio, inquit, bene habet, puto quia ultra pugnaturus non erat. Cato num & ille peccavit? idem feci quod Cato. [1] Ad quietem hoc interest, & dulcis quædam ad securitatem via. Quare mori voluerim quæris? [2] en, quia vivam reus sum: quare mori volui. Vides enim, ex voto adolescentiam egeram: nihil unquam me offendit: [3] quanquam interim & secunda ad usum meum faciunt, quicquid rogavit & pater, etiam solus exoravi. Pace majestatis tuæ dictum sit, non omnes tam fortes sumus, non omnes bella sustinere possumus. Sed non quisquis occidere hostem non potest, continuo patrem potest. Varia sunt ingenia: alii otio delectantur: [4] ego tecum volebam militare. En parricidam, sub judicio tuo vivere volo, in hoc etiam ambitiosus apud te, pater, amicos adhibui. Sed postquam jussus sum, obsequendum est, inquam patri, eamus in bellum. Quid habeo quod pro me timeam, si de filio pater securus est? vidi alios sterni, alios fugari, universos [5] exercitus cædi, dedi. me periculo, subjeci, tanquam vilis mihi, fortunæ, & ideo puto, miser vici. Tum vero in æstimatione periculorum ac vulnerum,

Quid

1 *Ad quietem hoc interest.*] Lego: *Ad quietem hoc iter est, & dulcis quædam ad securitatem via.* Idem.

2 *En, quia vivam. Reus sum.*] Scribe: *Quare mori voluerim, quæris? en! quia vivo, reus sum. Quare mori volui?* Neque enim fecerim cum Ærodio: *Quare? quia mori volui.* Idem.

3 *Quamquam interim & secunda.*] Hæc fœdissime sunt contaminata. Sensum video, verba an divinando assequi possim, haud scio: *Quare mori volui? Vides enim. ex voto adolescentiam egeram. nihil unquam me offendit. quicquid incepi, secundavit eventus. fecit, quicquid rogatus est, pater. etiam solus exoravi.* Perpetua ironia est. Omnia enim contraria evenerant. & ideo causas moriendi sibi fuisse significat. τὸ *vides enim* illustravimus ad M. Senecæ contr. 12. *Idem.*

4 *Ego tecum volebam militare.*] Forte, *laborare.* Idem.

5 *Exercitus cædi, dedi me periculo, subjeci.*] Ærodius: *dedi me, me periculo subjeci.* Ego hic nihil moveo: sæpe enim exercitus integri in deditionem venerunt: sed sequentia non placent. Scribe: *me periculis objeci, tanquam vilissimæ fortunæ: & ideo, puto, miser vici.* Intellige: *tanquam vilissimæ fortunæ homo*, vel, *aliquis.* Idem.

Quid hic, inquam, nemo vincere potest, nisi mori voluerit? Redii in domum patris, nulla erat missio, ne post victoriam quidem. Si necesse est, moriamur, inquam, sed domi: ibi certe pater sepeliet, inter hæc tamen, paternam clementiam sperans, videat inquam, pater, deprehendat, qui roganti non credidit, morienti credat. Ipse me cum veneno obtuli, ut essem miserabilis. Sed, ut video, crudeliorem feci patrem: & non intelligo. Filium perire voluisti, cum in aciem misisti: si perseveras, venenum redde: liceat meis instrumentis mori. Sed miserere heredis, miserere viri fortis: judicio impetrem, quod per amicos exorare non potui.

SERMO.

*Hoc est difficillimum in hac controversia, quod in eadem conditione & parricidii, & mortis, est militiæ metus: quem si inficiamur, non habuimus, cur ipsi vellemus mori: si fatemur, habuimus, cur patrem vellemus occidere. medio igitur temperamento opus est.*

## CCCLXXVIII.

## *Auctor pacis abdicandus.*

Victa duobus præliis civitate, tertia instructa acie, pollicitus pacem adolescens, si permitteretur sibi cum duce hostium loqui, post discessum eorum, quia non indicat patri, abdicatur.

DECLAMATIO.

NOn esse privilegium parentibus datum mentior: datam esse video liberis respondendi potestatem, & de abdicatione judicem cognoscere. Dico igitur certa esse, quæ imperent patres, navigationem, militiam. Quædam excipi, senatoris, magistratus, judicis sententiam: & liberos esse, quia cives. Hanc vero novam legem, Silentium crimen esse, cum abdicetur procacitatis petulantia sub hoc patre tacere non licet. Finge te quærere, quid amico deliberanti suaserim, extorquebis? quare judex reum damnaverim? quam rationem senator in sententia secutus

sim? Isto modo leviſſimis quoque cauſis expellemur, & utcunque delicatis viſum fuerit, teſtamenta perdemus. Abdicas. Amavi? potavi? & fortaſſe iſta donaſti. Tanti ſupplicii quod crimen eſt? Non indicas, inquit, quid locutus ſis. Finge nolle: licet. Magiſtratus non exigit, patria non exigit, ſi proditorem putas, accuſa. Sunt quædam ſecreta, judices, & animi parentum imperiis vacant.

## CCCLXXIX.

### *Dives à paraſito ſacrilego reus cædis.*

Pauper & dives inimici. dives pauperem quodam tempore cum uxore occiſum, adulterii crimine in publicum abjecit. Poſtea dimiſſus ab eo paraſitus in ſacrilegio deprehenſus, è lege tortus, inter alia dixit, à divite pauperem illum inimicum injuria occiſum. Dives cædis reus eſt.

### Declamatio.

REo cædis quid objicitur? petulantia, improbitas, circunſcriptio? Iſta ne pauper quidem objecit: nec potuit latere anteacta vita ſub ejuſmodi inimico, quem uſque eo vehementem dicitis, ut mea manu eſſet jugulandus. Sed inimicum occidi. Quem? pauperem, qui nihil in curia, [1] nihil in concione poterat. Inimici ſunt ex pari. Sed puta inimicum fuiſſe, ſtatim ad cædem confugiendum eſt? verborum contentiones armis finiuntur? etiam hoſtibus parcitur. Cæſar Catoni voluit ignoſcere. Deinde mea manu occido. [2] Tam efferati animi ſum? non venenum eſt, non percuſſor, & dives ſum? Deinde cum uxore? ne illi quidem parco. Deinde quemadmodum rapio? de publico? non clamat, non Quiritum fidem invocat? & tanti facinoris paraſitum conſcium advoco, & eundem poſtea ejicio: non timeo indicem? Quemadmodum ergo, inquit, uxorem corrupit? alieni facti rationem à me exigis. Quî ſcio an

1 *Nihil in contentione.*] Malim, *concione.* Pithœus.

2 *Tam efferati animi.*] Vet. cod. *aſſerenti.* Idem.

an hoc genere vindicare se voluerit, qui aliter, non poterat? Pauper, inquit, fuit. Quasi tantum pretiis mulieres corrumpantur, præsertim divites: imo illecebris & blanditiis magis capiuntur. Utique si quis domesticorum adjuvit, per parasitum factum: & ideo ejectus, ideo à nullo receptus, quod eum læsisset, à quo liberalissime exceptus est. At enim dixit parasitus. Primum unus testis est; deinde parasitus. Tortus dixit. Eo minus credo; mentiuntur plerunque torti. Deinde hic habuit mentiendi causam, quod expulsus est, quod sacrilegium propter inopiam admisit. Astiti præsens: inde ille exarsit validius & fefellit: hinc reus factus sum.

## CCCLXXX.

### *Crux scripta servo non danti venenum.*

DE INJUSTO SUPPLICIO TRIBUNOS APPELLARE LICEAT. Æger à servo, cui libertatem scripserat, venenum petit: nolenti dare, crucem scripsit. Hæredes volunt supplicium sumere, servus appellat Tribunos.

#### DECLAMATIO.

TEstamento, inquit, cautum est. Ideo Tribuni cognoscunt, non utrum scriptum, sed quare scriptum sit. Crux scripta est: quare? quid commisit? anteactam vitam scrutemur. Video illi prius libertatem fuisse scriptam. Quid igitur tam subito peccavit? nunquid venenum dare domino voluit, quo citius libertate frueretur? in contrarium incidi, non periclitaretur, si dedisset. Petenti, inquit, domino non dedit.

#### SERMO.

*Quæstio an omnibus imperiis parendum,* [1] *an ægro, an huic imperio: hic primum non debuisse: deinde non potuisse parere: ultima supplicii figuratio, sub ejusmodi titulo.*

## CCCLXXXI.

1 *An ægro? an huic imperio.*] Forte: *an ægri?* Gronov.

## CCCLXXXI.

### *Novercatortafiliamconsciamdicens.*

Venefica torqueatur, donec conscios indicet. Quidam filio superduxit novercam, & ex illa aliam filiam suscepit. Amisso filio, ambiguis signis, uxorem ream fecit: confessa illa in tormentis communem filiam consciam dixit. Adest filiæ pater.

### Declamatio.

UT sciatis, judices, nocentes tantum à me veneficii reos fieri, & hanc non immerito præteritam, [1] profert à sinu nutricis ream. Non peccant hi anni, ne in novercis quidem: Parvulæ serpentes non nocent: feræ etiam mansuescunt. Persona, virgo est: causa, soror: quam valde à fratre dilecta est? quemadmodum mortuum flevit? [2] Sed mater, inquit, consciam habuit. Primum sceleratis naturale est, alienam conscientiam fugere: deinde si quærant, adjutores quærere. Quod autem adjutorium in puella esse potuit? emit venenum, an confecit, ut fratri daret? Quid? ipsa privigno non potuit dare?

### Sermo.

*Hic verba matris, appellantis filiam: illius, expavescentis timorem.*

### Declamatio.

Ego certe interrogavi: quid est, inquit, venenum? Cur ergo dixit consciam? ut me orbaret. Nihil dulcius est ultione, læsæ. Et prorsus non frustra hoc cogitavit: certe si non aliud, judicio patrem torquet.

CCCLXXXII.

1 *Profert à sinu.*] Vet. cod. *proferre à sinu.* Pithœus. *Profert à sinu nutricis ream.*] Lege: *profero.* Gronovius.

2 *Sed mater, inquit, consciam habuit.*] Corrige: *Sed mater inquit: consciam habui.* Idem.

## CCCLXXXII.

## *Tyrannicida conductus.*

CUJUS OPERA TYRANNUS OCCISUS FUERIT PRÆMIUM PETAT. Dives ſenex, adoleſcentem robuſtum in tyrannicidium pecunia data conduxit : occidit adoleſcens tyrannum : certant de præmio.

### DECLAMATIO.

CUjus opera? inquit. Operam puto laboris eſſe, prælii, armorum. Tu, quam dicis operam? conſilii. Atqui nemo, ut propoſuit ſibi tyrannicidium, continuo tyrannicida eſt. Tuum ipſum conſilium quid profuiſſet citra manum meam? Ergo operam lex deſiderat: ideo tantum concedit præmium. Atqui ſi hæc opera eſt, ego pugnavi. Sed ego, inquit, conduxi. Puta nempe, conduxiſti, ut tyrannicida eſſem, tanquam ſi conduxiſſes, ut gladiator aut hiſtrio eſſem: ſi conduxiſſes, ut hominem occiderem. nempe & ego tenerer. Non tua ſponte tyrannicidium feciſti. Age, ſi hortatus eſſes in tyrannicidium, præmium peteres: ſed tu me propter mercedem tuam putas tyrannicidium feciſſe? tantum meritum mercenariæ operæ imputas? Non eſt humilis pectoris libertatem publicam capere. Etenim ſi tua merces movere me potuit, multo magis præmium movit: & ideo ad me veniſti, quia intellexiſti à vultu cogitationem tyrannicidæ. Cur ergo, inquit, mercedem accepiſti? non cupiditatis cauſa, ſed pignoris: quia tentari me putavi, & te à tyranno ſummiſſum. Quid ergo, duo præmia feres? ideo tyrannicida ſum, ut tu. Jam habes præmium, patrimonium, liberos, tyranni mortem deſideratam.

## CCCLXXXIII.

## CCCLXXXIII.

## *Rapta male tractata.*

Quæ virum malæ tractationis damnaverit, duplam dotem recipiat. Si indotata nupserit, litem æstimet. Rapta nuptias optavit, postea virum malæ tractationis damnavit: litem morte æstimat.

### Declamatio.

Nimio amore, & sollicita inquisitione hic offendit uxorem. Venit illa in forum gratiosa: ne nos quidem obstitimus, quo minus vinceret, ut sciremus quanti dotem æstimaret. Judices dixerunt. Quid nos intercedimus? Optime ipsis conveniet: hæc tamen, ne sine causa in forum videatur venisse, ferat aliquid solatii: bene credimus illi ejus patrimonium, cujus capiti pepercit. Veneramus hilares ad æstimationem. At ista, Quid mihi, inquit, cum pecunia est? mortem desidero: putat se, ut occideret, vicisse, quæ vicit, quia non occiderat. Obsequendum est tibi, adolescens: nihil in mulierem dicam, sed patiaris causam tuam defendi. Dicimus pecuniarias lites esse: litigatorem esse, non reum, non qui de capite sortiatur: illud judicium, vocari quæstionem, quidlibet potius quam litem. Æstimet, inquit. Quam familiare, quam quotidianum verbum est? si quid commodatum non redditur, nota sunt verba postulantium, Quanti æstimet. Ergo pecuniarium verbum est: huic tu mortem putas subjici? Veneficus exulat, alii scelerati mitius puniuntur: malæ tractationis damnatus occidetur: Mea inquit, æstimatio est: imo judicum. [1] Tua in una lege est, quam habuisti: & lex ubi perire vult hominem, aperte significat: Desertor occidatur.

### Sermo.

*Ultimæ sunt preces, ut exoretur mulier.*

Decla-

1 *Tua in una lege est.*] Malim, *tua, in bona è lege est.* Pith.

DECLAMATIO.

Serves munus: nam removeas licet secures, si iraſceris, morietur alioqui. putas illum dilaturum nuptias tuas. Denuncio, iterum rapiet.

## CCCLXXXIV.

### *Virgo immolata peſtilentiæ.*

In peſtilentia reſponſum eſt, virginem immolandam. Sorte ductam pater virginem negavit. Magiſtratus immolavit: non finiebatur peſtilentia: iterum ſortiti ſunt: altera immolata eſt: ſedata eſt peſtilentia. Prioris patri magiſtratus reus cædis eſt.

COLORATÆ.

SOrtem filiæ tuæ Deus inter virgines eſſe noluit: ſed tranquam alienæ turbæ exemit.

## CCCLXXXV.

### *Lenoni reus, qui meretrici amatorium dedit.*

DAMNI INJURIA DATI SIT ACTIO. Adoleſcens cum amaret ancillam meretricem, & multa ei donaſſet, amatorium ei dedit: videbatur amare ancilla adoleſcentem: agit leno cum eo, damni injuria dati.

DECLAMATIO.

SIquis utramque partem inſpexerit, intelliget profecto, ex utra parte ſit damnum. Nam lenonis impudentiam ſatis admirari non poſſumus, qui non contentus in lupanari venditare ancillam, in foro venditat, quo plures amatores inveniat. Quod ſi aliquid valet amatorium, fateor, hic bibit.

SERMO.

*Rei geſtæ ordinem cui neceſſe eſt exponere, in ejuſmodi perſona neceſſe eſt erubeſcere. Quæſtiones illæ ſunt, an leno damni injuriæ dati agere poſſit, an impune illi injuria fieri: an cum ſuam injuriam non poſſit vindicare, mancipii poſſit:* [1] *an ſi mancipii non poteſt, proſtituti poſſit. Quid ſit damnum datum eſſe: cum quis non habeat.*

1 *An ſi mancipii non poteſt, proſtituti poſſit.*] Potius, *proſtitutæ.* Gronovius.

*habeat, quod ante possederit. Etiamnum, ut in primo loco comparatio personarum, utrum credibilius sit adolescentem intulisse damnum, an accepisse. Felicem esse ætatem, si servare possit sua: & lenonem circumscriptum quis crediderit.*

## Declamatio.

Quanquam ut fecerim damnum, merito relata tibi talio est, propter quem damna omnes faciunt. Leno est publicum damnum. Atqui tuam ancillam habes. Malo, inquit, exemplo datum est.[1] Quid ni ait civitatem stare non posse, quia meretrix amet. Amatorium, inquit, dedisti. Damni agis, & veneficium objicis.

## Sermo.

*Hîc an amatorium effectum habeat. Quid enim si deformis det, si debilis, si cæcus, si pro absente? nunquid enim mandata medicamentum accipere? & illud prius. Quomodo animum mutet, quod corpori non noceat, per quod transit? & mutat animum, ut indulgentiam præcipiat, isto modo lenonem divitias in manu habere. Cur ergo, inquit, dedisti? Multa miseros etiam sine ratione tentare. Huic, cum tristis esset, superveniisse anum: monstrasse: hunc, antequam daret monstratam potionem, ne quid noceret, priorem bibisse: reum autem sub hac culpa esse, quod non tacuerit. Ultima figuratio, quemadmodum leno damnum æstimaturus sit: nimirum voluisse æstimare ancillam, & fortasse huic vendere. Supra etiam illud quæremus, unde intelligat amare ancillam. Quod sæpius veniat. Hoc illam sæpe feciisse dicet: nempe amat,[2] sine illa non potest vivere: hoc est miseri juvenis amatorium. Et illo loco dicemus, Non posse illum aliquando damnum sentire, qui nullo labore tantos quæstus faciat. Invidendum illi, nisi leno esset.*

CCCLXXXVI.

1 *Quidni? ait civitatem stare non posse.*] Sic & Ærodius. Atqui uno spiritu continuandum: *Quidni ait civitatem stare non posse, quia meretrix amet.* Non enim hoc dixit Leno: sed adversarius illudens parum abesse ait, quin dicat. *Idem.*

2 *Sine illa non potest vivere.*] Lege, *sine illo.* nempe adolescente. nam de meretrice loquitur. *Idem.*

## CCCLXXXVI.

### [1] *Iphicrates cum gladio.*

Reus est Iphicrates, quod vim judicio fecerit, cum Cotyn Thracum regem in id adduxisset, & gladio cinctus ipse venisset.

DECLAMATIO.

NOn tulimus tabellas, sed fugientes projecimus: non judices reum absolverunt, sed reus judices. Quid est vis? hæc fit alias patientia, alias metu, quorum alterum ad corpus, alterum ad animum pertinet. Si male judicatum est, fuit aliquid, quod judex timeret. Hoc sic probo, qualis in judicium venis? Ego illum habitum reorum noveram. Ad summam, id solent rei à judicibus petere, quod nuper judices petiere à reo, ut sibi parceret.

SERMO.

*Reus dicit, non, inquit, hoc animo feci, ut vim facerem, ideo, inquit,* [2] *gladium retuli, ut illo me, si innocens oppressus essem, interficerem.*

## CCCLXXXVII.

### *Fortis abdicans servatum.*

Desertorem filium, cujus desertoris salutem ipse fortis optaverat, abdicat.

DECLAMATIO.

DUas leges habui, viri fortis, & patris. Viri fortis legem, transtuli in patrem, patris, in virum fortem.

## CCCLXXXVIII.

### *Avia testis.*

Qui habebat matrem, duxit uxorem, ex qua natum filium, aviæ nutriendum dedit. Moriens hæredem filium fecit: substituit uxorem: dispensatorem suum manumitti jussit. Puer reductus ad matrem, & ab ea in fundo maritimo, visis piratis relictus, non comparuit. Post paucos dies [3] cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur, in idem

1 *Epicrates cum gladio.*] Immo *Iphicrates.* Idem.

2 *Gladium retuli.*] Lege *attuli.* Idem.

3 *Cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur.*] Omnino *filii.* Idem.

in idem littus ejectum, mater ductis sepelivit exequiis. Dispensator manumissus ab ea post aliquot annos negotiatum profectus, adolescentem, quem dominum diceret, apud venalitiarium repertum, judicio asserens, evicit. Cum eo revertit in patriam. Puerum agnoscit avia: negat suum mater.

## Declamatio.

CAusam, judices, probatam peregre, probatam domi, propinquis, domesticis, libertis, aviæ (facinus indignum!) matri tantum probare non possumus, usque eo se libenter credit orbatam, ut suos non nisi mortuos agnoscat. Quod si antea ignotum fuit, quantum pecuniæ cupiditas possit, victrix etiam de natura triumphat. Mulier modo cadaver, tanquam filium, complexa: nunc filium, tanquam cadaver, fugit, quæ funus suum tantum sibi credidit, gratulationem nemini credidit, infelicem puerum sola non agnoscit ex propinquis. Causam quæritis? quia vivit.

## Narratio.

Habuimus adolescentem optimum propinquum, mitissimum patronum, fideliissimum amicum: maritum vero nimium quoque uxorium: quod ignovimus. Filium sustulerat. Puer continuo ad aviam translatus est. Scilicet ab illa matris indulgentia occupata est, & hæc ablatum non indignata est. Toto illi corpore innotuit: non tamen ulteriorem aviæ notitiam profiteor, nepotem suum optime facie novit. Moriens igitur propinquus noster, testamentum scripsit breve & simplex. Nam neque diu de primo hærede cogitandum fuit, habenti filium: nec de secundo, habenti uxorem. Nec sane invidimus isti honorata viri judicia, quibus utinam gratiam referret. Neque avia captare testamentum ejus fas putavit, cui destinaverat suum. Hæc est nostra narratio, ista narret suos piratas. Non insequar eam malignis suspicionibus, nisi quod suos libentius mortuos agnoscit. Habetis narrationem pueri, habetis & matris: audite liberti. Interposito tempore, libertus notæ probi-

tatis

tatis (Deorum credo numine, quod rebus humanis, etiam qua non apparet, intervenit) peregre negotiandi causa profectus est; cum forte videt puerum venalibus interpositum, simul & agnovit, & agnitus est. Quis, inquit, vobis narravit, in quas terras delatus essem? num avia vivit? Itaque habuit puer assertorem, assertor sponsorem, peregrinus advocatos, cum ipse vultus causam ingenuitatis suæ ageret: filium istius, quid aliud dicam, quam agnoverunt? Nec mirum: nihil erat confusum. Fateor multum absentium quoque profuisse nomina, cum diceremus, Habet matrem, habet aviam. In una re, judices, mentiti sumus. Affirmavimus enim futurum, ut hunc mater agnosceret.

## ARGUMENTA.

Bona paterna filio peto. Sed ego, inquit, hæres sum. Sed hic prior hæres. Periit, inquit. Quando? apud aviam valuerat, [1] ad mortem arcessitus est? diutius captivi apud piratas vivunt. Visis, inquit, piratis, relictus, fluctibus obrutus est. Quid ais, relictus? ulli metus filii memoriam tibi excutiunt? matrem non agnosco. Quædam animalia ipso ore in periculis catulos suos transferunt: novasque illis indulgentia manus commmenta est: noxios alioqui morsus, huic uni officio mitigant. Nidulorum, si infestantur, crebra mutatio est: nec quicquam usque eo ferum est, ut non cum progenie sua migret: adeo illis, quibus omnium rerum intellectus negatus est, hic tamen affectus relinquitur. Romani generis auctor, divisis inter patrem & filium pietatis officiis, cum utrumque ad fugiendum anni deficerent, alterum tulit, alterum traxit. Mater disce fugere. Puto non miramini, cur mater non recipiat, quem tam vilem habet, ut tanquam cadaver relinquat. Primus, inquit, hæres periit. Nisi fallor, judices, in hoc controversia est, utrum fluctibus submersus sit puer, an à piratis



1 *Ad mortem arcessitus est.*] Alii, *ad matrem.* Ærod.

raptus sit. Si doceo non periisse, nimirum raptus est: si raptum ostendo, doceo etiam vivere: si vivit, nimirum hic est, quem invenit libertus, evicit assertor, judex remisit, avia recepit. Verum, ut propositum ordinem sequar, nego in mari periisse. Littus amœnitate notum, nunquam elato alluitur mari, sed molliter devexum, æquali planitie, paulatim superveniente pelago, subsedit Longo spatio ingredientem fatigat, antequam destituat. Porro, tu tranquillo mari, an æstuante progressa es? Credibilius scilicet ad hæc oblectamenta lætiores eligimus dies: horridus vero [1]decidentium undarum fragor, & exæstuantis fluctus minax facies, & tibi opportuna secundum ipsa habitandi littora, [2] non rapienda, sed expectanda obsessio est. Ita habitas, ut tibi etiam tranquillitates eligere fastidiose liceat. Sane tamen adversis tempestatibus, & sævientibus secundis offerre libuerit: ne hoc quidem periculosum. venientis enim fluctus, & consurgentis freti facies ante terret, quam decipit. Utinam quidem ejusmodi tempestatibus productus esses, puer! [3] tu potius patrem reliquisses. Denique quo tempore submersus? dum applicant piratæ, an ante? necdum scis? tam secura es? hoc matri non credo. Cur enim nemo ex pædagogis vidit? si vidit, cur laboranti auxilium non tulit, dum applicant? necesse est utique tunc fluctus vitaverit, & ipse quoque piratas fugerit. An vero eodem tempore & pirata applicat, & fluctus prædatur? Rogo vos, qui ante adventum tutus fuit, adventu piratæ periit? Cur ergo, inquit, nemo clamantem audiit? Primum vicinus undarum sævientium fragor, audientium auribus minorem excludebat sonum, deinde in tanto tumultu fugientium, præteriisse vocem non mirum

1 *Decidentium.*] Alii, *decidenti die.* & paulo post, *occasio est.* Pith.

2 *Non rapienda, sed exspectanda obsessio est.*] Alii apud Ærodium, *insessio.* Forte, *oblectatio.* Gronovius.

3 *Tu potius patrem reliquisses.*] Supple, quam matrem, inquit Ærodius. Immo lege, *matrem:* & supple, quam illa te. Tu conterritus tempestate citius illam reliquisses, quam illa te, ut rapereris à piratis. *Idem.*

rum est. Quid ita non auditus est? Ne quæso, infelici puero vilitatem sui imputaverit, quod relictus, quod desertus est. Cur non audisti? longius fugeras. Sed post paucos dies, corpus expulsum est. Quid mirum, ubi piratæ vagantur? Quid tu porro, impune sæpe maria trajici putas? non minus possum dicere alienum fuisse, quam tuum filium: signa confusa sunt: imo credibilius est, naufragi fuisse (littus enim amœnum, non infestos scopulos habet) utique post paucos dies, cum dicas expulsum: illum vero longo tempore non expulsum, sed advolutum. Quomodo autem potuit confusa facie agnosci? Ætas, inquit, conveniebat. Hoc inter argumenta mea minimum est, statura: hoc in actione loci. Quare ergo mater sepelivit? nescio, hoc unum dico, non potuerat agnosci: festinavit [1] in bona.

SERMO.

*Summovimus peregrinum cadaver: restat ut inducamus filium.*

DECLAMATIO.

Primus, inquit, hæres sepultus est. Hic ergo quis est? unde? qua fiducia? Ætas eadem est. Quid si solet quidem hoc argumentum apud te valere? Sed cur ex æqualibus nemo alius hanc spem vindicat? hoc argumentum transeo: statura suffragatur: nec hoc me movet, & tu hæc dicis. Sed hæc valeant, ubi confusus est vultus, ubi lineamenta oris, oculorum, & coloris proprietas, capillorumque habitus, omnia staturæ levia. At similitudo fecit illi animum. Age, quid si ancilla cognoscit? Est quidem humilis persona, & ei fortuna gravitatem detrahit. Sed sæpe [2] magnorum fides ex magnis venit. Quid si frugi, probata domino? Sunt etiam in his morum discrimina. Quid? ad fontem causæ per gradus venio. Libertus paternus agnoscit: frugi servos, libertos facimus: sortimur genus, non eligimus: nec ante nos nostri arbitrii sumus. Et nescio an majus

1 *In bono.*] Malim: *in bona.* Pith.
2 *Sæpe magnorum fides ex magnis venit.*] Videtur potius legendum *exparvis.* Pithœus.

jus sit facere genus. libertus viri tui, mulier, cujus judiciis gloriaris, qui te filio substituit, hunc etiam à filio manumisit: quod tibi dedit, nulli abstulit: quod huic, etiam filio subduxit. Facilius est viro placere, quam domino. Sed per se mentitus agnoscit patronum. servitutem sibi manumissus imponit? Huic (inquit) debeo manus, operas, testamentum. Vindictam magno redimere solent. Colludit, inquit, cum avia. Bene agis. Dum evertere vis testem, alterum dedisti. Convenit, inquit, illis. Proba convenisse. [1] Speraverunt effectum mendacii. Qui potuit esse sermo? Nepos meus periit fluctibus, & sepultus est. Tu tamen vade, aliquem venalem adduc, ego agnoscam, perfectum est. Non timent deprehendi? non omnia signa confusa sunt. si odit, testamentum potius dementiæ accuset; dicat subjectum, dicat falsum, accuset te quod filium ad mare duxeris: dicat, tua culpa periisse. Quare deinde tam sero post annos consilium initum est ejusmodi? Res inter initia urunt, & livor mora solvitur. Sed ad hoc proficiscitur, qua ratione alienum servum evincit: modo dicebam, libertum habeo, at jam præjudicium habeo: si testis honestior juraverit, conficitur controversia. At ego multos judices juratos dabo: causa cognita; excussa & absoluta est. Nego solvenda esse judicia: hunc esse puerum, inventi sunt, qui jurarent. Peregre, inquit. illic dicis, ubi non gratia, ubi contra hæc omnia nuda veritas stabat: hoc meum argumentum est. Quid? quod non tantum judicatum, sed etiam peregre judicatum est, ubi non propinqui, ubi vix quisquam erat, qui patrem hujus nosset? At hercules, quale domi judicium est? ibi solus libertus vicit: hic & avia defendit. Dedit, inquit, libertus pecuniam venalitiario, ut prævaricaretur. Sane nec avia libertum timuerit, nec libertus venalitiarium. Proba libertum habuisse pecuniam, tulisse, dedisse: necesse est multum vena-

1 *Speraverunt effectum mendacii.*] Lege: *speraverint.* Sit ita, concedo, potuerit illis hæc spes innasci. *Gron.*

venalitiarius popoſcerit. Æſtimavit enim non rem ſuam, ſed ſpem noſtram. Age deinde, non timet libertus, ne ille qui puerum vendidit, [1] ubi vendat indicium? ne veniat, ne ſcribat? ſi corruptum judicium non probas, vici. Agnoſcit avia, quæ majorem temporum partem hujus oblectatione conſumpſit. Filius meus, inquit, in hac ætate talis fuit. Digna eſt teſtis notitia, de nepote dicit cauſam: nullum teſtamentum captat, etiam ſuum pignoratur. Sero hoc placuit: hoc & tuum argumentum eſt. Filium ſuſtulit: pudicæ argumentum eſt, hunc curioſe educavit, in nullum littus duxit. Sed filius illam notavit. Si merito, hujus crimen; ſi immerito, illius. Dic quare? immo noli mortuum illius criminari filium: non queritur: ſed ſperat pecuniam. Primum ejus ætatis eſt, ut debeat contemnere. Odit me, inquit. Quam habet injuriam tuam? nihil queritur: niſi quod filium tuum in littus duxiſti: ideo perierat: nimirum oſcula ſua venalitiarius inquinat. Non debeo, inquit, videri invita filium agnoſcere: mater ſum. In multis, nihil matris ultra titulum eſt: nec novercæ omnes.

## SERMO.

*In matrem & illa Cicero dixit: Mater enim à me, tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt, mater, inquam, appellabitur. Sub hoc tamen titulo inſidiatam filio dicit quæſiſſe pericula, ut filii ſui bona ſector poſſideret.*

## DECLAMATIO.

Nihil quidem ultra hæc timendum fuit: & ſupra fidem læſus eſt. Gratulari tamen tibi inter calamitates tuas, cruenta, poſſum, quod avia ſecunda hæres non fuit. Multa ſunt, quæ animum tuum ſollicitent: ingentis patrimonii hæreditas, & gravior poſſeſſionis, quam ſpei jactura eſt: & diu cum ea fuit. Illa tecum (habeo certum) cogitas, Si reci-

1 *Ubi vendat.*] Lege, *tibi vendat.* Pith. *Ubi vendat indicium.*] Erodius: *ibi.* ſed ſcribendum, *tibi.* A te pecunia accepta omnem mimum detegat. *Gronovius.*

recipio, ducet uxorem, quam fortaſſe cariorem habeat quam matrem. Ergo ſola obſtat patrimonii cogitatio. A piratis dimiſſum, à fortuna, ô te, liberte, inofficioſum! reduxiſti, non ad imagines, ſed ut propius amiſſam dignitatem aſpiceret. Etiam, inquit, fortunam meam noveram. Non eſt puer, quod cum liberto queraris: omnia tibi reddit, præter matrem.

## 1 Habet hucusque controversias Numero CXLIII.

1 *Habet huc uſque Controverſias numero* CXLIII.] Sic vetuſtiſſimum & optimum exemplar S. T. R. quod Claudii Falceti V. C. doctiſſ. beneficio habuimus. Sequebantur vero in eodem exemplari declamationum Annæi Senecæ libri decem, breviati illi quidem, ut alias ſeparatim editi ſunt, ſed aliquanto tamen meliores vulgatis, cum hac inſcriptione, Incipit Seneca decem rhetorum: quem etiam in aliis exemplaribus titulum fuiſſe vel illa Io. Salisberienſis ex lib. 8. Polycr. arguunt. *Legantur*, iuquit, *& libri illi quos Seneca decem oratorum ſententiis ſub imagine declamationum ſcholarium illuſtravit.* Eſſe autem illas declamationes non L. Annæi Senecæ, quem Nero quinquennii magiſtrum habuit, ſed patris ipſius quem Marcum quidam prænominant, & nobis ante viſum fuit, & ab elegantiſſimo diligentiſſimoque antiquitatis Lipſio nuper in Electis notatum eſt. Poſt has incipiebant, Ex Calpurnio Flac. excerptae x. Rhetorum minorum. quo ordine ſuperior noſtra conjectura de hac inſcriptione nonnihil confirmatur. Sed nec illud diſſimulare volumus in illo optimo & vetuſtiſſimo codice Calpurnii Flacci vix ſuperfuiſſe quartam partem: reliqua nos habuiſſe ex Italico exemplari non adeo vetuſto. Quis autem hic Calpurnius fuerit, alii fortaſſe dicturi ſunt: mihi quidem nondum ſcire contigit. *Pithœus.*